Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XXIV

BRUGIS FLANDRORUM

SEMINARIUM EPISCOPALE

MCMXXIV

25319

v. 24
1924

Collationes Brugenses

Litteræ encyclicæ

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: SÆCULO SEXTO EXEUNTE A SANCTORUM CÆLITUM HONORIBUS THOMÆ AQUINATI DECRETIS (1).

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Præambulum S. Thomas exemplar cleri per scientiam et virtutem suam.

Studiorum Ducem sacræ iuventuti in maioribus disciplinis haud ita pridem per apostolicam epistolam Nos, Iuris Canonici statuta confirmantes, habendum esse ediximus Thomam Aquinatem. Eiusdem rei magis ac magis nostrorum animis inculcandæ eisque declarandi quo pacto in schola tanti Doctoris utilissime versentur, præclara se Nobis dat occasio, appropinquante die cum abhinc sexcentis annis rite is est in Sanctorum numerum adscriptus. Nam mirabili quadam cognatione inter se scientia veri nominis et, illa virtutum omnium comes, pietas, continentur; cumque Deus ipsa veritas bonitasque sit, profecto ad Dei gloriam animarum salute quærendam — quod est Ecclesiæ præcipuum propriumque munus — satis non foret sacrorum administros bene esse a cognitione rerum instructos, nisi iidem idoneis virtutibus abundarent. Hæc autem doctrinæ cum pietate, eruditionis cum virtute, veritatis cum caritate societas, singularis prorsus exstitit in Angelico Doctore; cui quidem iure etiam insigne solis attributum est, utpote qui, scientiæ lumen mentibus afferendo, igniculos virtutum in voluntates iniiciat. Qui est igitur omnis sanctitatis et sapientiæ fons Deus omnino videtur ostendere in Thoma voluisse, quemadmodum altera ex his rebus alteram adiuvet, id est virtutum exercitatio ad veritatis contem-

Relatio intima sanctitatem inter et sapientiam quæ in s. Thoma perspicue elucet.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 309 s.

plationem componat, ac vicissim subtilior veritatis meditatio virtutes expoliat atque perficiat. Etenim qui pure vivat et integre domitasque habeat virtute cupiditates, is quidem, tamquam magno impedimento solutus, multo facilius tollere ad cælestia potest animum altiusque Dei arcana introspicere, secundum illud ipsius Thomæ: « Prius vita quam doctrina: vita enim ducit ad scientiam veritatis » (1); idem vero, cum in cognoscendis iis quæ sunt supra naturam, studii plurimum collocaverit, ex hoc ipso ad perfecte vivendum non parum se sentiet excitari: neque enim solivaga aut ieiuna, sed valde actuosa dicenda est tantarum rerum scientia, quarum pulchritudo totum hominem ad se rapiat atque convertat.

Divisio hujus encyclicæ indicatur.

Hæc sunt in primis, Venerabiles Fratres, quæ licet ex hac sæcularis memoriæ recordatione discere: sed quo eadem clarius appareant, visum est Nobis de Thomæ Aquinatis et sanctitate et doctrina breviter in his Litteris disserere, tum demonstrare quæ inde fluant sacro ordini maximeque sacrorum alumnis, denique christiani nominis universitati opportuna documenta.

Pars prima: 1° *Virtutes* s. Thomæ in caritate coalescentes.

Quæcumque in genere morum sunt virtutes, Thomas quidem omnes præclarissimas habuit, easque ita copulatas et connexas, ut, quemadmodum ipse vult, coalescerent in caritate « quæ dat formam actibus omnium virtutum » (2). Sed si sanctitatis huius notas tamquam proprias et peculiares quærimus, prima omnium occurrit ea virtus, unde quædam cum angelicis naturis visa est esse Thomæ similitudo; castimoniam dicimus, quam cum in præsentissimo periculi discrimine servasset illæsam, dignus est habitus quem mystica zona angeli cingerent. Cum hac tanta puritatis laude par coniuncta erat bonorum fluxorum fuga itemque despicientia in contemnendis honoribus: constat summa eum constantia, propinquorum, qui se ad percommodam sæculi condicionem omni ope cogerent, fregisse pervicaciam, ac deinde apud Pontificem Maximum, sacras infulas offerentem, orando effecisse, ne formidatum sibi onus imponeretur. At id quo Thomæ sanctitudo maxime distinguitur, ipse est qui appellatur a Paulo *sermo sapientiæ:* (3) atque illa duplicis sapientiæ, acquisitæ et infusæ, quæ dicuntur,

Castimonia et despicientia honorum.

(1) *Comment. in Matth.*, c. V.
(2) II-II, q. XXIII, a. 8; I-II, q. LXV.
(3) I *Cor.*, XII, 8.

copulatio, quacum nihil tam apte quam humilitas, quam orandi studium, quam Dei caritas convenit.

Humilitas et obedientia.

Humilitatem quidem instar fundamenti fuisse quo ceteræ virtutes Thomæ niterentur, patet consideranti quam is obedienter in communis vitæ consuetudine fratri laico obtemperaret: nec minus perspicuum est legenti eius scripta, ex quibus tam magnum redolet erga Ecclesiæ Patres obsequium; ut is quidem « veteres « Doctores quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus » (1) videatur: id ipsum autem egregie illustratur ex eo quod divini ingenii facultates minime in suam ipsius gloriam, sed in emolumentum veritatis impenderit. Ita dum philosophi suæ propriæ claritudini fere serviunt, hic in tradenda doctrina omnino sese obscurare studet, ideo nimirum ut sola de se lux cælestis veritatis effulgeat. — Hæc igitur humilitas, cum munditie illa cordis, quam memoravimus, summaque sanctarum precum assiduitate coniuncta, docilem mollemque faciebat Thomæ animum ad afflatus et lumina Sancti Spiritus et accipienda et sequenda, in quibus quidem ipsa contemplationis principia consistunt. Quæ ut desuper impetraret, sæpe omni cibo abstinere, sæpe totas comprecando vigilare noctes, identidem ex ingenuæ pietatis impetu ad Sacramenti augusti tabernaculum applicare caput, assidue vero ad Iesu Crucifixi imaginem oculos animumque dolenter convertere, confessus familiari suo, sancto Bonaventuræ, ab eo maxime libro se, quantum sciret, didicisse. Vere igitur cadit in Thomam illud vulgatum de Dominico Patre legifero, qui nisi cum Deo aut de Deo non locutus umquam fuisse dicitur.

Orandi studium ac Dei caritas.

Sapientia tum acquisita tum infusa in doctrina atque in vita.

Cum autem in Deo, tamquam prima causa eodemque rerum fine ultimo, contemplari omnia soleret, pronum ei erat, sicut in sua *Summa Theologica*, sic in vita unam et alteram quæ memorata est, sequi sapientiam; quarum hæc apud ipsum est descriptio: « Per sapientiam quæ « studio humano acquiritur... habetur rectum iudicium « de rebus divinis secundum perfectum usum rationis... « Sed altera est desursum descendens... et de rebus « divinis iudicat, propter quamdam connaturalitatem ad « ipsas. Hoc est donum Spiritus Sancti... quo fit homo

(1) Leo XIII, ex Card. Caietano, litt. Encycl. *Æterni Patris*, d. IV aug. a. MDCCCLXXIX.

« perfectus in divinis, non solum discens sed et patiens « divina » (1).

Hæc sapientia in Thoma perpetuum accepit incrementum.

Hæc igitur a Deo delapsa seu infusa sapientia, ceteris comitata donis Sancti Spiritus, perpetuum in Thoma accepit incrementum, æque ac caritas, omnium domina et regina virtutum. Etenim illa huic erat certissima doctrina, amorem Dei numquam non oportere crescere « ex ipsa forma præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum « ex toto corde tuo ;* totum enim et perfectum idem sunt... « Finis præcepti caritas est, ut Apostolus dicit (2), in fine « autem non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his « quæ sunt ad finem » (3). Quæ ipsa est causa quare sub præceptum perfectio caritatis cadat tamquam illud quo omnes pro sua quisque condicione niti debent. Porro autem quia « caritas proprie facit tendere in Deum « uniendo affectum hominis Deo, ut scilicet homo non « sibi vivat, sed Deo » (4); idcirco in Thoma continenter, cum geminata sapientia, Dei amor augescens, ad extremum perfectam sui oblivionem ingenuit, adeo ut Iesu Crucifixo ita se alloquenti: *Bene, Thoma, scripsisti de me* eidemque roganti, *quam recipies a me pro tuo labore mercedem ?* responderit: *Domine, non nisi Te.* Itaque, caritate instinctus, aliorum utilitatibus impense servire non cessabat, vel optimos libros conficiendo, vel fratres laborantes adiuvando, vel in subsidium pauperum suis se vestimentis exspoliando, vel etiam ad sanitatem ægrotantes restituendo, ut cum in Basilica Vaticana, ubi per Paschalia solemnia concionabatur, mulierem, quæ vestis eius laciniam tetigerat, ab inveterato sanguinis fluxu repente liberavit.

In nullo alio doctore hæc luculentior.

Atque hic *sermo sapientiæ* a Paulo laudatus in quo alio Doctore, quam in Angelico, luculentior? Qui docendo non satis habet erudire hominum mentes, sed etiam ad Dei amorem, omnium effectorem rerum, redamandum studiosissime impellit voluntates. « Amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus » ; sic enim pulcherrime affirmat (5); et hanc divinæ bonitatis diffusionem, singula mysteria pertractans, illustrare non desinit. « Unde ad « rationem summi boni pertinet quod summo modo se

(1) II-II, q. XLV, a. 1, ad 2 et a. 2, c.
(2) I *Tim.*, 1, 5.
(3) II-II, q. CLXXXIV, a. 3.
(4) II-II, q. XVII, a. 6, ad 3.
(5) I, q. XX, a. 2.

« communicet, quod quidem maxime a Deo fit... per « Incarnationem » (1). Nihil vero tam clare huius et ingenii et caritatis vim ostendit, quam Officium ab ipso compositum de augusto Sacramento: quod erga Sacramentum quomodo in omni vita fuisset affectus, illa morientis vox, cum sanctum Viaticum susciperet, declaravit: *Sumo Te, pretium redemptionis animæ meæ, pro cuius amore studui, vigilavi et laboravi.*

2° *Doctrinæ* ipsius præstantia.

Sic leviter adumbratis magnis Thomæ virtutibus, iam non difficile intelligitur eiusdem præstantia doctrinæ; cuius quidem in Ecclesia mirum quantum valet auctoritas. Profecto Nostri decessores tamquam uno ore semper eam laudibus extulerunt. Ipso etiam tum vivo, Alexander IV ita perscribere non dubitavit: « Dilecto « filio, Thomæ de Aquino, viro utique nobilitate generis « et morum honestate conspicuo ac thesaurum litteralis « scientiæ per gratiam Dei assecuto ». — Postquam autem e vivis excesserat, eius non solum virtutes sed doctrinam etiam consecrare visus est Ioannes XXII, cum, ad Patres Cardinales verba faciens, memorabilem illam edidit in Consistorio sententiam: « Ipse plus illuminavit « Ecclesiam quam omnes alii Doctores; in cuius libris « plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina « toto tempore vitæ suæ ».

Auctoritas doctoris Angelici in Ecclesia.

Cum igitur hic intelligentiæ scientiæque, humana maioris, existimatione floreret, eum Pius V in sanctorum Doctorum numerum rato *Angelici* titulo adscripsit. Ceterum Ecclesiæ de hoc Doctore opinionem maximam quid tam aperte indicat quam quod Patres Tridentini duo dumtaxat volumina, Sacram Scripturam et Summam Theologicam, sibi consiliantibus patere super altare reverenter proposita voluerunt? Atque in hoc genere, ne persequamur ex ordine omnia Sedis Apostolicæ documenta, quæ innumerabilia sunt, feliciter nostrâ memoriâ contigit ut, Leonis XIII auctoritate et instantia, Aquinatis disciplina revivisceret; quod quidem illustris decessoris Nostri promeritum tanti est, ut, quemadmodum alias diximus, si multa præclara sapientissime ab eo constituta gestave non essent, ad immortalem Leonis gloriam hoc unum sufficeret. Iisdem mox vestigiis ingressus est sanctæ recordationis Pontifex, Pius X, præsertim Motu proprio *Doctoris Angelici*, in quo illud

(1) III, q. I, a. 1.

præclare dictum: « Post beatum exitum sancti Doctoris « nullum habitum est ab Ecclesia Concilium in quo non « ipse cum doctrinæ suæ opibus interfuerit ». Proxime autem, Benedictus XV, decessor Noster desideratissimus, plus semel id ipsum sibi placere professus est: cui dandum est laudi quod iuris canonici Codicem promulgavit, ubi, Angelici Doctoris « ratio, doctrina et principia » plane consecrantur (1). Nos vero hæc tanta divinissimo ingenio tributa præconia sic probamus ut non modo Angelicum, sed etiam *Communem* seu universalem Ecclesiæ Doctorem appellandum putemus Thomam, cuius doctrinam, ut quam plurimis in omni genere litterarum monumentis testata est, suam Ecclesia fecerit. At enim, quia prope infinitum est, quascumque rationes in hac causa decessores Nostri explicarunt, cunctas hic exsequi, tantum videtur Nobis ostendere, et Thomam supernaturali animatum spiritu, unde vivebat, scripsisse, et eius scripta, in quibus omnium sacrarum disciplinarum principia legesque tradantur, universalis dicenda esse naturæ.

Doctor *communis* seu universalis Ecclesiæ merito appellandus.

Etenim sive docendo sive scribendo hic divina pertractat, præclarissimum dat theologis documentum illius quæ inter sensus animi et studia intercedere debet necessitudo maxima. Nam, quemadmodum regionem aliquam longinquam bene habere cognitam non dicitur qui eius descriptionem quamvis subtilem cognoverit, sed qui aliquamdiu ibidem vixerit, sic intimam Dei notitiam sola scientiæ pervestigatione nullus assequitur, nisi etiam cum Deo coniunctissime vivat. Iam vero sancti Thomæ huc omnis theologia spectat, ut ad intime in Deo vivendum nos adducat. Ut enim puerulus ad Montem Casinum finem non faciebat rogandi « *quid est Deus?* », ita quicumque ab eo sunt compositi libri, de mundi creatione, de homine, de legibus, de virtutibus, de Sacramentis, omnes denique in Deo sempiternæ salutis auctore versantur.

Spiritus supernaturalis operis ipsius.

Itaque de causis horum studiorum sterilitatis disputans, quæ sunt vel curiositas, hoc est immoderata scientiæ cupido, vel ingenii tarditas, vel contentionis perseverantiæque fuga, nullum aliud eis vult esse remedium nisi magnam laboris alacritatem, quæ pietatis ardore vigeat atque ex spiritus vitâ profecta esse videatur. Cum igitur triplici lumine studia sacra dirigantur, recta ratione, fide infusa et donis Sancti Spiritus, quibus quidem intelli-

Remedium contra studiorum sterilitatem.

(1) Cfr can. 1366 § 2.

gentia perficitur, his omnibus nemo umquam amplius quam noster abundavit; qui postquam in re quapiam perardua diligenter ingenii sui opes adhibuerat, difficultatum explanationem a Domino ieiuniis precibusque humillimis implorabat: Deus autem tam benignus supplicem audire consueverat, ut ad eum edocendum Apostolorum principes interdum delegaret. Quare non est mirum, si, cum vitæ exitus appropinquabat, eum contemplationis gradum ascenderat, ut quicquid scripsisset, id omne summæ levitatis, non secus ac *paleas*, sibi videri diceret, seque negaret iam dictare posse quicquam; adeo iam solum æterna spectabat, adeo nihil aliud nisi videre Deum expetebat. Omnino enim, auctore Thoma, hic est qui potissime sacris e studiis percipi fructus debeat, magnus Dei amor magnumque desiderium rerum æternarum.

Hunc spiritum supernaturalem suo exemplo docuit s. Thomas.

Sed is, cum docet exemplo suo, quomodo in eadem studiorum varietate versari nos oporteat, tum præcepta firma et stabilia tradit singularum disciplinarum. Nam principio, quis philosophiæ naturam rationemque, partes earumque vim melius explicavit? En qua perspicuitate convenientiam consensumque demonstret omnium inter se membrorum, unde huius scientiæ tamquam corpus efficitur. « Sapientis est - ait - ordinare. Cuius ratio est quia sapientia potissime est perfectio rationis, cuius proprium est cognoscere ordinem: nam, etsi vires sensitivæ cognoscant res aliquas absolute, ordinem tamen unius ad alteram cognoscere est solius intellectus aut rationis. Secundum autem diversos ordines quos proprie ratio considerat, sunt diversæ scientiæ. Ordo enim quam ratio considerando facit in proprio actu pertinet ad philosophiam rationalem (seu *Logicam*), cuius est considerare ordinem partium orationis ad invicem et ordinem principiorum ad invicem et ad conclusiones. Ad philosophiam autem naturalem (seu *Physicam*), pertinet considerare ordinem rerum quem ratio humana considerat sed non facit: ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et *Metaphysicam*. Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralis philosophiæ, quæ in tres partes dividitur: prima considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quæ vocatur *Monastica;* secunda considerat operationes multitudinis domesticæ, quæ appellatur *Œconomica;* tertia considerat operationes multitudinis civitatis, quæ

Simul firma singularum disciplinarum tradidit præcepta:

Philosophiam recte definivit et varias ejus partes nitide distinxit ac nexuit.

vocatur *Politica* » (1). Quas philosophiæ partes Thomas diligenter omnes pertractavit, propria singularem via, ita quidem ut ab iis profectus quæ maxime humanæ rationi coniuncta sunt, gradatim ad remotiora adscendens, denique « in supremo rerum omnium vertice » (2) constiterit.

Doctrina ipsius de potestate et valore mentis humanæ.

Ac de mentis humanæ potestate seu valore sanctum est quod a nostro traditur. « Naturaliter intellectus noster « cognoscit ens et ea quæ sunt per se entis in quantum « huiusmodi, in qua cognitione fundatur primorum « principiorum notitia » (3). Hinc enim stirpitus extrahuntur errores opinionesque recentiorum, qui volunt non ipsum ens intelligendo percipi, sed ipsius qui intelligat, affectionem : quos quidem errores *agnosticismus* consequitur tam nervose reprobatus Encyclicis Litteris *Pascendi*.

Argumenta ad existentiam Dei demonstrandam.

Quibus autem argumentis Thomas Deum esse docet eumque unum esse *ipsum Ens subsistens*, ea sunt hodie quoque, sicut ævo medio, omnium firmissima ad probandum : iisdemque liquido confirmatur Ecclesiæ dogma in Concilio Vaticano solemniter enuntiatum, quod Pius X præclare sic interpretatur : « Deum rerum omnium prin« cipium et finem naturali rationis lumine per ea quæ « facta sunt, hoc est per visibilia creationis opera, tam« quam causam per effectus certo cognosci, adeoque « demonstrari etiam posse » (4). Eiusdemque de metaphysicis doctrina, quamquam frequenter adhuc iniquorum iudicum acerbitatem nacta est, tamen, quasi aurum, quod nulla acidorum natura dissolvitur, vim splendoremque suum etiam nunc integrum retinet; recte igitur idem decessor Noster : « Aquinatem deserere, præsertim in re « metaphysica, non sine magno detrimento esse » (5).

Theologiam ad summum dignitatis culmen evexit.

Profecto nobilissima quidem in humanis disciplinis est philosophia, sed eam, ut res nunc sunt divina Providentia constitutæ, ceteris excellere dicendum non est, cum ad omnem rerum universitatem haud pertineat. Etenim in ipso *Summæ contra Gentes* itemque *Summæ Theologicæ* initio, sanctus Doctor alium rerum ordinem describit, positum supra naturam, eumque rationis captum exce-

(1) *Ethic.*, lect. 1.
(2) *Contra Gentes*, II, c. 56 et IV, c. 1.
(3) *Contra Gentes*, II, c. 83.
(4) Motu proprio *Sacrorum Antistitum*, diei 1 septembris MDCCCCX.
(5) Litt. Encycl. *Pascendi*, diei VIII septembris MDCCCCVII.

dentem, quem homo, nisi ei divina benignitas revelasset, numquam fuisset suspicatus. Hæc est regio ubi dominatur fides: fidei autem scientia Theologia nominatur. Iam vero huiusmodi scientia eo perfectior in quopiam sit oportet, quo is fidei documenta melius calleat, simulque pleniorem aptioremque philosophandi facultatem habuerit. Non est autem dubitandum quin ad summum dignitatis culmen evecta Theologia sit per Aquinatem, cuius et numeris omnibus absoluta rerum divinarum cognitio fuit et intelligentiæ vis facta mirifice ad philosophandum. Quare Thomas non tam sua philosophica institutione, quam huius disciplinæ studiis, obtinet in scholis nostris magisterii principatum Neque enim Theologiæ est pars ulla, in qua non is incredibilem ingenii sui ubertatem felicissime exercuerit. Nam primum propriis ac genuinis fundamentis constituit apologeticam, bene definito discrimine, quod inter eas res quæ rationis et quæ fidei sunt, intercedit, accurateque naturali a supernaturali ordine distincto. Itaque sacrosancta Vaticana Synodus, cum statuit quæ de religione cognosci naturaliter possunt, eadem ut certo ac sincere cognoscerentur omnia, necessitate quadam revelari divinitus debuisse, ad mysteria vero cognoscenda divinam revelationem prorsus fuisse necessariam, iis utitur argumentis quæ non aliunde nisi a Thoma mutuata est. Qui sanctum omnibus quicumque doctrinæ christianæ defensionem susceperint, illud vult esse principium: « Assentire iis quæ sunt fidei non est levitatis, quamvis supra rationem sint » (1). Ostendit enim, etsi quæ creduntur arcana sint atque obscura, tamen apertas esse perspicuasque rationes quibus homo ad credendum adducitur, siquidem « non « crederet, nisi videret esse credenda » (2). Atque etiam adiungit, tantum abesse ut fides pro impedimento aut pro servili hominibus imposito iugo putanda sit, ut contra in maximi beneficii loco sit numeranda, sequidem « fides in nobis inchoatio est quædam vitæ æternæ » (3).

Constituit apologeticam.

Vaticana synodus argumenta a Thoma mutuans.

Altera theologiæ pars, quæ in dogmatum interpretatione versatur, ipsa quoque auctorem habet omnium locupletissimum Thomam; neque enim quisquam aut penetravit altius aut subtilius exposuit augusta quæcumque sunt mysteria, ut de vita Dei intima, de prædestina-

Partes præcipuæ quas habuit Thomas in dogmatica.

(1) *Contra Gentes*, I, c. 6.
(2) II-II, q. I, a. 4.
(3) *Qq. disp. de Verit.*, q. XIV, a. 2.

tionis æternæ obscuritate, de supernaturali mundi gubernatione, de oblata naturis, ratione præditis, facultate sui finis assequendi, de humani generis redemptione a Iesu Christo facta eademque per Ecclesiam continuata, perque Sacramenta, quæ utraque ab Angelico Doctore « quædam divinæ Incarnationis reliquiæ » appellantur.

Item in theologia morali; in œconomica et politica morum scientia.

Idem præterea solidam theologiæ doctrinam de moribus condidit, quæ ad dirigendos totos humanos actus valeat supernaturali hominis fini congruenter. Et quoniam hic plane est in theologia perfectus, ut diximus, rationes certas dat et præcepta vivendi non modo hominibus singulis, sed societati etiam et domesticæ et civili; in quo tum œconomica tum politica morum scientia consistit. Hinc illa præclara quæ sunt in Summæ Theologicæ parte secunda de paterno regimine seu domestico et de legitimo imperio vel civitatis vel nationis, de iure naturæ et de iure gentium, de pace et de bello, de iustitia et de dominio, de legibus et de obtemperatione, de officio vel privatorum necessitati vel prosperitati publicæ consulendi, idque cum in naturali ordine tum in supernaturali. Quod si privatim, publice atque in mutuis nationum inter nationes officiis hæc sancte inviolateque præcepta serventur, iam nihil aliud requiratur ad eam hominibus conciliandam « pacem Christi in regno Christi » quam orbis terrarum tantopere desiderat. Optandum est igitur, ut quæ in gentium iure præsertim explicando legibusque iis quibus populorum inter ipsos rationes ordinantur, Aquinas docet, ea, cum veræ *Nationum Societatis* — quæ dicitur — fundamenta contineant, magis magisque pertractentur.

In iis fundamenta veræ societatis Nationum.

In ascetica et mystica.

Nec minus nobilitata est eius in asceticis mysticisque scientia; is enim, universa morum disciplina ad virtutum rationem donorumque revocata, eamdem vel rationem vel disciplinam egregie definit pro vario hominum ordine, sive qui commune institutum secuti, velint vivere, sive qui ad christianam spiritus perfectionem absolutionemque contendant, iique in duplici vitæ genere actuosæ et contemplativæ. Itaque præceptum de amore Dei quam late pateat, caritas eique adiuncta dona Sancti Spiritus quomodo crescant, multiplices vitæ status, ut perfectionis, ut religiosorum, ut apostolatus, quid inter se differant et quæ cuiusque natura visque sit, hæc et talia asceticæ mysticæque theologiæ capita si quis pernosse volet, is Angelicum in primis Doctorem adeat oportebit.

Atque hic, quidquid composuit, accurate in divinis Litteris fundavit et exstruxit. Nam sibi persuasum habens Scripturam in omnibus et singulis partibus vere esse verbum Dei, eius interpretationem ad eas ipsas leges diligenter exigit, quas proxime decessores Nostri, Leo XIII in Encyclicis Litteris *Providentissimus Deus*, et Benedictus XV Litteris item Encyclicis *Spiritus Paraclitus*, sanxerunt; positoque eo principio « Auctor prin- « cipalis Scripturæ sacræ est Spiritus Sanctus... Homo « autem fuit auctor instrumentalis » (1), de Bibliorum absoluta fide historica nullum patitur esse dubium, sed verborum sententiæ seu sensus litteralis fundamento ubertatem divitiasque constituit sensus spiritualis, cuius triplex genus allegoricum, tropologicum, anagogicum subtilissime explicare consuevit.

In sacris litteris adhibendis et explicandis.

Denique, singulari quodam dono ac munere id habuit noster, ut suæ præcepta disciplinæ in liturgiæ preces hymnosque converteret, itaque divinæ Eucharistiæ vates et præco maximus fieret. Etenim, ubicumque terrarum et gentium est Ecclesia catholica, ibi ad sacra studiose utitur semperque usura est his Thomæ canticis, in quibus simul summa quædam inflammatio spirat supplicantis animi, simul de augusto Sacramento, — quod præcipue *Mysterium Fidei* appellatur, — doctrinæ ab Apostolis traditæ eiusmodi inest enuntiatio, qua nulla perfectior. Hæc si considerentur, itemque illud ipsius Christi præconium, quod supra attulimus, sane mirabitur nemo quod hic Doctoris Eucharistici quoque cognomen accepit.

In s. liturgia. Divinæ Eucharistiæ vates ac præco maximus fuit.

Iam ex iis quæ hactenus memorata sunt, hæc factu quidem peropportuna colligimus. Primum intueantur oportet sanctum Thomam nostri præsertim adolescentes, magnarumque virtutum decora quæ in eo elucent, diligenter imitando consectentur; ante omnia humilitatem quod est spiritualis vitæ fundamentum et castimoniam. Discant ab homine summi ingenii summæque doctrinæ, cum omnem tumorem animi horrere, tum submissione supplici divini luminis copiam suis conciliare studiis; discant, eodem magistro, nihil tam vigilanter quam voluptatis blandimenta refugere, ne scilicet ad sapientiam contemplandam caligantes mentis oculos adiiciant. Nam quod ipse vivendo præstitit, ut diximus, sic confirmat præcipiendo: « Si quis abstineat a delectationibus

Pars altera: Documenta ex dictis hauriendæ.

Adolescentes ab ipso discant humilitatem.

Imitentur castitatem.

(1) *Quodlib.*, VII, a. 14, ad 5.

« corporalibus ut liberius vacet contemplationi veritatis, « pertinet hoc ad rectitudinem rationis » (1). Quare divinis admonemur Litteris : *In malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (2). Itaque si Thomæ pudicitia tum cum in extremum discrimen adductam vidimus, cecidisset, verisimile est nequaquam Ecclesiam suum Doctorem Angelicum habituram fuisse. — Quandoquidem igitur videmus, corruptelarum illecebris deceptos, iuvenum plerosque iacturam maturrime facere sanctæ puritatis, seque dedere voluptatibus, Nos, Venerabiles Fratres, vehementer vobis auctores sumus ut *Militiæ Angelicæ* societatem, castimoniæ Thomæ præsidio conservandæ custodiendæ conditam, usquequaque, præcipue in sacrorum alumnis propagetis: indulgentiæ autem pontificalis munera, quibus a Benedicto XIII aliisque decessoribus Nostris cumulata est, equidem confirmamus. Et quo facilius animum quis inducat huic Militiæ dare nomen, iis qui eam participant facimus potestatem, loco cinguli, gestandi suspensum collo sacrum numisma, cuius in adversa parte imago expressa sit sancti Thomæ cum Angelis ei zonam accingentibus, in aversa Dominæ Nostræ Reginæ Sacratissimi Rosarii.

Commendatur militia angelica.

Quoniam autem sanctus Thomas omnium scholarum catholicarum rite est patronus constitutus, is qui utramque sapientiam, ratione quæsitam divinitusque inditam, mirabiliter in se, ut diximus, coniunxit ; qui difficillimis nodis expediendis ieiunia precationesque fere adhibuit ; qui instar omnium librorum Iesu Christi Crucifixi imagine usus est ; idem, inquimus, sacræ iuventuti sit documento, quemadmodum in studiis optimis recte magnoque cum fructu se exerceat. — Homines vero religiosarum familiarum tamquam in speculum inspiciant in Thomæ vitam, qui oblatos dignitatis gradus vel amplissimos recusavit ob eam causam ut in perfectissimæ obedientiæ exercitatione vivere et in suæ sanctitate professionis emori posset. — Omnibus denique quotquot sunt Christi fideles cum ab Angelico Doctore pietatis in augustam cæli Reginam capere exemplum, cuius et salutationem Angelicam frequentare et dulce Nomen suis pagellis inscribere consueverat, tum vero ab ipso

Sit documentum sacræ iuventuti quemadmodum se in studiis exerceat.

Religiosi tanquam in speculum in Thomæ vitam inspiciant.

Omnibus fidelibus, imprimis sacerdotibus sit exemplum.

(1) II-II, q. CLVII, a. 2.
(2) *Sap.*, I, 4.

Doctore Eucharistico amorem in divinum Sacramentum petere licebit. Idque ante alios sacerdotibus, ut est consentaneum: « Quotidie enim unam Missam dicebat « (Thomas) nisi cum infirmitas impedisset, et aliam « audiebat socii vel alterius, ad quam ipse frequentius « ministrabat », ait eius vitæ scriptor diligentissimus; at quis explicare dicendo possit quo spiritus fervore sacrum faceret, qua se diligentia ad illud compararet, quas divinæ Maiestati grates, eodem confecto, persolveret?

Doctrina s. Thomæ modernistarum errores confutat.

Deinde ad errores effugiendos, in quibus omnium huius temporis miseriarum fons est et caput, religiosius quam umquam alias, est in Aquinatis institutione consistendum. Omnino enim Modernistarum in omni genere Thomas opinionum commenta convincit; in philosophia vim et potestatem humanæ intelligentiæ, ut memoravimus, tuendo, firmissimisque argumentis Deum esse probando; in re dogmatica supernaturalem a naturæ ordine discriminando causasque credendi et ipsa dogmata illustrando; in theologia omnia quæ fide creduntur non in opinione niti sed in veritate, eademque immutari non posse ostendendo; in re biblica genuinam divinæ inspirationis notionem tradendo; in disciplina morum, in re sociali et in iure recte principia ponendo de iustitia legali aut de sociali itemque de commutativa aut de distributiva, et quæ iustitiæ cum caritate sint rationes explicando; in ascetica de christianæ vitæ perfectione præcipiendo, atque etiam æquales suis temporibus adversarios religiosorum ordinum oppugnando. Denique contra illam quæ vulgo iactari solet, rationis humanæ a Deo solutam libertatem, noster primæ Veritatis iura summique Domini in nos auctoritatem affirmat. Hinc apparet satis esse causæ quamobrem Modernistæ nullum Ecclesiæ Doctorem tam metuant quam Thomam Aquinatem.

Quicumque veritatem quærunt, Thomam adeant.

Quemadmodum igitur olim Ægyptiis in summa annonæ caritate dictum est *Ite ad Ioseph*, a quo sibi ad alendum corpus frumenti suppeditaretur copia, ita iis, quotquot nunc sunt in desiderio veritatis, *Ite ad Thomam* Nos dicimus, ut ab eo sanæ doctrinæ pabulum, quo affluit, in sempiternam suorum animorum vitam petant. Atque hoc pabulum in promptu esse et parabile omnibus, cum causa ageretur de ipso Thoma in beatorum cælitum numerum adscribendo, sic est iurisiurandi religione testatum: « Sub huius Doctoris lucida et aperta doctrina

« floruerunt quamplures magistri religiosi et sæculares, « propter modum compendiosum, apertum et facilem... « etiam laici et parum intelligentes appetunt ipsa scripta « habere ».

Præscriptiones Pontificum de doctrina s. Thomæ tenenda.

Nos autem, quæ et decessores Nostri in primisque Leo XIII (1) et Pius X (2) decreverunt et Nosmet ipsi anno superiore mandavimus, ea omnia volumus sedulo attendant inviolateque servent ii præsertim quicumque in clericorum scholis maiorum disciplinarum magisteria obtinent. Iidem vero sibi persuadeant tum se suo officio satisfacturos itemque exspectationem Nostram expleturos esse, si cum Doctorem Aquinatem, scripta eius diu multumque volutando, adamare cœperint, amoris hujus flagrantiam cum alumnis disciplinæ suæ, ipsum Doctorem interpretando, communicent, idoneosque eos reddant ad simile studium in aliis excitandum.

Servata justa libertate cum æmulatione ac caritate.

Scilicet inter amatores sancti Thomæ, quales omnes decet esse Ecclesiæ filios qui in studiis optimis versantur, honestam illam quidem cupimus iusta in libertate æmulationem unde studia progrediuntur, intercedere, at obtrectationem nullam, quæ nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in Codice iuris canonici præcipitur (3) ut « philosophiæ rationalis ac theologiæ « studia et alumnorum in his disciplinis institutionem « professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris « rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant » ; atque ad hanc normam ita se omnes gerant ut eum ipsi suum vere possint appellare magistrum. At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notæ auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quæ sibi verisimilior videatur.

Conclusio. Præscriptiones ut hæc sacra sæcularia digne celebrentur.

Itaque, quoniam universi nominis christiani refert sacra hæc sæcularia digne celebrari — siquidem in Thoma honorando maius quiddam quam Thomæ ipsius existimatio vertitur, id est Ecclesiæ docentis auctoritas — placet Nobis admodum ut huiusmodi celebratio anno vertente, a die XVIII mensis iulii ad exitum anni proximi,

---

(1) Litt. Encycl. *Æterni Patris.*

(2) Motu proprio *Doctoris Angelici,* diei XXIX iunii MDCCCCXIV.

(3) Can. 1366 § 2.

toto orbe terrarum fiat, ubicumque adolescentes clerici rite instituuntur; videlicet non solum apud Fratres Prædicatores, cui quidem Ordini, ut verbis utamur Benedicti XV « laudi dandum est non tam quod Angeli-« cum Doctorem aluerit, quam quod numquam postea, « ne latum quidem unguem, ab eius disciplina disces-« serit » (1), sed etiam apud ceteras familias religiosorum, atque in omnibus Clericorum Collegiis, magnis Lyceis scholisque Catholicis, quibus ipse datus est Patronus Cælestis. Par erit autem hanc almam Urbem, in qua Magisterium Sacri Palatii aliquandiu gessit Aquinas, ad hæc agenda solemnia principem exsistere: sanctæque lætitiæ significationibus ante omnia Pontificium Collegium Angelicum, ubi Thomam tamquam domi suæ habitare dixeris, tum quæ præterea Romæ adsunt Clericorum Athenæa ceteris sacrorum studiorum domiciliis præstare.

Favorum spiritualium concessio.

Nos vero ad eiusdem solemnitatis vel splendorem vel fructum augendum hæc pro Apostolica Nostra potestate tribuimus:

1) ut in omnibus Ordinis Prædicatorum ecclesiis itemque in quavis alia sacra æde aut sacello quod populo pateat vel patere possit, præsertim apud Seminaria, Collegia vel domus sacræ iuventuti educandæ, supplicationes in triduum vel in octavum vel in nonum diem habeantur, propositis iisdem pontificalis indulgentiæ muneribus, quæ in usitatis sanctorum beatorumque cælitum supplicationibus lucranda proponuntur;

2) ut in ecclesiis tum Fratrum tum Sororum ex Ordine Sancti Dominici semel per solemnia sæcularia, quolibet ex iis diebus, liceat omnibus rite peccata confessis et Eucharistico epulo refectis plenariam peccatorum veniam consequi toties, quoties ad altare Sancti Thomæ pias preces fuderint;

3) ut item in ecclesiis Ordinis Dominiciani possint sacerdotes sodales vel tertiarii, anno sæculari vertente, quavis feria quarta aut primo quoque die per hebdomadam libero, Missam in honorem Sancti Thomæ, ut in eius festo celebrare, cum *Gloria* tamen et *Credo*, vel sine iis, pro diei ritu, et plenariam peccatorum remissionem lucrari; cuius indulgentiæ etiam qui eidem Missæ adfuerint, usitatis quidem condicionibus, compotes sint.

(1) *Acta Apostolicæ Sedis*, vol. VIII (1916), p. 397.

Disputatio habenda et dies s. Thomæ festiva celebranda.

Præterea faciendum est, ut apud sacra Seminaria ceterasque domos clericis instituendis hoc toto temporis spatio aliqua celebris de philosophia aliisve gravioribus disciplinis disputatio in honorem Angelici Doctoris habeatur. Atque ad agendum posthac ita festum diem sancti Thomæ, quemadmodum patrono omnium scholarum catholicarum dignum est, volumus eum diem studiosis esse feriatum, eumque non tantum solemni sacro, sed etiam – saltem in Seminariis et apud Religiosorum familias — eiusmodi disputatione celebrari, quam modo diximus.

Oratio s. Thomæ commendatur.

Ad extremum, quo nostrorum studia, Aquinate Magistro, in Dei gloriam Ecclesiæque fructum cedant quotidie maiorem, his Litteris precandi formulam, qua ipse utebatur, adiungimus, Vosque obsecramus ut evulgandam curetis. Eam autem quotiescumque quis rite recitaverit, sciat, auctoritate Nostra septem annorum totidemque quadragenarum pœnam sibi esse remissam.

Benedictio apostolica.

Auspicem vero divinorum munerum ac testem paternæ benevolentiæ Nostræ, Vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque unicuique vestrum credito apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis iunii, in festo Principum Apostolorum, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus nostri secundo.

PIUS PP. XI.

ORATIO

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ tres Angelorum hierarchias designasti, et eas super cælum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime distribuisti: Tu, inquam, qui verus Fons Luminis et Sapientiæ diceris, ac supereminens Principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras, tuæ radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet, et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas: Tu qui es verus Deus et homo, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Introductio in theologiam mysticam. (1)

Tabula II (*Pars posterior*).

Creaturæ intellectuales supra naturam exaltatæ. Regnum Dei supernaturale inchoatum.

Progrediamur jam ad alia, quæ nobis demonstrabunt munificentiam Dei nulla in re defuisse, ut creaturas suas intellectuales perfecte instrueret ad vitam et activitatem supernaturalem.

Natura operatur per suas potentias, has quoque Deus donis supra naturam munivit: superiores quidem primo, intellectum et voluntatem virtutibus theologicis ornavit et instruxit ad activitatem supernaturalem.

In intellectum infundit virtutem divinam *fidei*, quæ est lumen supernaturale, quo homo particeps fit scientiæ et sapientiæ Dei: per fidem enim pervenit ad cognitionem celsissimarum veritatum, omniumque rerum ad salutem scitu necessariarum et utilium, a Deo ipso positive revelatarum; quæ proin notitia nititur in ipsa infallibili Veritate, et non sola naturali ratione apprehenditur, sed ratione lumine divinæ scientiæ irradiata; ita quod fides ex se intellectum immediate unit cum suprema Veritate, tam ex parte subjecti credentis quam ex parte objecti crediti. Profecto mirabile pretiosissimunque donum est fides, divinum lumen, quod et veritates naturaliter de Deo rebusque divinis notas infallibiliter confirmat, et alias rationi impervias manifestat, Deumque prout in se est, unus et trinus, sicuti eum speramus aliquando videre, notum facit. Fide etiam sola scimus in hac beatifica visione Dei essentialiter consistere finem nostrum ulti-

(1) Vide supra tomo præc., pag. 102, 177, 348, 425.

mum, et alia profunda mysteria, incarnationis Verbi, redemptionis, divinæ gratiæ, nota habemus.

In voluntatem Deus infundit virtutem divinam *spei*, quæ voluntatem natura inclinatam ad bonum ac felicitatem, supernaturaliter convertit et trahit ad verum, supernaturale et summum bonum, Deum, finem nostrum ultimum, in quo suprema nostra beatitudo sita est. Per hanc virtutem spei valet homo æternam illam beatitatem, et omnia quæ ad eam attingendam adjuvant, infallibili certitudine ex parte Dei, omnipotentiæ auxiliantis, exspectare, ita ut — si eadem virtus exercetur, ut oportet — homo supra omnia bona fluxa et vicissitudines hujus terrestris vitæ, in Deo quasi per anchoram tutam fixus maneat, nec quidquam eum turbare, aut terrere aut labefactare valeat.

Eadem voluntas sedes quoque est infusæ virtutis *charitatis*, quæ excellentissima et nobilissima est omnium nostrarum virtutum, habens Deum non tantum, sicut cæteræ virtutes theologales, ut objectum proprium, sed eum propius et intimius attingens: fides siquidem et spes Deum attingunt prout ex Eo cognitio divinæ veritatis, vel consecutio boni nobis obveniunt, charitas vero Deum in seipso et propter se, non propter bonum nobis ex Eo obveniens, attingit, ut in Eo sistamus et quiescamus (1).

Sine charitate nulla est virtus vera seu perfecta, est enim forma reliquas omnes perficiens, eo quod ordinat actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem, qui et finis ejus est; adeoque et finis dicitur omnium virtutum, ordinans earum actus ad suum finem; necnon mater virtutum, quia ex appetitu ultimi finis concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsos (2).

Divina charitas thesaurus est supra omne pretium, siquidem, ut jam diximus de gratia sanctificante, a qua est inseparabilis charitas, pretio, dignitate et nobilitate

---

(1) V. S. Thom., 2, 2, q. 23, a. 6.

(2) Ibid., a. 7 et 8. — De his virtutibus theologicis, lege etiam *Geestelijke Duif*, IIe deel.

excedit universum creatum mundum, et splendidius quam omnia in hoc mundo contenta declarat omnipotentiam, sapientiam et bonitatem summi Dei, Unius et Trini.

***

Cum sit homo corporalis simul et spiritualis, non tantum superiores potentias, intellectum et voluntatem, sed et inferiores seu sensibiles exercendas habet, et activitas quoque superiorum facultatum non habet tantummodo Deum, ultimum finem, pro objecto, mediantibus virtutibus theologicis, sed præterea et seipsum, et proximum, qua in activitate media in illum finem prosequitur, et partes suas habent vires inferiores, appetitus præprimis concupiscibilis et irascibilis, in quantum subduntur et subdi debent intellectui et voluntati seu libero arbitrio.

Atqui media in finem supra naturam, supernaturalia quoque sint oportet, supernaturales ergo actus erga proximum exerciti, vel in seipso homine gubernando positi. Hoc quidem fieri potest auxilio quodam transeunte gratiæ excitantis et adjuvantis, actualis; ast, præsertim in homine justo, magis connaturale est et perfectius, si virtus adsit, e qua tamquam ex supernaturali habitu procedant hujusmodi actus, sola excitante gratia habitum in actum reducente (1).

Neque in hoc defuit divina munificentia. Sicut nobis in baptismo, præter virtutes theologicas, morales quoque infundit, ita etiam primis parentibus infudit: prudentiam et omnes quæ ad eam pertinent, in intellectu; justitiam

(1) Hæc non contradicunt iis quæ diximus in *Geestelijke Duif*, p. 173: ibi docuimus, sicut hic, gratiam actualem, ut excitantem, necessariam esse ut in actum reducat habitum supernaturalem. Addidimus autem gratiam actualem objecta quoque proponere celsiora, vel saltem nobiliori modo quam ratio, etiamsi virtute munita. Heic vero non conferimus actionem gratiæ actualis, cum actione rationis, etiam ornatæ virtute morali infusa, sed tantummodo dicimus actum esse perfectiorem quando utraque, gratia actualis et virtus, adest et simul operatur.

et omnes ejus partes, in voluntate; fortitudinem et ei affines, in appetitu irascibili; temperantiam et quæ ad eam reducuntur, in appetitu concupiscibili (1).

« Rectitudo primi status, ait S. Thomas (2) exigebat ut homo aliqualiter omnes virtutes haberet. Sed considerandum est quod virtutum quædam sunt quæ de suî ratione nullam imperfectionem important, ut charitas et justitia. Et hujusmodi virtutes fuerunt in statu innocentiæ simpliciter, et quantum ad habitum et quantum ad actum. Quædam vero sunt quæ de suî ratione imperfectionem important, vel ex parte actus vel ex parte materiæ. Et si hujusmodi imperfectio non repugnat perfectioni primi status, nihilominus hujusmodi virtutes poterant esse in primo statu, sicut fides, quæ est eorum quæ non videntur, et spes, quæ est eorum quæ non habentur. Perfectio enim primi status non se extendebat ad hoc quod videret Deum per essentiam, et ut habetur cum fruitione finalis beatitudinis. Unde fides et spes poterant esse in primo statu, et quantum ad habitum et quantum ad actum. Si vero imperfectio quæ est de ratione alicujus virtutis, repugnat perfectioni primi status, poterat hujusmodi virtus ibi esse secundum habitum, et non secundum actum, ut patet de pœnitentia, quæ est dolor de peccato commisso, et de misericordia, quæ est dolor de miseria aliena. Perfectioni autem primi status repugnat tam dolor, quam culpa et miseria. Unde hujusmodi virtutes erant in primo homine secundum habitum, et non secundum actum. Erat enim primus homo sic dispositus, ut si peccatum præcessisset, doleret; et similiter si miseriam in alio videret, eam pro posse repelleret ».

Alicui forte dubium inciderit num primi parentes hujusmodi virtutibus moralibus indiguerint, cum vi integritatis videantur potuisse earum actus quasi sponte exercere. Ast, notandum est illos actus oportuisse esse

---

(1) Lege de his *Geestelijke Duif*, Ie deel, bl. 15 en volg. en bl. 26 en volg.

(2) I, q. 95, a. 3.

supernaturales: jamvero ad hoc erat gratia necessaria et ad bene esse virtus infusa, ut ostendimus. Præterea, attende virtutem infusam non dare facilitatem sed potentiam operandi supernaturaliter, adeoque quamquam ante lapsum seipsos regendi et recte erga invicem agendi facilitatem haberent, nihilominus ad supernaturaliter agendum egebant gratia ac virtute infusa. — Amisso vero et non restituto, ut vidimus (1), statu integro, quantopere indiguerint protoparentes et nos indigeamus virtutibus moralibus, satis superque sentimus omnes gravi ac molesta pugna quotidiana.

Hoc quoque forsan rogaverit aliquis, cur Deus etiam illas virtutes infuderit, quæ non deberent in actum exire. Ad quod respondemus, primo quidem paucas admodum facto esse tales virtutes, et raros casus ubi non exirent in actum. Etenim, inter passiones his virtutibus regulandas et quæ malum quoddam objectum habent, aliæ respiciunt malum alterius, aliæ malum proprium subjecti, ut dolor et timor. Atqui, priores non repugnant perfectioni primi status, et per has primus homo ab illo malo aversus poterat ex virtute actu illud odio habere, ita nominatim malum quod in malignis spiritibus est. Posteriores vero passiones quæ proprium malum subjecti respiciunt, non erant quidem in primævo statu, adeoque nec actum habebant virtutes ad eas regulandas, atvero attende aliquas virtutes morales non tantummodo tales passiones regulare, sed et alias: sic temperantia non solum dolorem sed et delectationes moderatur; et virtus fortitudinis non solum timorem, sed et spem et audaciam. Sub hoc respectu etiam actum habebunt illæ virtutes (2).

Deinde secundo, addere possumus, omissa illa quæstione facti, divinam sapientiam, munificamque bonitatem non alia ad infundendas illas virtutes ratione eguisse, quam ut complete et perfecte ornaret omnes potentias et vires hominis.

---

(1) Supra, tom. præc., p. 434.
(2) Cf. S. Thom., 1, q. 95, a. 3, ad 2.

Hæ virtutes, sicut cætera dona omnia ad posteros erant transmittenda. Sed hæc per peccatum et sibi et nobis omnia amiserunt protoparentes. Attamen amor Dei ejusque omnipotentia et sapientia atque misericordia thesaurus est inexhaustus, id lucidissime testante opere glorioso redemptionis, uti supra (1) jam notavimus.

***

Illæ omnes virtutes, tam theologicæ quam morales, adeo superant naturam, ut non, sicut nativæ vires, potestati nostræ subsint, nec proin in actum reduci nisi impulsu gratiæ actualis excitantis; quem impulsum ut prompte ac complete sequi possimus, egemus habitibus quibusdam, quæ dona Spiritus sancti vocantur. In hoc quoque providit Deus infinite sapiens et munificus, cujus providentia nobis semper præsto est per gratiam actualem, et nobis præter habitus virtutum etiam habitus donorum Spiritus sancti infundit.

Imprimis ergo consideremus occultam ac miram gratiæ actualis operationem.

Est hæc gratia lumen divinum irradians intellectum et movens voluntatem, quasi divina cogitatio in mente nostra suscitata simulque divinum velle voluntatem nostram pervadens et movens: ita Deus intellectum et voluntatem, utpote vitales potentias ut instrumenta vitalia usurpat ad cogitandum et volendum; ac proin hæc cogitatio et hæc volitio non mere humanæ jam sed et simul divinæ sunt. *Vitales* dicimus potentias, quippe quæ non mere passive moveri possunt, sicut materiale objectum, sed moventur eo quod ipsæ in actum exeunt, actuatur enim intellectus cogitando, et actuatur voluntas volendo. Sed hic primus motus gratiæ, quæ ideo gratia *excitans* seu *præveniens*, aliquando etiam *operans* dicitur, non dat nisi indeliberatum cogitare et velle supernaturale, quando vero homo ita motus, sub et cum perdurante

(1) V. inter alia tom. præc., p. 434.

influxu ejusdem gratiæ, quæ eo titulo vocatur *adjuvans* seu *subsequens* seu *cooperans*, reflectit super hanc primam cogitationem et volitionem indeliberatam, eaque reflexa volitione admittit, seu respondet illi gratiæ et consentit, tum actus supernaturalis deliberatus ponitur et manet actus simul divinus et humanus liber.

Mira profecto et prorsus supra naturæ exigentiam et vires Deoque propria operatio gratiæ: nulla enim creatura, nullus spiritus quantumvis perfectus accessum habet ad intellectum et voluntatem, ad liberum arbitrium alterius creaturæ rationalis; possunt quidem immediatum influxum exercere in potentias sensibiles hominis et ita mediate suscitare cogitata in intellectu et objecta proponere voluntati, sed directe et immediate in superiores potentias liberumque arbitrium agere solius Creatoris est, sicuti ipsius solius est legere cogitationes et volitiones suarum creaturarum. Liberum arbitrium regnum est occlusum, in quod solus Creator ingreditur et dominium habet.

Hæc gratia actualis constanter et omni tempore parata erat protoparentibus sed et nobis præsto est ad omnem actum, non tantum obligantem sed et libere electum, cujusvis virtutis, idque tum ad præparandum nos ad justificationem, tum ad operandum meritorie bonum quodvis in statu justitiæ. Quo in casu saltem ut excitans seu præveniens requiritur, ut ex modo dictis elucet

Ergo omnipotentia auxilians Dei homini deservit, idque ut modo divino-humano agat. Mirum sane et lugendum tot homines, etiam bonos, tam parum conscios esse tanti amoris Dei, et tam facile omittere opera bona, aut saltem inconscios agere et parum gratos pro divino gratiæ beneficio. Ast, multo magis lugendum multos etiam gratia abuti, eam respuendo quando præceptum est implendum; tunc enim est verus abusus gratiæ, non vero proprie in omittendo opere bono non præcepto, ut falso aliquando credunt pii homines.

***

Nunc jam videbimus quomodo omnipotentia, sapientia et bonitas Dei compleverit opus suum in instruendo homine ad perfectam activitatem supernaturalem. Scilicet ut homo prompte et perfecte respondeat gratiæ actuali, quæ virtutes in actum reducit, et nobiliora quoque objecta vel nobiliori modo proponit, Deus illi concedit habitus, quos dona Spiritus sancti vocamus, septem numero.

Videamus imprimis quomodo nos aptos faciunt ad prompte et fideliter sequendum instinctum Spiritus sancti per gratias actuales, quæ quidem ratio est eorum appellationis, dein quare sint numero septem.

Utrumque facile eruemus ex brevi descriptione illorum donorum, ascendendo in ordine dignitatis ab infimo ad summum.

Primum donum est *timor Domini*, non servilis sed filialis timor, quo horret homo quæcumque Deo, cœlesti Patri, displicere possint, et summam reverentiam concipit divinæ majestatis.

Secundum est *pietas*, quæ nos disponit, ex reverentia proximi, qua imaginis Dei, ad agendum erga proximum cum omni bonitate.

Tertium est *fortitudo*, quæ paratos nos facit ad patienda et agenda fortia ac difficilia, ultra id quod virtus fortitudinis exigit, sed ad modum quo Christus passus est et laboravit.

Quartum est *scientia*, quæ per creaturarum viam ducit ad cognitionem Dei rerumque divinarum, simulque ad rectum judicium ferendum de iis quæ de rebus creatis sunt credenda et agenda.

Quintum est donum *consilii*, quo disponimur ad sequendum consilium Spiritus sancti in examinando et eligendo quod nobis agendum est ut recte et nos ipsos et alios ducamus in rebus communem virtutem excedentibus.

Sextum donum est *intellectus*, quo veritates creditas scrutari et percipere valeamus.

Denique, perfectissimum illorum donorum est *sapientia*, quæ de rebus divinis rectum judicium nobis dat, ut iis adhæreamus et quæ eis repugnant vitemus.

Ex hac notione data haud arduum erit intelligere quomodo illa dona nos capaces reddunt ad respondendum fideliter instinctui Spiritus sancti seu gratiæ actuali quatenus tum actuat virtutes supernaturales, tum objecta etiam nobiliora vel nobiliori modo proponit quam ratio etsi virtute morali munita.

Quod virtutes theologicas attinet, quæ utpote nos primo unientes Deo, principia et radices sunt donorum (1), eaque regulant et ut instrumenta sibi inservientia usurpant (2), quatuor dona inserviunt fidei, et sicut hæc sedem suam habent in intellectu, fide illustrato. Ea dona aptos nos reddunt ut radium excitantis gratiæ, quæ actuat virtutem fidei, rite excipiamus.

Etenim fides « primo quidem et principaliter se habet ad Veritatem primam, secundario ad quædam circa creaturas consideranda, et ulterius se extendit etiam ad directionem humanorum operum, secundum quod per dilectionem operatur... Sic ergo circa ea quæ fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte nostra. Primo quidem ut intellectu penetrentur vel capiantur : et hoc pertinet ad donum intellectus. Secundo autem oportet ut de eis habeat homo judicium rectum, ut æstimet his esse inhærendum et ab eorum oppositis recedendum. Hoc ergo judicium quantum ad res divinas, pertinet ad donum sapientiæ ; quantum vero ad res creatas, pertinet ad donum scientiæ ; quantum vero ad applicationem ad singularia opera, pertinet ad donum consilii » (3).

Observa etiam cum eodem S. Thoma (4) non esse

---

(1) V. S. Thom., 1. 2, q. 68, a. 4, ad 3; 2. 2, q. 19, a. 9, ad 4, et q. 139, a. 2, ad 2.

(2) Ibid., 1. 2, q. 68, a. 8.

(3) Ita S. Thom., 2. 2, q. 8, a. 6.

(4) 2. 2, q. 9, a. 1, ad 3.

inconveniens si diversa dona ad unam virtutem theologicam ordinentur, siquidem omnia dona ad perfectionem virtutum theologicarum ordinantur sicut ad finem. Neque e converso aliquid impedit ne unum donum inserviat diversis virtutibus theologicis : sic donum sapientiæ, ut jam vidimus, fidei deservit, sed et charitati, quæ radix est omnium donorum et virtutum (1) : etenim sapientia essentialiter quidem est in intellectu, sed et causam habet in voluntate ; quod optime consonat cum supra dictis, nempe rectum judicium circa res divinas competere dono sapientiæ, hoc enim judicium fertur ex connaturali sympathia cum rebus divinis, quæ oritur ex charitate, aliis verbis hoc judicium est sapidæ scientiæ seu sapientiæ, quem saporem dat charitas.

Tandem et hoc adverte dona, etsi ab invicem distincta, non tamen quasi separata agere sed cooperari seque invicem adjuvare ad actionem perfectam.

Quod jam virtutes morales attinet, hæ perficiunt hominem in ordine ad motionem rationis virtutibus theologicis instructæ, dona vero in ordine ad virtutes theologicas et instinctum ipsius Spiritus sancti, supremi et universalis motoris, moventis tum ad sublimiora quam ratio etiam elevata, tum secundum modum altiorem ad ea ipsa ad quæ movet ratio (2). Subordinantur igitur dona virtutibus theologicis ut quædam derivationes earum, præferuntur vero virtutibus infusis reliquis, seu moralibus, quas regulant et perficiunt.

Hic rursum observa nihil impedire quin donum aliquod inserviens uni ex virtutibus theologicis, simul etiam perficiat aliquam e virtutibus moralibus; aut unum donum plures ex his virtutibus. Sic timor Dei respectum habet ad spem et ad temperantiam : ad spem, quatenus timere facit ne per peccatum nos subtrahamus omnipotentiæ auxilianti Dei; ad temperantiam, quatenus nos efficacis-

---

(1) 2. 2, q. 139, a. 2, ad 2.
(2) Cf. S. Thom., 1. 2, q. 68, a. 8.

sime juvat ad refrænandam ac moderandam concupiscentiam. Pariter, donum sapientiæ, ut per se patet, respicit tum fidem, tum virtutem moralem infusam prudentiæ.

Ex his omnibus dilucide quoque apparet cur sint dona Spiritus sancti septem numero.

Primo quidem, ut omnes vires nostræ, pro diversa earum indole et secundum quod necesse vel utile est, uno vel pluribus donis ornatæ sint. Sic, quatuor dona sunt in intellectu, ut diximus, siquidem intellectus, fide divina illustratus, omnibus potentiis reliquis prælucere debet easque dirigere; unum donum, nempe pietatis, sedem habet in voluntate, sicut virtus moralis justitiæ, quam perficit; unum donum, scilicet fortitudinis est in appetitu irascibili juxta virtutem fortitudinis quam perficit; tandem in appetitu concupiscibili sedet timor Domini, perficiens virtutem temperantiæ.

Nihilominus absque gravi incommodo cum quibusdam theologis admitti posset in aliqua potentia, puta in appetitu concupiscibili, nullum donum insidere: quod enim importat et magis attendi debet, non tam subjectum doni est, quam potius activitas et influxus, mediatus vel immediatus, donorum, tum mutuus in invicem, tum in vires etiam illas in quibus non habent sedem propriam. Et en, aliam rationem ex hac animadversione deduces septem numeri donorum: videlicet, ob septemplicem eorum actionem, qua homo plene solutus et liber fit ab omni impedimento suæ erga inspirationes Spiritus sancti obedientalis aptitudinis, et optime paratus ad easdem prompte et perfecte suscipiendas (1).

Jam concludimus hanc secundam tabulam. Exposuimus præcipua elementa regni Dei supernaturalis, quod quidem etsi inchoatum tantum conspeximus, videmus

---

(1) Hoc latius evolvit S. Bonaventura, *Breviloquium*, p. V, c. V.

De donis Spiritus sancti, tum in genere, tum de singulis, referentes doctrinam B. Alberti Magni, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, necnon B. Rusbrochii, copiose egimus, apud *Collat. Brugen.*, t. XVIII et XIX.

ultra modum excedere magnificentia regnum naturale Dei in prima tabula exhibitum ; nihilominus minus forte quempiam, sensibiliter saltem, afficiet hujus secundæ tabulæ contemplatio, quoniam hæc rationem, fide illustratam attingit, dum illa sensus ferit et ideo magis commovere nata est.

Atvero, si puram, si vividam fidem haberemus sanctorum contemplatorum, quos imitari oportet, profecto sicut illi attolleremur et raperemur in admirationis stuporem, in gratiarum actionem intimam, in amorem Dei immensum, in laudem omnipotentiæ, sapientiæ et bonitatis adorandæ Trinitatis, Unius Dei.

Profecto, quid cogitari potest nobis beatius et sublimius vita supernaturali descripta, quæ alia non est quam participata vita ipsius Dei Unius et Trini. Etenim Deus est vita perfectissima, purus actus infinitus intelligendi et volendi, ex cujus ipsius perfectione Deus necessario est una essentia seu natura, in tribus Relativis seu Personis subsistens, per duas vitales processiones, æternas et incommutabiles, secundum intellectum et voluntatem; ita ut sit Pater, principium sine principio totius Deitatis, generans intellectualiter suam imaginem sibi consubstantialem, Filium, et sit Spiritus sanctus ab utroque, Patre et Filio, ut uno principio procedens, Amor substantialis utriusque.

Jamvero, Deus tamquam causa efficiens, actione tribus Personis communi infundit in naturam nostram gratiam sanctificantem, quæ causa formalis est consortii divinæ naturæ, et cunctas potentias quoque nostras instruit virtutibus et donis supernaturalibus ad activitatem divino-humanam. Præterea, actione pariter communi tribus Personis, unit personam nostram, posito jam consortio divinæ naturæ, cum persona Spiritus sancti, et hæc unio seu unitum esse in nobis est causa formalis adoptionis in filium Dei : nec mirum, cum adoptio activa sit actus præcipuus amoris Dei in nos, fundans relationem, rationis quidem in Spiritu sancto, realis vero in

nobis, ad Spiritum sanctum, Amorem substantialem Patris et Filii. Ad hanc porro relationem consequitur et specialis relatio, ejusdem rationis, ad Patrem, cujus speciali titulo filii adoptivi et hæredes efficimur, et ad Filium, cujus eo ipso constituimur quoque fratres adoptivi et cohæredes; qui quidem causa etiam meritoria est nostræ adoptionis, quippe qui dedit nobis « potestatem filios Dei fieri » (1). Hæc de adoptione, ex opinione nostra supra exposita.

Totum hoc, supra omnem naturam nostrum cum Deo Uno et Trino consortium mysteriosum, olim, ut speramus, intelligemus, idque consummatum et perfectum, quando nempe Deum ut in se est videbimus et amabimus, et gaudebimus !

† G. J., Episc. Brugen.

(1) Jo , I, 12.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis octobris propositas.

—

I.

In Matthæum, XII, 24-30.

Q. *Interpretare* Matth., *XII, 24-30.*

R. Occasione sanati alicujus dæmoniaci, dum turbæ incipiunt dubitare nonne Jesus esset Messias (1), Pharisæi ad culmen hostilitatem suam ducentes, Jesum accusant quasi cum dæmonibus pactum haberet, suaque mirabilia opera, et signanter hanc expulsionem dæmonum, per auxilium principis eorum, Beelzebul (2), efficeret. — Horrendam hanc calumniam tribus argumentis confutat Jesus :

1. *Ex absurdo :* nimis absurdus esset hic modus agendi quam ut astuto diabolo adscribi posset; seipsum enim regnumque suum, sic agendo, destrueret. — Quod sequenti argumentatione evolvitur. (Major:) Quælibet societas — regnum, civitas, familia domestica — contra seipsam divisa, seu in qua duces se mutuo impugnant,

---

(1) *Numquid*, gr. μήτι, particula est quæ potius responsum negativum exspectat, quasi, incipientes suspicari Jesu messianitatem, dicerent: « Ille Jesus sane non est Messias » ? Modus ille loquendi apprime congruit in ore talium qui ex operibus Jesu concluderent eum esse Messiam, nisi ex humilitate ipsius originis et conditionis retinerentur. Cfr v. 31 s. et dicenda infra ad hos vv., in resp. ad qu. I mensis seq.

(2) Lectio græca videtur certa: Βεελζεβούλ ; disputant autem de sensu nominis; alii intelligunt *dominum habitationis* (inferni ?), — alii *dominum stercoris;* — Βεελζεβούβ *(II Reg.*, 1, 2 ss.) significaret *dominum muscarum.*

in interitum vadit. — (Minor:) Jamvero ut volunt Jesu calumniatores, in illa societate organica quæ est regnum dæmoniorum, viget hujusmodi dissensio : dum enim ex una parte Satanas, princeps dæmoniorum, per alios suos dæmones homines occupat eosque dominio suo subjicit, ex altera parte per Jesum, quem ut instrumentum suum adhiberet, eosdem homines a suo dominio liberaret ; unde adversus se divisus esset, seu nulla vigeret in ejus regno concordia : quod per alios ædificat, per alios destrueret. — Unde (quæ conclusio sub forma interrogationis exprimitur) regnum ipsius stare non posset.

2. *Argumento ad hominem* (1). Erant enim apud Judæos, inter *filios*, i. e. discipulos Pharisæorum, exorcistæ qui contendebant se posse dæmones a possessis ejicere ; an Pharisæi etiam illorum operationem interventui dæmoniorum attribuent ? Nonne contrà interventui divino ? Et si ita, quonam jure aliter judicant de Jesu ? Ideo, concludit Jesus, ipsi exorcistæ vestri judices vestri erunt, quatenus eorum occasione manifesta erit vestra injustitia et acceptio personarum, seu quatenus, si loqui vellent, vos de acceptione personarum accusabunt.

3. *Positive* exponit et demonstrat actionem suam in dæmones tribuendam esse *interventui divino* et existere manifestum indicium *advenisse regnum messianicum ;* unde apparet absonus et impius modus agendi Pharisæorum qui regno huic adhærere recusant.

Interventum divinum esse agnoscendum sequitur ex præcedentibus : ut enim ipsi Pharisæi, sua accusatione, implicite fatentur, ex viribus naturalibus actio Jesu non potest explicari ; quod autem interventui diabolico nequeat adscribi, duplici argumento patefecit Jesus ; unde meritò tamquam satis demonstratum assumit Jesus sese auxilio divino, « in spiritu Dei » seu « in digito Dei »

---

(1) Minime determinat Jesus utrum necne exorcistæ Judæorum ulla gaudeant potestate in dæmones, sed unice eos huc adducit tamquam tales qui contendant se aliquid in dæmones valere.

(Luc.) dæmones ejicere; — indeque concludit in homines sibi coævos pervenisse regnum messianicum.

Ast menti nostræ obvia se obtrudit difficultas: quonam jure ex eo quod, fretus auxilio Dei, dæmones ejicit, concludit Jesus regnum messianicum advenisse? Nonne etiam temporibus elapsis, multi alii, ut puta exorcistæ judæi de quibus v. 27, dæmones ejicere potuerant, quin tamen hæc facta temporis messianici indicium fuissent? — Obvium apparet responsum. Etenim imprimis miracula sua, et signanter ejectionem dæmoniorum patrabat Jesus in confirmationem doctrinæ suæ, adeoque in confirmationem illius regni messianici cujus se præconem, imo et Messiam proclamabat. Præterea quoad ipsam ejectionem dæmoniorum toto cœlo differebat Jesus ab exorcistis judæis: dum enim hi nonnisi longis incantationibus multisque gestibus dæmones expellere conabantur, sæpiusque nonnisi casus possessionis dubios tractabant sæpiusque nullo successu, — contrà Jesus casus omnibus manifestos tractabat, qualis præcise fuerat casus præsens in quo dæmon hominem suum visu et loquela privaverat; et dæmones nullo negotio, neque orando aut gesticulando, sed mera voluntate unoque imperio ejiciebat (1), illudque in omni casu pleno successu. — Et quidem ex ipsa hac narratione apparet vel ipsas turbas discrimen istud intelligere: dum enim suos exorcistas viderant dæmones ejicientes, quin tamen factis illis momentum aliquod extraordinarium attribuissent, hîc contrà, visa ejectione a Jesu peracta, suspicantur Jesum esse Messiam: « stupebant omnes turbæ et dicebant: Numquid hic est Filius David » (v. 22)?

Et hic præcise videtur esse sensus v. 29: argumentum est quo Jesus ex modo suo agendi erga dæmones demonstrat se esse Messiam. Messiam enim eum esse ponit Jesus qui dæmonem, hucusque libere agentem in mundo,

---

(1) Non immerito quidam æstimant Lucam hoc sensu dixisse Jesum ejicere dæmonia *in digito Dei*.

alligat ejusque regnum evertit; jamvero Jesus est qui hoc facit : ecce enim, quod nemo alius fecit, intrat Jesus in domum fortis (gr. cum articulo), i. e. in domum Satanæ, et vasa, res ejus diripit, i. e. homines ab ipsius dominio nullo negotio aufert; num sic agere posset nisi prius alligasset Satanam, adeoque nisi ipse esset Messias, qui, opus inceptum pergendo, domum ipsius diripiet, i. e. regnum Satanæ destruet?

V. 30 haberi potest qua conclusio practica ex præcedentibus deducta : si vere regnum messianicum in vos pervenit (v. 27), si vere ego Messias sum (v. 29), adest vobis obligatio mihi adhærendi mecumque operandi ut messem meam colligamus (1); neque in hoc negotio locus datur neutralitati, nam « qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, spargit » et regno messianico adversatur et nocet.

A. Vander Heeren.

II.

De argumento ex Patribus.

Q. *Explica hanc propositionem : consensus moraliter unanimis Patrum in rebus fidei exhibet irrefragabile testimonium divinæ traditionis.*

Prænotanda. — In præcedenti nostra responsione egimus de symbolis fidei, quæ sunt medium subsidiarium traditionis divinæ conservandæ et simul criterium ejusdem traditionis divinæ dignoscendæ (2); quæ vero de symbolis disputavimus, valent mutatis mutandis de professionibus fidei et de Ecclesiæ definitionibus; unde jam nihil remanet dicendum de prima categoria mediorum subsidiariorum quæ supra indicavimus (3). In altera serie

(1) *Congregare* alii intelligunt de messe colligenda, — alii vero de grege coadunanda.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 441 s.

(3) *Ibidem*, p. 395.

posuimus scripta Patrum ac theologorum, de quibus in hoc et in sequenti responso quæstio erit. Quæ spectant autem libros liturgicos et varia monumenta historica, hæc suo loco in prælectionibus de s. liturgia et de historia ecclesiastica tractanda veniunt (1) Itaque quæstiones essentiales tractatus de traditione (2) cum hac explicatione de argumento Patrum et cum sequenti responsione de auctoritate theologorum absolvimus.

R. — Propositionem in quæstione positam per partes explicabimus, et primo quidem quinam in eadem *nomine Patrum* veniant (3).

1/ Patres Ecclesiæ *stricto sensu* intelliguntur viri ecclesiastici, qui *antiquitate*, *orthodoxa doctrina* necnon *vitæ sanctitate* insignes, *ut tales* ab Ecclesia *probati* fuerunt.

Cur requiratur ut *ad antiquitatem* pertineant ex ipso nomine, per analogiam ad paternitatem naturalem imposito, satis apparet.

In ecclesia græca aetas Patrum plerumque extenditur

---

(1) Cfr C. Callewaert, *Liturgicæ institutiones*. I. *De s. Liturgia universim*, p. 93 s., Brugis, 1919; R. De Schepper, *Inleiding tot de studie der kerkgeschiedenis*, bl. 95 v., Brugge, 1922².

(2) Tractatus *de fontibus revelationis* complectitur duplicem disputationem: primam de s. Scriptura seu de verbo Dei divinitus scripto; alteram de traditione orali stricto sensu. Idem tractatus quandoque inscribitur *de traditione*, et tunc sumitur traditio sensu latiore, prout comprehendit traditionem divinitus scriptam et traditionem non divinitus scriptam, seu oralem, id est stricte sumptam (cfr *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 208 s.). Sæpius etiam vocatur tractatus *de locis theologicis*, quatenus *loci*, inde ab Aristotele, audiunt fontes alicujus scientiæ; rarius dicitur tractatus *de verbo divino* et sic potius indicatur contentum; nominatur etiam tractatus *de regula fidei*, quæ tunc intelligitur sola regula remota (cfr *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 187). — Adverte apud multos libros manuales disputationem de traditione per partes inseri in tract. de Ecclesia; disputatio vero de s. Scriptura tunc tractatur tanquam introductio generalis in sacras litteras. Siquidem apud nos, quæstiones quæ spectant SS., uti fons est revelationis, in introductione ad SS. exponuntur, reliquas omnes quæstiones de fontibus revelationis seu de traditione late dicta, reponere juvat in uno tractatu, qui *de traditione orali* seu presse sumpta tunc inscribi potest.

(3) Cfr H. Kilber, *Principia theologica* (*Theol. Wirceburg.*, I), p. 397 s., Parisiis, 1852².

usque ad s. Joannem damascenum († c. a. 754); in ecclesia latina usque ad s. Gregorium magnum († 604) aut s. Isidorum hispalensem († 636); quidam auctores s. Bernardum († 1153) ultimum Patrem Ecclesiæ latinæ salutant.

Plerique Patres Ecclesiæ fuerunt episcopi; non omnes tamen: ita s. Hieronymus († 420) fuit presbyter; s. Ephræm syrus († 373) diaconus; s. Justinus († c. a. 165) et s. Prosper aquitanus († c. a. 463) laici (1).

Postulatur deinde ut *doctrinam Ecclesiæ genuinam*, cum eruditione aliquali, scripto proposuerint atque illustrarint vel defenderint; non officit tamen unus alterve error in rebus minus essentialibus et nondum eliquatis, dummodo mentem catholicam semper retinuerint, uti infra enucleatius dicetur.

Oportet adhuc ut non tantum verbis et scriptis suis, sed ad exemplum Christi qui « cœpit facere et docere » (2), etiam *vita sua sancta*, eos quos in fide genuerunt, recte instituerint.

Tandem hæ doctrinæ orthodoxia et sanctitas vitæ *ab Ecclesia probari* debent (3); et enim ad Ecclesiam pertinet supremum ac definitivum judicium de doctrina catholica, itaque et de testibus hujus doctrinæ authenticis.

Quidam Patres *eminenti sua doctrina conspicui*, insuper ab Ecclesia speciali titulo *doctoris Ecclesiæ* condecorati sunt. Ita in ecclesia latina s. Ambrosius († 397), s. Hieronymus († 420), s. Augustinus († 430) et s. Gregorius magnus († 604), qui præcipui seu *magni doctores* ecclesiæ latinæ laudantur; in ecclesia græca magni doctores

---

(1) Cfr O. Bardenhewer, *Patrologie*, Freib. in Br., 1910³.

(2) *Act. Apost.*, I, v. 1.

(3) Varia ratione, uti notum est, in decursu temporum facta est canonizatio sanctorum, quæ regitur nunc regulis a codice (can. 2136 s.) statutis. Nota quoad agnitionem Patrum ab Ecclesia, eamdem pariter vario modo obtinuisse: quandoque eorum auctoritatem *ut talium* invocando in conciliis, quandoque eorum scripta publice legendo post s. Scripturam, quandoque etiam expressis verbis quosdam appellando Patres, aliis semper omissis aut imo explicite rejectis; cfr Mazzella, *De religione et Ecclesia*, n. 346, 4, p. 280 s., Romæ, 1885³.

œcumenici inter Patres memorantur: s. Athanasius († 373), s. Basilius († 397), s. Gregorius nazianzenus († 390) et s. Joannes chrysostomus († 407).

Attamen sicuti existunt quidam Patres hoc speciali titulo doctoris non condecorati, ita etiam sunt quidam doctores Ecclesiæ, qui *eminenti doctrina theologica* atque *catholica* seu orthodoxa conspicui, *vitæ sanctitate* commendati, hoc titulo *ab Ecclesia* honorati sunt, quamvis ad antiquitatem non pertinuerint. Præcipui enumerantur s. Anselmus († 1109), s. Bernardus († 1153), s. Thomas († 1274), s. Bonaventura († 1274), s. Franciscus salesius († 1622) et s. Alphonsus de Liguorio († 1787), qui omnes, et certo recentiores, inter Patres Ecclesiæ non annumerandi veniunt, quoniam ad antiquitatem non pertinent.

Ab Ecclesiæ Patribus et doctoribus oportet denique distinguere *scriptores ecclesiasticos*, qui ad ecclesiam antiquam vel etiam antiquissimam pertinent, uti Tatianus, Athenagoras, Minucius Felix (omnes II sæculi) et qui eamdem *scriptis suis illustrarunt*, sed tamen inter sanctos ab Ecclesia canonizatos non computantur aut etiam, uti Tertullianus († c. a. 222-23) et Origenes († 254), ab orthodoxa doctrina defecerunt.

Jam autem in propositione nostra *Patres* intelliguntur *sensu lato* omnes isti viri ecclesiastici, sive sint Patres proprii nominis, sive sint doctores Ecclesiæ aut etiam scriptores ecclesiastici, ita tamen ut auctoritas Patrum et doctorum Ecclesiæ major sit quam ea quæ scriptoribus ecclesiasticis competit, et adhuc ii qui ab Ecclesia defecerunt, considerandi non veniant nisi in quantum cum testibus ac doctoribus authenticis in doctrina sacra consentiunt, uti infra enucleatius dicetur.

2/ Consensus Patrum debet esse *unanimis saltem moraliter*. Nota tamen de hoc consensu moraliter unanimi constare quandoque indirecte, quando v. g. *omnes Patres posteriores*, a momento quo res distinctius agitari cœpit, de eadem conveniunt; aut quando *plures* Patres ætate et

patria diversi eamdem doctrinam fidei, aliis non reclamantibus, inculcant; aut etiam quando *pauci* Patres, quasi personam totius Ecclesiæ sustinentes, quod ex adjunctis tunc constare debet, aliquam veritatem fidei, plaudente Ecclesia, uti dicitur, adversus hæreticos defendunt; ita v. g. s. Hilarius († 367), s. Athanasius, s. Basilius et s. Augustinus pro mysterio ss. Trinitatis; s. Cyrillus alexandrinus († 444), s. Gregorius magnus et s. Sophronius († 638) pro dogmate Verbi incarnati; s. Augustinus, s. Prosper aquitanus († c. a. 463) et s. Fulgentius († 533) in controversiis de gratia Christi (1).

3/ Hic consensus intelligitur *in veritatem revelatam;* neque refert utrum eamdem solummodo *testando* tradant an etiam authentice *docendo* quisnam sit sensus genuinus exponant.

Varia ratione alioquin constare potest de mente ipsorum veritatem aliquam revelatam testandi vel docendi, quando hanc etiam non explicitis verbis revelatam declarant; ut puta, quoniam contrarium vocant hæreticum, aut doctrinam fide credendam esse inculcant, aut ita cum Ecclesia catholica tenendum esse decernunt.

In rebus autem *mere* profanis Patres Ecclesiæ, utut consentientes, nullam specialem auctoritatem habent, sed « tantum pollet [eorum auctoritas] quantum ratio naturæ consentanea persuaserit » (2).

4/ Jam autem talis consensus moraliter unanimis Patrum in rebus fidei *exhibet irrefragabile testimonium*

---

(1) In hisce controversiis difficillimis sapientissime monuit s. Cœlestinus PP I, *Epist.* (21) « Apostolici verba præcepti » ad episcopos Galliarum (maii, 431), cap. 13. (*Enchir.*, n. 142): « Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere »; v. infra quæ de Patribus uti doctoribus *privatis* ac de interpretatione Patrum addimus.

(2) M. Canus, *De locis theologicis*, cap. 31, n. 1 (ed. nova, II, p. 56, Roma, 1900). — Sedulo tamen nota quæstiones per se philosophicas intimum aliquando habere nexum cum veritate revelata; cfr Franzelin, *De divina traditione et scriptura*, th. 12, p. 114 et th. 15, p. 143.

divinæ traditionis. Aliis verbis, quando Patres moraliter omnes aliquam veritatem *uti revelatam* testantur aut docent, omnino cautum est tale quid fuisse a Deo revelatum, sive hoc sit divinitus scriptum, sive sit oretenus transmissum ; unde et argumentum stricte theologicum ex tali consensu conficere licet, et quidem pro iis quæ in s. Scriptura continentur, etiam independenter ab auctoritate sacræ Paginæ (1).

Res autem satis obvia videtur. Et enim ex tractatu de Ecclesia liquet. quod supra rursus inculcavimus, magisterium ecclesiasticum divinitus institutum fuisse ut, Spiritu sancto assistente, depositum fidei sancte custodiret et fideliter exponeret (2).

Verum. *hic consensus Patrum* in hisce conditionibus non potest esse nisi *vox quasi repercussa ipsius magisterii*, ad quod magisterium alioquin plerique Patres suo tempore pertinuere ; a quo deinde omnes, sive sint Patres stricte dicti, sive sint Ecclesiæ doctores, oportet agnoscantur tanquam testes authentici catholicæ traditionis. Inde etiam, uti in præcedentibus jam animadvertimus. minus valent scriptores ecclesiastici, utpote non probati tanquam testes qualificati, et in specie adhuc scriptores ecclesiastici, qui a recte via deflexerunt, non considerantur, nisi in quantum cum veris Patribus consentiunt.

Hæc doctrina *nullatenus contradicit ordinationi Christi Domini*, quod contendunt protestantes, præeunte Luthero, qui scribebat: « Hoc objectum aliud nihil vult, quam quod solent jactare patres, patres, decreta, decreta, ecclesia, ecclesia, quoties nos a verbis Dei in verba hominum trahere conantur. Rursum si verbum Dei opponas, occlusis auribus clamant: non intelligis sane, expositioni Patrum credendum est. Ita sub nomine Patrum nobis exterminant verbum Dei. Nos quoque hic

(1) Impræsentiarum consideramus auctoritatem *theologicam* Patrum; *historice* vero idem consensus est criterium moraliter certum veritatis.

(2) *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 188 s. et p. 393 s.

dicimus et multo fortius clamamus: evangelium, evangelium, Christus, Christus » (1). Jam enim ex dictis apparet Patres id idem docere quod magisterium ecclesiasticum, quod collegium petro-apostolicum, et hoc rursus idem quod Christus, a quo divinitus institutum fuit (2).

Deinde talis doctrina *nullatenus est nova ;* et reapse jam a primis conciliis ad auctoritatem *theologicam* Patrum provocaverunt, uti supra pariter indicavimus (3).

Ex recte intellecta hac sententia *apparet etiam falsam esse opinionem aliam extremam*, nimirum jansenistarum, qui auctoritatem Patrum, imo ipsius solius s. Augustini præferebant auctoritati Ecclesiæ; quare merito damnata fuit hæc propositio ab Alexandro VIII: « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam » (4).

Et enim Patres *sejunctim considerati a consensu*, itaque *uti doctores privati*, quamquam venerationem merentur propter sanctitatem et doctrinam, nihilominus non talem auctoritatem habent ut, si graves rationes id postulent, debita cum reverentia, ab eorum placitis jam discedere non liceat. Quod monuit ipse s. Augustinus: « Neminem velim sic amplecti mea, ut me sequatur nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit: nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demon-

---

(1) *De abroganda Missa*, 2, in D. M. LUTHER'S *Werke*, *Kritische Gesammtausgabe*, VIII, p. 448, Weimar, 1888.

(2) Sæpius objicitur Patres antenicænos omnes errasse in quæstione millenarismi, quod omnino negandum, quia falsum; cfr FRANZELIN, *o. c.*, th. 16, p. 154 s.; aut etiam dicitur eos communi consensu conspirasse in quemdam subordinatianismum, quod pariter erroneum; cfr TIXERONT, *Histoire des dogmes*, I, passim et II, p. 20, Paris, 1909[6] et 1912[4].

(3) *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 368 et cfr MAZZELLA, *o. c.*, n 354, p. 288 s.

(4) *Decret. s. Officii*, 7 dec. 1690, ad n. 30 (*Enchir.*, n. 1320).

strem » (1). « Magis itaque standum est auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris », uti sapienter jam docuit s. Thomas (2); attamen statim addit: « et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet », quando nimirum in consensu, tanquam testes aut doctores authentici, veritatem uti revelatam proponunt.

Ex explicata propositione sequitur hæc præcipua *in interpretatione Patrum* attendenda esse:

A. Quoad veritates fidei, quæ statim ab initio vel saltem respectivo tempore, *in explicita prædicatione* Ecclesiæ fuerunt:

a/ *Admitti nequit error veri nominis*, ne quidem apud unum alterumve Patrem, siquidem tanquam testis authenticus doctrinæ catholicæ ab Ecclesia habetur.

b/ Attamen, salvo intellectu substantiali dogmatis, *admitti possunt explicationes minus cohærentes*, præsertim *modi dicendi minus limati*, itaque saltem specietenus minus cauti, quia, uti animadvertit s. Augustinus: « Disputans in ecclesia catholica non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur » (3).

B. Quoad veritates fidei nondum eliquatas, quæ *in implicita prædicatione* Ecclesiæ continebantur:

a/ *Excludi* debet omnis interpretatio, qua *cuncti aut plerique Patres* antiquiores, *in consensu* adeoque considerati, posterioribus Patribus in doctrina fidei adversari dicerentur; et revera repugnat ut alia ætate alius consensus in materia fidei obtinuerit, siquidem Patres in consensu cum magisterio ecclesiastico intimo nexu cohærent. Sanæ porro criticæ regula est in dubio et quoad textus ambiguos, eosdem ex lumine subsequentis consensus collustrare, quoniam posterior consensus non intelligitur

(1) S. Augustinus, *De dono perseverantiæ*, xxi, 55 (MPL, XLV, 1027); inde intelliguntur etiam verba s Thomæ, *Sum. theol.*, I, q. 1, a. 8, ad 2, circa finem. — Cfr adhuc Franzelin, *o. c.*, th. 15, p. 139 s. et Mazzella, *o. c.*, n. 350, p. 283 s.

(2) *Sum. theol.*, II-II, q. 10, a. 12, c.

(3) *Contra Julianum*, I, vi, 22 (MPL, XLIV, 654).

nisi apud priores quasi anticipationes ejusdem doctrinæ catholicæ adfuerint.

b/ Nihilominus *apud singulos Patres, extra consensum* consideratos, error erat possibilis, unde et quælibet ss. Patrum effata difficilia non debent per fas et nefas salvari, uti quidam theologi autumari videntur. Oportet tamen caute in hisce judiciis proferendis procedere et attendere primo quæ supra de locutionibus minus limatis et de textibus ambiguis diximus; deinde sanæ et objectivæ criticæ regula etiam est locos dubios et obscuriores ex aliis dictis certis et clarioribus ejusdem auctoris explicare et non vice-versa, et adhuc non sola verba sed et adjuncta ponderare et modum etiam considerare quo sententiæ proferuntur: an didactice, an rhetorice, an polemice; tandem non licet lumen ex communi persuasione ecclesiæ coævæ imo et posterioris affulgens negligere, ne litteræ nimis inhærendo, mens auctoris jam non capiatur (1).

In fine juvat paucis verbis responsionem contrahere; scripta Patrum sunt medium subsidiarium traditionis divinæ conservandæ et quando ex iisdem scriptis *certo constat* talem determinatam doctrinam uti revelatam a Patribus unanimi consensu proponi, habemus *criterium, cum magisterio infallibili intime nexum, ab eoque dependens*, ut *certo* dignoscamus *quid sit divinitus revelatum;* itaque in casu, argumento theologico omnino firmo, abstrahendo etiam a verbo Dei divinitus scripto, merito statuimus: tale quid, utpote divinitus revelatum, *fide divina* teneri debet et *dogma quoad se* constituit (2). H. Lamiroy.

---

(1) Cfr Bouquillon, *Theologia mor. fund.*, p. 38 s.. Brugis, 1903[3]; Van Noort, *De fontibus revelationis*, n. 173, p. 138 s., Amstelodami, 1911[2] et vide regulas de *critica interpretationis* apud R. De Schepper, *o. c.*, p. 86 s.

(2) De notione dogmatis vide *Collat. Brugen.*, XX, p. 10 s. et nota: quando Patres communi consensu aliquam doctrinam connexam cum revelatione ut veram et tenendam inculcant, quin tamen satis appareat utrum necne eamdem revelatam habeant, erit saltem *veritas theologica*, secundum regulas quæ in tractatu de fide latius explanantur; cfr Van Noort, *o. c.*, n. 172, p. 137 s.

III-IV.

De contractibus in genere IV.

Q. Quid *ex jure naturæ* valeant contractus tum *de materia turpi*, tum *sub conditione turpi ?*

R. Prœnotanda.

Ad debitam materiam contractus requiritur res possibilis, aliquo modo existens et determinata, pretio æstimabilis, in commercio posita; præterea res honesta, contrahentibus propria et alteri contrahenti aliunde indebita. Cum autem circa varias has dotes objecti seu materiæ contractus specialem difficultatem præ se ferat nota honestatis seu moralis liceitatis, hanc enucleare satagemus, inspecto primum solo jure naturæ, deinque additis addendis ex jure nostro civili, ad applicationem practicam in foro conscientiæ.

a/ Primo quidem distinguendus est contractus de *materia* seu de causa turpi a contractu de materia honesta sub *conditione* turpi.

Prior est ille quo uterque vel saltem alteruter contrahentium se *obligare* intendit ad aliquid turpe præstandum; potestque esse vel unilateralis, ut si puella fornicationem promittat juveni, vel bilateralis, ut in eodem casu si juvenis repromittat ipsi pecuniam. Non agitur ergo de contractibus quorum effectus immediatus sit *translatio dominii*, illicite peracta : nam profecto nemo irritam declarabit venditionem aliquam prodigam, quamvis illicita sit seu conjuncta cum peccato. Sed quæstio versatur circa conventiones de materia turpi quarum propria sit efficacia *obligationem parere*. Turpe autem objectum (1) pronuntiatur hic illud omne quod peccatum

(1) Agitur de objecto formali seu de causa contractus: « causa autem quæ hic consideratur est finis proximus seu intrinsecus factæ præstationis vel admissæ obligationis ; ac proinde in contractu oneroso erit alterius præstatio vel promissio, in contractu gratuito, ipse animus benefaciendi ». Vermeersch, *Quæstiones de Justitia*, n. 287. — Ad rem

est, scilicet in conscientia prohibitum sive a lege naturali, sive etiam a lege positiva justa (1) modo non sit pure pœnalis (2).

Contra, contractus sub conditione turpi est contractus unilateralis quo unus tradit rem honestam vel intendit se obligare ad rem honestam, v. g pecuniam dandam, matrimonium ineundum, sed sub conditione quadam turpi, ad quam tamen procurandam nemo se obligat. Turpis autem est hæc conditio quæ ad peccatum inducit seu excitat alterutrum contrahentem sive etiam tertium : ut si juvenis promittat puellæ pecuniam modo velit fornicari cum ipso, dum puella pactum accipiens non tamen repromittit fornicationem, sed libera vult manere faciendi vel non faciendi.

Pendet sane ab intentione contrahentium utrum ineatur contractus de materia turpi aut sub conditione turpi tantum; nec verba conditionata: *promitto si* indicant semper puram conditionem : potest enim intercedere repromissio alterius partis, et inde fieri contractus de turpi causa (3). In praxi tamen frequentior erit casus conditionis turpis.

Ulterius, distinguendus est contractus sub conditione turpi *suspensiva,* ut in exemplo proposito, et *resolutoria :* ut si quis det pecuniam viro acatholico, sub conditione reddendi si veram religionem amplectatur.

KISELSTEIN, *Revue Ecclésiastique de Liége*, 1922, p. 44: « ita in contractu venditionis, causa cur venditor se obliget est quia emptor pretium solvit propter rem; et causa cur emptor se obliget est quia venditor rem tradit propter pretium. Quod practice reincidit cum objecto formali venditionis. A causa autem distinguas *motivum* contractus extrinsecum et quasi finem operantis; qualis est intentio alliciendi puellam ad peccatum quam quis habet dum puellæ monilia gratuito dat ».

(1) Si enim injusta sit quædam lex civilis, patet non esse turpe per se pactum de hac lege violanda.

(2) Lex enim pure pœnalis conscientiam non ligat nisi disjunctive. Cf. tamen ILL. WAFFELAERT, *De Justitia*, I, n. 414.

(3) Cf. ILL. WAFFELAERT, *ib.*, n. 472.

Porro, non sunt confundendi contractus de causa turpi cum aliis contractibus plus minusve analogis, in quibus movetur promittens fine quodam pravo qui tamen extra conventionem manet: ut si quis venenum emat ad inimicum occidendum, aut puellæ munera tradat sine ulla stipulatione turpi, sed tamen ex secreta spe illam adducendi ad peccatum. Nullum enim dubium est jure naturæ valere hujusmodi contractus, quamvis facile tunc contra caritatem peccet alter contrahens, scandalo scilicet aut cooperatione.

Nec etiam turpis est omnis conditio quæ circa peccatum est, sed illa tantum quæ peccatum promovet; sicque optimus esset sequens contractus: dabo tibi 20 f. si blasphemavero; dum contra inhonestus esset iste: dabo tibi 20 f. si præceptum paschale implevero. Nunc ad rem properemus.

I/ *Contractus de materia turpi.*

Sententia longe communior theologorum tenet contractum quemlibet sive unilateralem sive bilateralem de peccato patrando esse jure naturæ non tantum illicitum sed *inexistentem:* nequit enim dari obligatio ad peccandum. Unde in contractu ejusmodi synallagmatico, homicidii v. g. ob pecuniam, cum deficiat in uno contrahente obligatio homicidii, deficit et in altero obligatio correspondens solvendi mercedem vi prædicti contractus. Item in contractu unilaterali, v. g. puellæ promittentis juveni fornicationem, nulla est ipsi obligatio adimplendi, sed e contrario obligatur ad non peccandum; et proinde inexistens est iste contractus, siquidem nullam parit obligationem nullumque jus concedit. Ergo, *ante patratum peccatum* nulla pecunia, nullumque pretium dari debet; imo nec dari potest, quia esset excitatio ad peccatum committendum. Et sicubi data jam fuerit merces hujusmodi, reddenda est, utpote sine titulo detenta.

Verum *post patratum opus* ab uno contrahente, utrum tunc ex justitia teneatur alter suas partes explere, seu ex

jure naturæ promissam solvere mercedem (1), intrincatior occurrit quæstio. Assentientes autem et hic sententiæ longe communiori, sic ratiocinamur cum *Vermeersch* (2):

1/ « Si aliquid pretio æstimabile ea intentione alteri præstiteris ut is reciproca et definita obligatione teneatur, hic, consensu quo sic factam præstationem admiserit, per se (seu jure naturæ) obligabitur ex justitia, nisi natura probetur eam obligationem respuere. Atqui opus turpe de quo agitur est hujusmodi facta præstatio, nec ostenditur natura esse huic obligationi contraria. Ergo.

Ad maj. Est enim consueta forma contractus realis quem *innominatum* vocant et exhibent hac formula: *facio ut des, vel ut facias.* Idem directe eo patet, quod per se efficiens est obligationis causa omnis consensus qui, ut consensus descriptus, habeat materiam et causam legitimam, nisi natura respuat hanc obligationem.

Ad min. α/ Factum turpe est *pretio æstimabile.* Ipsi enim inesse possunt rationes actionis delectabilis, utilis (non simpliciter, sed ad finem quemdam electum), laboriosæ, molestæ eam facienti et periculosæ. Facultas autem illud agendi est propria agentis. Atqui hæ rei propriæ rationes pretio æstimabiles sunt ex pactione. Ergo.

b/ Patet factum esse *præstitum ex animo alterum obligandi.*

c/ *Alter admisit præstationem sic factam.* Qui enim sic stipulatur: *si facis hoc, tibi promitto centum*, stante illo consensu, virtualiter acceptum habet illud idem, si fiat sub intentione obligandi illum ad solvendum centum. Nec possit revocato consensu se liberare, nisi monuerit alterum ne faciat. Sin minus, ut injustus deceptor, tenebitur de damnis.

---

(1) Hanc mercedem justam seu proportionatam supponere oportet, non vero excessivam; secus ad debitos limites reducenda est. Insuper debet esse honesta in se, seu novum peccatum non includere; nam si Petrus promittat occisionem inimici Pauli, et Paulus vicissim occisionem inimici Petri, profecto post primum homicidium patratum non obligat alterum.

(2) *Ib.*, n. 294.

d/ *Natura non ostenditur contraria huic obligationi.* Neque enim ex *objecto*, neque ex *causa*, neque indirecte ex *consectariis* ostenditur repugnantia. Et re quidem vera, *objectum* ponitur solutio rei indifferentis; *causa* est factum, non formaliter qua turpe, sed qua est aliquid pretio æstimabile in esse reali consistens. *Consectaria* quæ sanctioni obstiterint, fuerint favor datus rei turpi et animi additi ad peccandum. Jamvero ipsi delicto, utpote jam patrato, nequit jam efficienter faveri: similia autem facta non magis per se promoventur si sanctionem istam concesseris quam si eam negaveris. Si enim spes obtinendi præmium moveat ad delinquendum, spes nihil debendi moveat ad suadenda delicta et ad decipiendos simpliciores. Si qui favor ergo ab exsequente auferatur, simul tribuitur illi qui magis est reus, nempe instiganti vel auctori. Cum igitur, etsi illicite datus sit consensus et facta promissio, nulla tamen *universalis* ratio boni communis postulet infirmationem illius obligationis, natura non potuit nisi legi positivæ permittere arbitrium eam opportune inducendi » (1).

2/ Contra hanc sententiam alii quidam auctores, tum antiqui quorum s. Alphonsus probabilem judicat opinionem, tum moderni iique graves (2), tenent inexistentiæ prioris contractus nullatenus per positionem operis illiciti mederi posse, quoties materia contractus *substantialiter* turpis fuerit, ut in fornicatione, homicidio etc.; adeoque nec post factum promissam mercedem ex justitia esse

---

(1) Ad rem Ballerini-Palmieri, *Opus Mor.*, III, n. 586: « Duplex sane ibi intervenit contractus, alter *nominatus* promissionis acceptatæ, nempe de opere turpi pro pretio ponendo; alter *innominatus*, qui exurgit posito opere, nempe *do ut des*. Hujus vero natura est, ut perficiatur traditione: exigit porro, ut quoties alter contrahens partem suam implevit alter vicissim suam implere teneatur, si licite potest. Atqui profecto, opere impleto, præstatio pretii promissi licite fieri potest ».

(2) Cf. s. Alphonsum, *Theol. mor.*, III, n. 712 cum auctoribus ibidem citatis; et inter modernos cf. Carrière, *De contr.*, I, n. 330 sq.; Ill. Waffelaert, *ib.*, n. 415 sq.; Gousset, *Théol. morale*, n. 753; Tanquerey, *Syn. theol. mor.*, III, n. 644.

solvendam : nisi tamen malo dolo promittentis deceptus fuerit ille qui peccatum ex pacto commisit Si vero materia contractus fuerit in se bona, sed tantum vitiata ex adjunctis, ut labor servilis die prohibito, nec directe intenta fuerit circumstantia mala ita ut jam ad substantiam conventionis pertineat, tunc concedunt contra communiorem sententiam contractum jam ab initio validum fuisse, et post factum admittunt cum aliis obligationem justitiæ solvendi consuetum stipendium. Insuper aliqui eorum censent retineri posse mercedem, si forte post factum jam soluta fuerit pro opere substantialiter malo ; quia eam ut donationem gratuitam tunc habent. Non omnes tamen eodem modo resolvunt varios casus (1).

Porro argumenta quæ communiori sententiæ opponunt non videntur inanitatem aut invaliditatem demonstrare novi contractus innominati qui per ipsam positionem operis illiciti exoritur ; aliis verbis, eorum objectiones non satis ostendunt jus naturæ huic novæ obligationi repugnare.

Quod enim actio illicita non sit pretio digna, quatenus peccatum est, profecto patet : sed non venditur moralitas actus ; verum, ut audivimus, manet actio pretio æstimabilis quatenus uni parti delectabilis est aut utilis, v. g. pecuniarie, et alteri parti molesta, laboriosa, periculosa. Quod temporis tractu non firmetur illud quod ab initio non exstitit, non est ad rem : hic enim ratio firmitatis ex novo contractu desumitur ; et sane contractus inexistens potest esse occasio alterius contractus jam validi, cum hic subsistat æstimatio utrinque facta operis illiciti, hæcque æstimatio non corruat cum invaliditate prioris conventionis. Quod solutio pretii post patratum opus contineat approbationem peccati commissi, non est necessario verum, et ceteroquin nimis probaret : illicitam nempe esse etiam liberalem solutionem seu gratifica-

(1) Cf. Kiselstein, *ib.*, p. 47 et 48.

tionem; quod nemo admittit (1). Tandem quod lex naturalis sanciens obligationem solvendi, ad peccatum incitaret, non est rursus per se verum, sed tantum per accidens (2); ceterumque retorquetur argumentum.

Accedit quod novus ille contractus innominatus etiam necessario supponendus videatur in sententia illorum qui admittunt solvendum esse pro contractu de materia turpi solummodo ex adjunctis: nam nec prior ille contractus bilateralis ullam inducere potuit obligationem peccandi ante patratum opus, et proinde inexistens et ipse apparet. Unde si novus non oriatur, non erit ex justitia solvendum : neque vi prioris conventionis, neque sane vi nudi facti, absque conventione.

Tandem qui censent retineri semper posse mercedem post factum solutam, animum benevolum donantis in multis casibus gratis supponere videntur, cum potius errorem ejus substantialem conjicere fas esset.

« *Practice* tamen, qui nondum solvit pretium, non videtur ad id obligandus. Nam eum a solutione liberant ii omnes qui sententiam negantem ut probabilem habent, s. Alphonsum secuti » (3). Attamen, acceptum jam post

---

(1) « In accipienda vel exigenda mercede pro peccaminosa actione posita id practice tamen est cavendum, ne nova complacentia et approbatione peccati denuo peccatur ». LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, I, n. 1251.

(2) « Incitaret ad peccatum, per se, nego. Per accidens, concedo vel transmitto. Nam licet permittat quamdam temporalem utilitatem percipi ex peccato, simul minatur æternam ruinam. Unde per se maxime avertit animos a peccato; per accidens fit ut quidam magis moveantur parvo lucro temporali quam æterno supplicio vel præmio. Sed si ideo lex naturalis infirmare deberet hujusmodi contractus, invalidum foret matrimonium celebratum contra justam voluntatem parentum, frustra niteretur paterfamilias dissipare pecunias, etc. ». VERMEERSCH, *ib.*, n. 295.

(3) GÉNICOT-SALSMANS, *Theol. Mor.*, I, n. 584. — Proinde ex admissa probabilitate hujus sententiæ non tenebitur vir, in contractu bilaterali de fornicatione et matrimonio, ad ducendam puellam etiam post patratum opus illicitum. Nisi tamen malo dolo usus fuerit, ficte promittens vel ab initio volens abuti ignorantia puellæ et contractum non adimplere: tunc enim ad matrimonium *per se* tenebitur, ad compensanda damna. Ceterum, extra hunc casum injustæ fraudis, aufertur

opus pretium poterit altera pars jure naturæ semper retinere, nempe ex probabiliore sententia, et hoc etiamsi solutio animo liberali nequaquam peracta fuerit.

II. *Contractus sub conditione turpi.*

1/ Conditio turpis potest esse non solum suspensiva, sed etiam *resolutoria*, ubi scilicet jam ab initio perficitur contractus adestque jus acquisitum, etsi nondum definitivum; sed ubi impleta conditione conventio resolvitur et nunquam exstitisse censenda est. ut si quis det Titio centum, sub conditione reddendi si Titius postea sacramenta frequentet.

Talis contractus omnium consensu validus est, quia materia ejus est honesta et quia statim producit effectum stricti juris seu concedit jus acquisitum, dum simul nemo ad peccatum se obligat, nec aliunde jure naturæ apparet universalis ratio invaliditatis. Itaque verificata conditione, reddenda est pecunia, saltem jure naturæ (1); deficiente vero ea, contractus fit denique absolutus et definitivus.

Interim tamen illicita est hujusmodi conventio, quia excitat ad peccatum; et ideo virtus quæ inde periclitatur obligat contrahentes ad fomitem peccati quantocius removendum, resiliendo nempe spontanee conventionem, sive mutando ejus clausulas, sive alio efficaci modo pro circumstantis.

2/ Ubi vero agitur de conditione turpi *suspensiva*, v. g.

---

jam momentum practicum hujus casus diu celebris per canonem 1017 Nov. Juris, qui quamlibet matrimonii promissionem in utroque foro irritat nisi debitis formalitatibus fuerit stipata. Verum est aliquam adhuc obligationem hic pro viro afferri posse ex jure naturali, impediendi nempe pro posse futura puellæ damna ex recusato matrimonio forsan oriunda, perinde ac ille qui inadvertentur causat incendium tenetur ad illud pro posse extinguendum. Sed hæc obligatio non urget cum pari incommodo, imo nec cum incommodo relative gravi.

(1) Attamen quandoque retineri poterit: nimirum quando probabile est datorem per errorem tantum et bona fide apposuisse conditionem hanc ita ut non fecisset si scivisset turpem; aut saltem prædominantem habuisse voluntatem gratificandi et relinquendi pecuniam alteri parti, etiamsi postea conditio verificaretur, ut sæpius conjicere liceret si post factum non reclamet.

de promissione pecuniæ sub conditione fornicationis, iterum sententia longe communior atque probabilior (1) tenet *post purificatam conditionem* obligationem justitiæ dari ad solvendum, seu ad exsequendum promissum. Contra, opposita sententia rursus hanc conventionem etiam verificata conditione prorsus nugatoriam existimat.

Inter illos vero auctores qui veriori adhærent sententiæ, discrepantia datur in modo explicandi. Plerique scilicet nullam distinctionem ponunt, quoad validitatem actus, inter contractum de conditione suspensiva turpi et contractum de materia turpi; sed eodem modo utrumque inexistentem declarant, quia nullam producit obligationem; impleta autem conditione turpi, non secus ac impleto opere illicito in altero casu, novum contractum innominatum oriri dicunt, qui validus est et stricte obligat ex jure naturæ.

Alii vero theologi (2) illicitum quidem, sed tamen validum habent ipsum contractum sub conditione turpi suspensiva, utpote producentem veram aliquam obligationem, utique conditionatam pro natura contractus, præstandi nempe promissum purificata conditione. Quæ quidem explicatio practice seu quoad consequentias in idem recidit ac prior expositio; speculative vero difficultatem facessere videtur. An enim vi contractus istius existit obligatio hæc hypothetica, v. g. dandi pecuniam sub conditione fornicationis? Numquid virtus castitatis in casu non obligat promittentem ad fomitem peccati quantocius auferendum, rescindendo nempe contractum et monendo alteram partem, aut certe mutando clausulas? An proinde dici potest ex tali contractu oriri obligationem servandi animum solvendi si conditio verificetur? Videtur potius ad id unum hucusque teneri promittentem, nempe ad resolvendam conventionem cum moni-

---

(1) De probabilitate oppositæ sententiæ hic merito dubitatur; et pauciores adhuc sunt auctores qui eam sequuntur.

(2) Cf. v. g. Ill. Waffelaert, *ib.*, n. 474; Kiselstein, *ib.*, p. 109 sq.

tione compartis; quod si præstiterit, non utique servabit animum solvendi si fornicatio fiat, quia ipsum suppositum de medio tolletur. Obligatur ergo ad hunc animum solvendi non servandum.

Sed profecto, si hunc animum non deposuerit, post purificatam conditionem ad solvendum tenebitur; non quia ad aliquid prior contractus obligabat, verum ratione novi contractus innominati supervenientis. Vel aliis verbis: non vi prioris contractus, sed occasione ejus et vi contractus novi jam tenebitur; sicut etiam communius docetur circa contractum de materia turpi.

E. Hosten.

V.

De subjecto legis ecclesiasticæ particularis.

Q. *Explica canonem* 13, § 2.

R. Juxta canonem 12, ut quis possit legibus mere ecclesiasticis teneri, oportet et sit baptizatus, et fruatur sufficienti rationis usu, et septennium expleverit, nisi aliud jure expresse caveatur.

Sed oritur nunc quæstio: quinam inter illos qui possint ligari, de facto obligentur; cui Codex respondit in canone 13° distinguendo:

« § 1. Legibus generalibus tenentur ubique terrarum « omnes pro quibus latæ sunt.

« § 2. Legibus conditis pro peculiari territorio ii sub- « jiciuntur pro quibus latæ sunt, quique ibidem domici- « lium vel quasi domicilium habent et simul actu com- « morantur, firmo præscripto can. 14. »

Hæc ultima tantum paragraphus hic est explicanda. Porro:

1°/ Notandum: hic *leges conditas pro peculiari territorio* contraponi *legibus generalibus* de quibus in § 1. Hac terminologia videtur Codex uti ad præcavendas confusiones; minus enim recte legibus generalibus opponeren-

tur leges dictæ *particulares*, quum sub hoc vocabulo etiam intelligi possint leges quæ determinate afficiunt homines alicujus conditionis, v. gr. leges latæ pro regularibus. Jamvero hujusmodi leges, utut particulares, tamen in toto orbe vigent, et juxta can. 13 § 1 generales sunt etiam dicendæ. Attamen, quum apud AA, etiam apud recentiores commentatores Codicis, leges pro peculiari territorio conditæ sat communiter *particulares* vocentur et imo ipse Codex, nempe in can. sequenti, hoc vocabulo utatur, potius ad conditiones earum legum quam ad nomen erit attendendum.

Omnino vero perpere, ut olim fiebat, leges pro peculiari territorio conditæ *territoriales* dicerentur (1). Lex enim *territorialis*, ut supra (2) vidimus, *personali* contraponitur, atque hæc distinctio tanquam subdivisio est adhibenda legum pro peculiari territorio conditarum: hæ enim ferri possunt ad subditos obligandos in territorio, et tunc sunt territoriales, vel ad illos obligandos etiam extra territorium, et tunc sunt personales.

Immerito etiam restringeretur ambitus paragraphi ad solas leges latas a prælato S. Sede inferiori seu, ut quandoque dicunt, a legislatore particulari. Etiam nunnunquam S. Sedes pro peculiari territorio fert leges et de his etiam in explicanda paragrapho ratio est habenda.

2°/ Ut quis nunc his legibus ab Ap. Sede vel a legislatore inferiori latis subjiciatur, præter conditiones generales supra indicatas, requiritur:

a/ Ut pertineat ad illam classem personarum quam legislator obligare vult, seu, ut ait Codex, ut leges *pro ipsis sint latæ*. Etsi enim de ratione legis sit ut feratur pro communitate, necesse tamen non est ut omnes et singuli de communitate omnibus et singulis legibus teneantur; ita lex ecclesiastica quandoque directe respicit certum genus personarum, v. gr. parochos, clerum, con-

---

(1) Ita inter alios Bouquillon, *Theol. Mor. Fundam.*, 3a ed. n. 157
(2) *Collat. Brugen.*, t. XXIII 1923, p. 200 s.

fraternitates; quod non impedit legem ferri intuitu boni communis, quia communitatis multum interest ut quædam membrorum genera speciatim curentur et foveantur, aut in officio contineantur (1).

b/ Ut *pertineat ad territorium*, seu potius ut membrum sit communitatis, quæ sedem suam habet in territorio peculiari pro quo leges feruntur. Membrum autem communitatis, adeoque subditus auctoritatis in loco constitutæ, aliquis fit per domicilium vel quasi-domicilium in eodem loco (2).

Hinc patet S. Sedem, quando fert leges pro peculiari territorio, alios regulariter obligare *non velle* quam subditos auctoritatis in hoc territorio constitutæ seu membra communitatis lege capacis in hoc territorio consistentis. Quod legislatorem inferiorem attinet, conditio allata omnino requiritur vi principii generalis, juxta quod jurisdictio exerceri directe non valet nisi in solos subditos (can. 201).

c/ Tandem requiritur ut *simul actu commoretur*, id est ut de facto reperiatur in territorio, in quo domicilium vel quasi-domicilium habet et pro quo lex a S Sede vel a prælato inferiori fertur.

Ratio hujus conditionis esse videtur: quia absentes a territorio plerumque nihil conferre possunt ad finem specialem, quem intendit lex, lata pro circumstantiis et exigentiis localibus.

His igitur tribus conditionibus continetur *regula generalis* de extensione legum pro peculiari territorio conditarum: *regulariter sunt territoriales et solos incolas et advenas obligant* (3).

3°/ Dicimus *regulariter*, quia ultimis verbis canonis « *firmo præscripto can. 14* » quasdam esse exceptiones

---

(1) Cf. VANDEN BERGHE, *De Legibus*, 1904, p. 4.

(2) Vide notiones domicilii et quasi-domicilii ad can. 92, necnon apud *Collat. Brugen.*, XXI, p. 149 s.

(3) « Persona dicitur: *incola* in loco ubi domicilium, *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet... » Can. 91.

regulæ generali statuitur. Secunda nempe et tertia conditio non sunt ita absolute necessariæ ut nunquam exceptionem patiantur; vi enim canonis 14, leges pro peculiari loco conditæ, ut in proximo responso explicabitur, quandoque illos obligare possunt, qui dum domicilium vel quasi-domicilium in territorio a lege intento habent, tamen de facto ab eodem absunt; quandoque etiam ligare possunt illos, qui in territorio a lege intento simpliciter commorantur, quin ibidem ratione domicilii vel quasi-domicilii subditi sint.

Breviter: leges pro peculiari territorio constitutæ *exceptionaliter* personales esse possunt, *exceptionaliter* etiam valent peregrinos obligare.

Hæ exeptiones nequaquam fundamentalibus principiis juris adversantur. Jam olim exposuimus nihil obstare quominus leges ab inferiori prælato, puta ab Ordinario loci, latæ personales sint; a fortiori, ut patet, hanc proprietatem habere possunt, leges quæ pro particulari loco ab auctoritate suprema feruntur.

Sed nec magis obstat quominus legibus pro peculiari loco conditis peregrini et vagi obligentur: verum est hic deficere titulum ordinarium subjectionis superiori locali; sed huic auctoritati locali aliunde submitti possunt peregrini et vagi, nempe vi potestatis superioris sive juris naturalis, sive juris communis ecclesiastici. Quod de facto ita sit et quibusnam in casibus, liquet ex canone 14, in proximo responso explicando.

R. Deschepper.

VI.

De rectoribus ecclesiarum.

Q. *Determina notionem et indica jura rectorum ecclesiarum.*

R. I. **Notio rectoris.** Rector ecclesiæ vocatur *sacerdos « cui cura demandatur alicujus ecclesiæ, quæ nec parœcialis sit, nec capitularis, nec adnexa domui communitatis religiosæ quæ in eadem officia celebret »* (can. 479, § 1).

Dicitur 1° *cui cura demandatur alicujus ecclesiæ*, sive sit ecclesia stricte dicta ad sensum can. 1161, sive sit oratorium publicum quod, juxta canonem 1191, § 1, eodem jure quo ecclesia regitur (1);

2° *quæ nec parœcialis sit.* Ergo ecclesia cui rector præficitur non est addicta servitio parœciali nec ecclesiæ parœciali adnexa sed ab ea est separata et independens (2) subjectaque immediate Episcopo;

3° *nec capitularis*, habens nempe collegium canonicorum qui sacras functiones in ea exercent;

4° *nec adnexa domui communitatis religiosæ quæ in eadem officia celebret.* Omnis enim constituendæ novæ domus religiosæ permissio facultatem secum fert *pro religionibus clericalibus* habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum et sacra ministeria, servatis servandis, in eodem peragendi (can. 497, § 2).

Tales sunt ecclesiæ vel oratoria publica Seminarii, collegii puerorum, hospitalis, etc. Curam hujusmodi ecclesiarum et rerum ad eas pertinentium necnon actuum divini cultus qui in ea peraguntur, gerunt et moderantur rectores participata Episcopi auctoritate, quin tamen, saltem ex jure communi, vera jurisdictione polleant, utpote carentes subditis.

II. **Jura rectorum.** *Principium generale* est rectorem ecclesiæ non posse in ecclesia sibi commissa *functiones parœciales* peragere (can. 481), nisi hoc sibi ex jure communi (3), ex indulto Apostolico, ex decreto Concilii provincialis (4) vel Episcopi, aut ex consuetudine con-

---

(1) Excluduntur proinde jure communi qui præficiuntur oratoriis semi-publicis.

(2) Ipsæ rectorum personæ, si non sint exemptæ, quamvis liberæ sint a servitio ecclesiæ parœcialis, juribus tamen parochialibus subjacent.

(3) Ita rector Seminarii pro omnibus qui in Seminario sunt parochi officium obit, can. 1368. Cf. etiam can. 1230, § 3, quoad exsequias in ecclesia exempta a jurisdictione parochi.

(4) Ita in provincia Belgii, rector Minoris Seminarii, uti apud nos erectum reperitur, ex Conc. Mechlinien. IV, can. 165. Cf. etiam *ibid.*, sectio disciplinaris, tit. III, *de aliis sacerdotibus curam animarum habentibus*. Illi omnes stricte dicti rectores ecclesiarum non sunt.

cessum sit, nullamque habere vi muneris, *proprie dictam jurisdictionem*, etiam fori interni; sed tantum posse exercere *officia divina functionesque mere sacerdotales* et habere dumtaxat *œconomicam* seu *administrativam* quamdam potestatem, qua uti valet ad rite administrandam suam ecclesiam quoad spiritualia et temporalia et bonum ordinem in ea tuendum. Inde:

1° « Ecclesiæ rector potest *divina officia* etiam sollemnia ibidem celebrare, salvis legitimis fundationis legibus et dummodo non noceant ministerio parœciali; in dubio autem utrum hujusmodi detrimentum contingat necne, Ordinarii loci est rem dirimere et opportunas normas præscribere ad illud evitandum » (can. 482). Ita posset Episcopus horas sacrorum rituum aut prædicationis præfinire ne nocumentum afferatur catecheticæ instructioni aut Evangelii explicationi in ecclesia parœciali tradendæ (1).

Officia divina quæ a rectoribus in suis ecclesiis peragi possunt præcipue sunt: Missæ privatæ et sollemnes, benedictio et distributio candelarum, cinerum et palmarum, functiones hebdomadæ sacræ, expositio quadraginta horarum, denuntiatio festivitatum, vigiliarum et jejuniorum, aspersio aquæ benedictæ ante Missam diebus dominicis, etc.

2° « Sine rectoris vel alius legitimi Superioris (præprimis Ordinarii loci) licentia saltem præsumpta, *nemini* licet in ecclesia Missam celebrare, Sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere; hæc vero licentia *dari* vel *negari* debet ad normam juris » (can. 484), nempe quoad Missæ celebrationem juxta can. 804, quoad confessionem juxta can. 874, quoad conciones juxta can. 1341, § 2, etc. Attamen parochus loci ex rectoris ecclesia SS. Sacramentum ad infirmos deferendum libere desumere potest in casu necessitatis aut si absque gravi incommodo propriam ecclesiam adire nequeat (can. 483, 2°).

---

(1) Cf. can. 1171; 609 § 3.

3° Jus habet *acceptandi et administrandi* ad normas juris tum *bona* quæ destinata sunt reparandæ decorandæque ecclesiæ divinoque in ea cultus exercendo, nisi aliud ex speciali titulo vel ex consuetudine constet, tum *oblationes et donationes* in commodum ecclesiæ factas (can. 1182, 1536).

4° Ad ipsum spectat, salva Ordinarii auctoritate et salvis legitimis consuetudinibus et conventionibus, nominatio, moderatio et dimissio sacristæ, cantorum, omniumque ecclesiæ inservientium (can. 1185).

5° Potest reconciliare ecclesiam *benedictam* rector ejusdem vel quilibet sacerdos de ipsius consensu saltem præsumpto Imo in casu gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius adiri nequeat, rectori ecclesiæ *consecratæ* eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario (can. 1176, § 1 et 3);

6° Impertire potest pro sua ecclesia, ad normam legum liturgicarum benedictionem sacræ supellectilis (can. 1304, 3°);

7° Præterea cum obligationes ejus totidem constituant jura, jus et officium habet, sub auctoritate Ordinarii servatisque legitimis statutis ac quæsitis juribus, curandi seu advigilandi ut divina officia ad sacrorum canonum præscripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera missarum et fundationum fideliter adimpleantur, bona rite administrentur, sacræ supellectilis atque ædium sacrarum conservationi et decori prospiciatur, et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiæ domo Dei debitæ quoquo modo repugnet (can. 485); itemque sedulo advigilandi ne sacræ reliquiæ ullo modo profanentur, neve hominum incuria pereant, vel minus decenter custodiantur (can. 1289, § 2).

A. De Meester.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis novembris propositas.

—

I.

In Matthæum, XII, 31-32.

Q. *Interpretare* Matth., *XII, 31-32.*

R. Adjuncta quibus hoc Jesu effatum respondet simul cum contexta oratione habes exposita supra, pp. 32 s. Ultimo monuerat Jesus Pharisæos sibi adversarios relate ad ipsum ipsiusque opus non dari locum neutralitati, et satis manifeste hostilitatem eorum proclamaverat; nimirum, ut ex omnibus præcedentibus colligitur, opera quæ Jesus manifeste per divinum interventum, seu ut, præludens nunc jam dicendis, dixerat v. 28 « *in spiritu Dei* » faciebat, unice ex animo hostili et mala voluntate interventui diaboli adscripserant. — In sequentibus in lucem ponit gravissimum peccatum cujus reos se fecerunt, vel saltem cui committendo se exponunt: *Ideo*, ut notum vobis sit quam horrendum sit istud peccatum et quanto periculo vosipsos exponatis, *dico vobis* ..

Porro quæ nunc a Jesu edicuntur inter difficillima effata Scripturæ sacræ computantur, teste s. Augustino, *Serm. II de verb. Dom.* : « Forte in omnibus sanctis Scripturis nulla major quæstio, nulla difficilior inveniatur ». — Et quidem duo inquiruntur: 1°/ Quid intelligatur per Spiritûs blasphemiam; 2°/ quonam sensu et quare irremissibilis dicatur.

I. Quid sit *Spiritûs blasphemia*, seu peccatum illius « *qui blasphemaverit in Spiritum sanctum* » (*Mc.* et *Lc.* l. parallelo), ex contextu tum mediato tum immediato

deduci debet. Revera illius peccati rei sunt vel saltem in illius periculo versantur Pharisæi quos Jesus redarguit; quid autem agunt illi? Modo plane absurdo et contra omnem rationem (cfr v. 25-26), ex manifesta acceptione personarum, adeoque modo plane injusto (cfr v. 27), miracula quæ manifeste interventui divino tribuenda sunt (cfr v. 28), quæque manifeste opponuntur diabolo (cfr v. 29), ita ut vel ipsæ turbæ incipiant Jesum humilem suspicari esse Messiam (cfr v. 23), — Pharisæi, nullo adducto motivo (1), interventui diaboli verbis blasphemis adscribunt, Jesumque qua instrumentum principis dæmoniorum accusant (cfr v. 24; coll. *Mc.*, III, 30: *Spiritum immundum habet* (2).

Unde vere ex destinata malitia et contra propriam animi sui persuasionem, opera evidenter divina Deo denegant; ex pura malitia iis ipsis resistunt eaque ipsa excludunt quibus Deus eos ad salutem adducere conatur (3).

Et hæc specifica blasphemiæ Spiritûs malitia ex v. immediate sequente iterum apparet. Hoc enim v. 32 habetur applicatio quædam ulteriorque explicatio principii generalis in v. 31 enuntiati. Dictum est v. 31: *Omne peccatum, et* in specie omnis quoque *blasphemia*, seu, ex usu biblico, locutio contumeliosa in Deum, positis ponendis, *remittetur hominibus; Spiritûs autem*

---

(1) Nota vel ipsam constructionem phraseum in vv. 23 et 24: « *Turbæ... dicebant: Numquid hic,* οὗτος, *est Filius David? Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic,* οὗτος, *non ejicit dæmones nisi in Beelzebul...* »

(2) Præterea fidem nascentem in animis turbæ exstinguere satagunt; — ast non videtur hæc species scandali sub voce blasphemiæ in Spiritum comprehendi.

(3) Ad litteram hîc verificatur descriptio quam Catechismus noster (38 l., 8 vr.) peccatorum contra Spiritum sanctum exhibet: « *Die uit enkele boosheid geschieden, — en* [*rechtstreeks*] *strijden tegen de goddelijke bermhertigheid* », quatenus nempe præcise ea despiciunt, avertunt et rejiciunt quibus misericordia divina ad gratiam et salutem eos perducere conatur. — Peccatum de quo h. l. agit Jesus illud est de quo Catechismus: « *de welbekende waarheid bestrijden* ».

blasphemia non remittetur. V. 32 hæc dicta de remissibilitate vel irremissibilitate blasphemiæ ulterius explicat: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis* (1), *remittetur ei:* en blasphemia, nam locutio contumeliosa in Jesum qui Deus est, sed remissibilis; ea est quam s. Hieronymus apte describit: « Qui.... scandalizatus carne mea, et me hominem tantum arbitrans, dixerit quod filius sim fabri, et fratres habeam, Jacobum, et Joseph et Judam; et homo vorator et vini potator sim, talis opinio atque blasphemia, quamquam culpa non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis vilitatem », quia nimirum ut homo vilis et humilis ipsi appareo. — Huic blasphemiæ remissibili alia irremissibilis opponitur: « *Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei...* », i. e. ut textu citato pergit s. Hier.: « Qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum de virtute negare non possit, eadem, stimulatus invidia, calumniatur.. et opera Spiritus sancti dicit esse Beelzebub: isti non dimittetur ».

Ex dictis apparet hanc blasphemiam non hoc sensu dici *contra Spiritum sanctum*, quasi speciali quodam modo impeteret tertiam Personam ss. Trinitatis, potius quam Patrem aut Filium, sed hoc sensu quod directe adversatur manifestæ *activitati divinæ*, quam, usu biblico Veteris Testamenti, *Spiritum* Jesus denominat (2).

II. Quare et quonam sensu dicatur hæc blasphemia Spiritûs *irremissibilis*, non ita convenit inter antiquos recentesque exegetas et theologos.

---

(1) Omnino immerito quidam voluerunt *Filium hominis* intelligere de communi quodam homine, quasi hoc tantum Jesus dicere voluisset: verbum contumeliosum in Deum esse gravius verbo contumelioso in hominem aliquem. — *Filius hominis* hîc sine dubio significat ipsum Christum, connotata humilitate originis et conditionis ipsius.

(2) Nihil tamen impedit quominus *per appropriationem* dicatur hujusmodi blasphemiam speciali modo tertiæ Personæ adversari; hac enim blasphemia contradicitur iis quæ *caritas* Dei, quæ speciali modo Spiritui sancto appropriatur, in salutem hominum ordinavit.

Multorum opinio est hoc a Jesu edici: blasphemiam illam *difficile* remitti, *raro* remitti (1). — Fatendum tamen est non pauca huic interpretationi posse opponi: *a*/ Præmisso principio generali: *omne peccatum et* in specie omnis *blasphemia*, positis ponendis, *remittetur hominibus*, — statim additur exceptio: *Spiritûs autem blasphemia non remittetur*. — Num obvium est cogitare hanc exceptionem ipsam habere exceptionem: « interdum tamen remittetur », ita ut regula generalis iterum sit applicanda? — *b*/ Tanta insistentia inculcatur irremissibilitas blasphemiæ Spiritûs ut, nisi aliunde cogamur, nullo jure eam limitare possimus: etenim « *Non remittetur* » dicitur absolute, in v. 31; « *non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro* », dicitur in v. 32; « *non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti* », dicitur *Mc.*, III, 29. Porro, ut infra dicemus, rationes his absolutis expressionibus apponendi restrictionem non dantur. — *c*/ Tandem suo valore non vacat hæc animadversio (2) hujusmodi rationem interpretandi januam aperire abusibus et difficultatibus. Quid enim si vellem demonstrare necessitatem fidei christianæ ad salutem per hæc verba Christi: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur*, — quid si objiceret quis hæc verba posse forte audiri: qui non crediderit, *difficile* salvus erit, seu: *plerumque, fere semper* condemnabitur?

Ob has rationes præferenda videtur hæc alia quorumdam (3) sententia, pro qua etiam inter veteres non pauci citantur (4), juxta quam hoc effato evangelico vere enun-

---

(1) Multorum auctorum testimonia in hunc sensum vide apud *Revue Biblique*, 1892, pp. 163 s. (KNABENBAUER), et, exinde desumpta, apud *Collat. Gandav.*, 1912, t. IV, pp. 226 s. (VAN ONGEVAL).

(2) VAN ONGEVAL, *l. c.*, p. 227.

(3) Cfr KNABENBAUER, VAN ONGEVAL, *ll. cc.*

(4) Ita a KNABENBAUER, *l. c.*, citantur: s. HILARIUS, s. ATHANASIUS, s. CHRYSOSTOMUS, s. AMBROSIUS, s. HIERONYMUS, s. AUGUSTINUS aliique, quorum mentem sequitur VEGA (*Tridentini decreti de justificatione expositio*, l. 13, c. 9, Compluti, 1564, p. 448): « Verum enimvero

tiatur lex quædam a divina Providentia in distributione gratiarum statuta: Blasphemia Spiritûs *de facto non remittetur*, eo nempe quod Deus, qui libere disponit de gratiis suis, statuerit se hujusmodi peccati reos relicturum in reprobo suo sensu, seu, quantumvis ipsis præsto esse possint gratiæ sufficientes, quibus possent converti, eis denegandas esse gratias illas abundantiores et efficaces quibus de facto converterentur.

Neque est cur huic sententiæ *objiciatur:*

a/ *Voluntas Dei salvifica universalis.* Etenim voluntas hæc, quod adultos spectat, habet ut omnibus hominibus dentur auxilia sufficientia ad salutem, non autem ut de facto, gratiis efficacibus, omnes ad salutem adducantur. Non ergo huic voluntati contradicit Deus dum sinit plures peccatores, puta blasphemos in Spiritum sanctum, *de facto* mori in impœnitentia finali. — Et nonne etiam his blasphemis, tum ante peccatum suum, tum imò adhuc post illud possunt hæc auxilia sufficientia adesse?

b/ *Potestas clavium vere universalis Ecclesiæ concessa.* Etenim hæc potestas clavium habet ut Ecclesia possit relaxare quælibet crimina, quantumvis horrenda, *quæ ipsius potestati subjiciuntur* et *de quibus peccator sinceram habet pœnitentiam.* Jamvero, in sententia nostra, blasphemus in Spiritum sanctum de facto non habebit pœnitentiam neque peccatum suum potestati Ecclesiæ debito modo subjiciet.

c/ Sed nonne hæc theoria nata est aliquot *peccatores*, qui tamen resipiscere vellent *in desperationem dejicere*, dum forte cogitarent se illius peccati esse reos? — Et nonne nata est etiam *ministros Ecclesiæ* adducere *ad neglectum* omnis conaminis conversionis relate ad quosdam peccatores? — Respondetur: Nequaquam! Quod enim ipsum peccatorem spectat, num unquam certus est

---

cum altius mecum et maturius expendo, quæ Marcus contra hoc peccatum prolata a Christo retulit, ne vis ulla fieri videatur Scripturis, germanius et simplicius putarem concedere peccatum in Spiritum Sanctum ejusmodi esse, ut *licet remissibile sit, numquam tamen remittatur* ».

sese vere et pleno sensu reum esse talis peccati? Imo, nonne eo ipso quod *vult* resipiscere, apparet ipsum non habere tale peccatum: hoc enim si haberet, resipiscere non vellet. — Quod vero ministros Ecclesiæ spectat, quis ipsis ostendit tales vel tales homines vere talis criminis esse reos? Et, ut exemplo concreto res pateat, numquid ipsi Pharisæi quos alloquitur Jesus, et, multo magis, numquid *omnes* illi tamquam, subjective saltem, rei blasphemiæ in Spiritum haberi debent? Nonne gravissima verba Jesu intelligi possunt tamquam monitum ex vera caritate procedens, ostendens Pharisæis quanti peccati *periculo* se exponunt? Nonne eorumdem auditorum conversioni potuit adhuc postea allborare Jesus, nonne potuerunt et Apostoli? — Tandem advertenda est ultima jam addenda animadversio.

Putamus ergo nihil obstare quominus verba Christi sensu illo absoluto audiantur quo obvio sensu dicuntur: enuntiant veram quamdam *legem providentiæ divinæ* in distributione gratiarum: talium criminum (1), ubi vere adsunt, resipiscentiam, gratia sua efficaci non largitur Deus, adeoque, *vi hujus legis*, hujusmodi criminum remissio exspectanda non est (2). — Et tamen, tantis encomiis in singulis fere paginis Scripturarum celebratur divina misericordia, tam absoluta et irrestricta extollitur ab Ecclesia hujusque doctoribus et ministris, tam profunde insidet animis fidelium illimitata in divinam

(1) Alia est quæstio num præter blasphemiam Spiritus de qua h. l. agitur, alia hujusmodi crimina in Scriptura occurrant eodem modo irremissibilia. Et quidem videtur etiam *Hebr.*, VI, 4-6; X, 26; *II Pet.*, II, 20 ss. de peccatis irremissibilibus agi.

(2) Quod autem rationes spectat quare hujusmodi peccata vel — juxta alios — raro vel — juxta nostram sententiam — de lege Dei ordinaria nunquam remittuntur, dici potest cum Bellarmino duas esse causas: « una, quia, [hujusmodi peccator] directe resistit et repudiat gratiam Dei; quemadmodum si ægrotus unico medicamento curari posset et illud admittere non vellet, recto diceretur ejus morbus incurabilis; altera quia cum sit peccatum ex malitia, non ex ignorantia vel infirmitate, nihil in se habet, unde vel modicum excusari possit et proinde nihil misericordiæ meretur (*De pœnitentia*, lib. 2, cap. 16).

misericordiam fiducia, ut etiam in hoc negotio criminum locus ei esse possit. Nimirum quemadmodum in ordine naturæ, quantumvis vera sit *lex* physica eaque generalis : mortui non resurgunt, — tamen mortui resurgere possunt, scilicet *per miraculum* a thaumaturgo quodam, auxilio omnipotentiæ divinæ, patratum, — similiter in ordine gratiæ (1) quantumvis vera sit *lex* illa generalis : hujusmodi peccatores non redeunt ad vitam gratiæ, — tamen iidem redire possunt, scilicet *per miraculum* gratiæ (2), puta propter « jejunium et orationem » aliorum a Deo perpetrandum (3). A. VANDER HEEREN.

II.

De auctoritate theologorum.

Q. *Quodnam argumentum deducere licet ex concordi doctrina theologorum in materia fidei? Breviter explica et proba responsum.*

R. — 1/ Concors theologorum doctrina, seu constans et universalis sententia, de aliqua veritate tamquam ad fidem

---

(1) Eodem modo putamus intelligi posse dictum Pauli *Hebr.*, VI, 4 ss.: *Impossibile est...* [apostatas] *rursus renovari ad pœnitentiam;* nimirum: illud utique est impossibile *de lege Dei ordinaria;* possibile tamen est *per miraculum gratiæ.*

(2) In hunc sensum, ni fallimur, s. Thomas de irremissibilitate peccati in Spiritum sanctum loquitur, II-II, q. 14, a. 3: « Sicut aliquis dicitur morbus incurabilis, secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari; puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi, et medicinæ, licet talem morbum Deus possit curare: ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea per quæ fit remissio peccatorum: per hoc tamen non præcluditur via remittendi, et sanandi omnipotentiæ, et misericordiæ Dei, per quam aliquando tales *quasi miraculose*, spiritualiter sanantur ».

(3) Ne æstimes nos sic redire ad sententiam illam priorem quam supra rejecimus, nimirum nonnisi *raro et difficile* hæc peccata remitti. Non interpretamur verba Jesu quasi dixisset: Blasphemia Spiritûs *raro* vel *difficile* remittitur, sed: *non remittitur*, nisi utique intercedat miraculum gratiæ. Hæc duo sunt omnino diversa, quemadmodum aliud esset dicere: lapis, sibi relictus, in altum *non ascendit*, nisi intercedat miraculum; et aliud : lapis, sibi relictus, nonnisi *raro* vel *difficile* in altum ascendit.

pertinente, præbet certum et legitimum criterium divinæ traditionis, adeoque firmum argumentum theologicum (1).

2/ Suppositis iis, quæ supra de symbolis et de auctoritate Patrum fusius disputavimus, hæc pauca *ad explicationem* sufficiant.

a/ Theologi dicuntur viri ecclesiastici, qui inde a clausa periodo patristica, præsertim tamen a sæculo duodecimo, doctrinam sacram pressius excoluerunt, et quidem duplici methodo, quam s. Thomas jam describit (2) et summus pontifex Pius XI in recenti epistola apostolica « Officiorum omnium » rursus commendat, momentum simul ac ordinem utriusque indicando (3), nimirum *methodo positiva*, quæ ponit seu statuit ex fontibus revelationis quænam sint veritates a Deo revelatæ et ab Ecclesia propositæ ; deinde *methodo speculativa*, quæ et *scholastica* vocatur, quoniam a scholasticis præsertim exculta ac perfecta fuit, quæque, quantum per rationem humanam licet, *explicat* invicteque *defendit* traditam divinitus veritatem (4).

Theologi itaque locum exceperunt tum Patrum stricti nominis, tum doctorum Ecclesiæ, in munere testandi atque docendi divinam veritatem, licet tamen cum inæquali auctoritate, uti statim infra enucleatius dicetur.

b/ Intelligitur sententia de *doctrina* non humana sed *sacra* ; de veritate scil. revelata aut saltem cum revelatione intime connexa. In iis enim quæ ad fidem non necessario pertinent, habet quidem consensus theologo-

---

(1) Ita communiter auctores, uti KILBER, *o. c.*, p. 459 s.; FRANZELIN, *o. c.*, th. 17, p. 168 s.; MAZZELLA, *o. c.*, n. 362 s., p. 297 s.; DE GROOT, *Sum. Apol.*, q. XXI p. 802 s., Ratisbonæ, 1906[3]; VAN NOORT, *o. c.*, n. 175, p. 139 s.; PESCH *Prælectiones dogm.*, I, *Instit. propædeuticæ*, n. 595 s., p. 418 s., Frib. Br., 1915[5].

(2) *Quodlibetum IV*, q. 9, a. 18.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, XXII, p. 358 s.

(4) Ad hæc facile reducuntur tria munera theologorum, quæ exponit M. CANUS, *De locis theol*, lib. VIII, cap. 2 (ed. cit., II, p. 87 s.).

rum pondus gravissimum, at tamdiu solum quamdiu argumenta certa, aut saltem vere probabilia, eumdem non labefactant (1).

c/ Intelligitur sententia *constans et universalis*, adeoque firma ratione et non tantum opinativo modo proposita; non sufficit sententia unius aut alterius scholæ theologicæ, aut consensus etiam multorum theologorum omnis scholæ, aliis tamen contradicentibus.

Adverte quoad modum loquendi, sententiam communem quandoque vocari eam, quæ a multis bonis theologis statuitur, quamvis alii bene multi dissentiant; in tali dissensu porro auctores non numerandi sed ponderandi sunt, itaque potest aliquis contra plures tueri sententiam, quæ a paucis sed gravioribus auctoribus docetur (2).

d/ Dicitur tandem talem consensum *præbere certum ac legitimum criterium divinæ traditionis;* id est, quando theologi constanti ac universali consensu veritatem aliquam uti divinitus revelatam docent, per hunc solum consensum certo constat de divina traditione hujus veritatis (3).

Attamen auctoritas theologorum non est eadem ac Patrum atque Ecclesiæ doctorum; primo quia bene multi inter hos, præsertim inter Patres, fuerunt episcopi, ad ipsum magisterium ecclesiasticum pertinentes; deinde quoniam hi singuli ab Ecclesia fuerunt approbati, dum Ecclesia non singulos theologos sed *eosdem collective sumptos et scholas theologorum* tanquam testes suæ traditionis agnoscit. Jam autem eorum auctoritas, uti statim ex demonstratione patebit, ab hac approbatione dependet.

---

(1) Uti exponitur et explicatur in tractatu de fide, *temerarium* erit a tali sententia sine sufficienti fundamento recedere.

(2) Cfr M. Canus, *o. c.*, lib. viii, cap. 4 (ed. cit., II, p. 92 s.), quem auctores in hac quæstione plerumque sequuntur.

(3) Inde etiam quando theologi eodem consensu veritatem certo connexam cum fide, ut *veram et ab omnibus tenendam* proponunt, quin eam revelatam dicant, habes criterium veritatis theologicæ; cfr *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 51 s.

3/ Hisce rite intellectis facile *probatur* propositio, et quidem *ex arcto nexu vigente inter scholas theologorum atque ipsum magisterium ecclesiasticum*, cui divinitus commissum fuit munus depositi fidei sancte custodiendi et fideliter exponendi (1).

Et revera docent theologi sub providenti vigilantia auctoritatis ecclesiasticæ, summi pontificis (2) et episcopatus catholici ; quare si omnes theologi, pars insignis Ecclesiæ discentis, errarent in fide, redundaret error, saltem per negligentiam, in ipsum magisterium infallibilitate donatum (3).

Historia ecclesiastica facile alioquin constat de hoc intimo nexu et sollicita magisterii vigilantia ; non semel etiam hunc nexum expressis verbis agnoverunt summi pontifices et scholas theologorum authenticos doctrinæ catholicæ præcones probaverunt (4).

Ex tali consensu adstruere licet *argumentum theologicum*, id est ex revelatione ; quod recte tamen intelligendum. Duo sunt fontes revelationis tantummodo : Scriptura sacra et traditio oralis. Traditio oralis vero, uti diximus, variis in monumentis conservatur subsidiarie, notatim in scriptis Patrum et operibus theologorum ; per hæc scripta et opera, debitis impletis conditionibus, in hoc et in præcedenti responso explicatis, *constare potest* et quidem irrefragabili argumento, propter connexionem hujus testimonii cum magisterio ecclesiastico, *tale quid fuisse a Deo revelatum*, quod tunc *fide divina* creditur propter *auctoritatem Dei* revelantis (5).

H. Lamiroy.

---

(1) Cfr *Conc. vatic.*, sess. IV, *Const. dogm. I de Ecclesia Christi*, cap. 4 (*Enchir.*, n. 1836) et *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 187 s.

(2) Ita per congregationem s. Officii, cui præest ipse summus pontifex (can. 247 § 1).

(3) Ita rursus in errorem quasi necessario duceretur *tota Ecclesia discens*, pariter *infallibilis*, scil. in credendo.

(4) Cfr inter alia documenta Pii IX, *Epist.* « Tuas libenter », ad archiepisc monaco-frising., 21 dec. 1863 (*Enchir.*, n. 1679 s.).

(5) Vide in tractatu de fide analysim actus fidei, ubi de motivo formali assensus fidei.

III-IV.

De Contractibus in genere V.

Q. Quid *ex jure nostro civili,* et inde pro conscientia valeant contractus de *materia* turpi et *sub conditione turpi?*

R. A/ *Contractus de materia turpi.*

Inter elementa essentialia contractus reponit Codex noster civilis, in art. 1108, *causam licitam* in contrahendo; et inde in art. 1131 et 1133 proclamat *omni effectu carere* seu inexistentem esse omnem contractum de causa illicita, id est contraria legi, bonis moribus aut ordini publico.

Minus quidem expedit hic inquirere utrum illa civilis irritatio qua plectitur ipse contractus de materia turpi, conventionem illam etiam in foro conscientiæ plane irritet jam ante sententiam judicis. Non desunt enim qui ita censent, propter specialem materiam, turpem scilicet, de qua hic contrahitur, unde plenissima irritatio propter bonum commune necessaria foret. Verum, cum ille ipse contractus jam jure naturæ invalidus sit, minus practica apparet hæc discussio (1).

Porro, ponitur hujusmodi quæstio circa contractum innominatum supervenientem per ipsam positionem operis illiciti : hæc enim conventio et ipsa declaratur inexistens a jure civili, cum prior contractus omni effectu carere pronuntietur.

Jamvero, cum ille contractus innominatus de jure naturæ sit validus, recurrit hic nota controversia de valore in conscientia actus civiliter quidem inexistentis, jure vero naturæ validi. Quam controversiam ita solvendam ducimus, ut lectores norunt : quamvis probabilius dicendus sit hujusmodi actus in foro conscientiæ statim

---

(1) Attamen si agatur de contractu contrario legi pure pœnali, quæstio tunc momento practico non caret; verum, cum hic contractus de jure naturæ sit validus, concordabit responsum cum illis quæ statim sequuntur.

invalidus, probabilis tamen et practice tuta est sententia illius valorem affirmans usque ad sententiam judicis (1).

Unde, ex citatis art. sequitur nec post patratum opus secundum legem turpe, pretium a promittente solvi debere vi contractus innominati : probabilius enim in conscientia irrita est hæc conventio superveniens, nec dubia est hic legitimitas seu justitia hujus civilis dispositionis (2).

Dicitur tamen : vi contractus innominati ; nam profecto continget pretium vi fraudis injustæ solvendum esse. Ubi enim promittens ficte tantum promiserit, vel legem non ignorans ea uti secreto voluerit dum promittebat, et sic alteram partem ignorantem injuste deceperit, eam tunc indemnem præstare tenebitur (3).

---

(1) Nullatenus enim de contractu illo innominato dicendum videtur inexistentiam ejus legalem ex ipsa materia et fine legis, seu propter bonos mores, necessario intelligendam esse plenissimam, id est ipsum forum conscientiæ jam attingentem ante sententiam judicis. Hæc enim plenissima irritatio, quæ de ipso contractu circa materiam turpem communius admittitur, communius etiam de contractu superveniente ab auctoribus negatur, cum hæc nova conventio jam non sit de materia turpi, nec ab ipso jure naturæ invalidetur. Ceteroquin « nec statui potest, statim irritos esse in conscientia actus qui exstinguuntur ex motivo ordinis publici. Tale enim motivum non semper postulat plenissimam abolitionem ». Cf. VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia*, n. 331.

(2) Inde sub jure nostro non est audiendus LEHMKUHL, *Theol. mor.*, I, n. 1251, dicens solum jus naturæ esse considerandum ubi agitur de patrato opere quod a legibus non punitur, ut fornicatio etc. Sufficit enim ut actio civiliter habeatur ut bonis moribus contraria, quamvis non puniatur. — Cf. recentem decisionem tribunalis *Neufchâteau*, 28 Martii 1922, cujus summarium sic a *Pasicrisie Belge*, Janvier 1923, p. 10 refertur : « L'engagement de payer une certaine somme d'argent contracté par un homme envers une femme, ayant pour cause des relations immorales ou illicites auxquelles la femme majeure a consenti, est nulle et ne peut avoir nul effet ».

(3) Ita si quis cum Titio contractum fecerit de occidendo inimico, promittens ipsi 1000 f., sed ficte tantum, vel cum animo utendi postea lege civili irritante, et sic ignorantia Titii abusus fuerit, ille debebit opere patrato alteram partem præstare indemnem : quantum scilicet valebat labor quem Titius assumpserit, tempus quod insumpserit, periculum cui se exposuerit ; et regulariter poscet reparatio damnorum ut promissum solvatur pretium.

Ubi vero post patratum opus pretium jam solutum fuerit, illud tunc ex dictis juste retinebit altera pars usque ad sententiam judicis : non vero semper illæsa caritate. Nam si ille qui dedit certus sit obtinendi rescissionem a judice, tunc alter contrahens, ab altero rogatus, mercedem statim restituere tenetur, ne contra caritatem ipsi expensas et molestias inutiles imponat.

Jamvero, vi art. 1235 jus habet ille qui pretium indebitum solvit, ad illud coram tribunali repetendum ; et hoc utique nostro casui per se applicatur. Verum, pleraque tribunalia practice denegant actionem illi qui particeps fuerit turpitudinis, utpote ejus instigator seu fautor : nemo enim auditur propriam turpitudinem afferens (1). Inde quoties repellitur hujusmodi actor, licite retinet altera pars mercedem operis jam patrati ; nec obligat caritas in casu dubio ad morem gerendum illi qui privatim suum repetit pretium.

Fit autem quandoque ut jam ante patratum peccatum pretium solvatur, nec postea ponatur opus, dum tamen

---

(1) De hoc nempe puncto tum ipsi jurisperiti tum ipsa jurisprudentia seu praxis tribunalium discordes inter se inveniuntur. De theoria sic habet THIRY, *Cours de Droit civil*, II, n. 617: « Quand il s'agit de l'exécution d'une obligation ayant une cause illicite, on n'est pas d'accord; les uns, se fondant sur le Droit romain, veulent distinguer, ils accordent la répétition à la partie qui n'a joué aucun rôle immoral dans la convention; ils la refusent, au contraire, à celle qui a joué un pareil rôle..... D'autres accordent la répétition sans distinction ».

De praxi autem tribunalium audiatur PLANIOL, *Cours de Droit civil*, II, n. 846: « Pendant très longtemps, la doctrine et la jurisprudence admirent la survivance d'une règle romaine, qui conduisait à refuser l'action en répétition dans tous les cas qui se sont présentés en fait : in pari causa turpitudinis, cessat repetitio..... Ce fut la jurisprudence qui y dérogea la première, à propos des majorations secrètes du prix de vente dans les cessions d'office..... Depuis lors, la jurisprudence a fait un nouveau pas en avant; elle a autorisé la répétition au cas de cession de parts dans un office indivisible..... Malgré cela, elle maintient avec fermeté la tradition romaine, c'est-à-dire le refus de toute répétition, dans les baux et les ventes relatives aux maisons de tolérance (*Cass. fr.* 1er Avril 1885; *Cass. belge*, 4 Juin 1903; *Pas. belge*, 1903, I, 276) et pour les dons faits à une concubine ».

danti pecuniam denegatur actio coram tribunali propter participationem actioni illicitæ. Tunc sane manet alteri parti obligatio conscientiæ restituendi pretium quod sine titulo detinet : nam ex una parte lex accipienti favere non intendit nec ipsi dominium transfert, quippe qui ob assumptam obligationem turpem non magis sit favore dignus quam alter ; et ex alia parte jus suum priori domino non aufert, sed ipsi tantum denegat actionem (1).

Tandem, quidam dantur casus in quibus solum jus naturæ sit considerandum : quia lex eos ut turpes non habet cum tamen turpes sint, ut labor servilis die prohibito (2) ; vel etiam quia lex injuste eos turpes declarat et ideo non valet, ut contractus de conversione ad veram religionem promissa pecunia (3).

B/ *Contractus sub conditione turpi.*

Ex art. 1172 habemus conditionem turpem in contractu ipsum reddere *nullum*, id est a judice annulabilem, quamvis ante sententiam non sit civiliter irritus. Verum, ex art. 900 notabilis exceptio regulæ generali apponitur, quod attinet ad *donationes* et *testamenta :* in his enim conditiones turpes forte appositæ habentur *ut non adjectæ*, adeo ut secundum legem valeat donatio et legatum

---

(1) Exceptionaliter tamen pretium tunc ab accipiente retineri posset, si sufficienter constaret gratificantem animo plane liberali fecisse, et non principaliter intuitu patrandi operis.

(2) Præter hos casus quos certe legislator civilis ut turpes non habet, alii dantur plures de quibus dubium moveri potest (Cf. infra). « La loi n'ayant ni précisé ni défini ce qui est contraire aux bonnes mœurs ou à l'ordre public, il en résulte que le juge du fait apprécie souverainement si une convention est contraire à l'ordre public ou à la morale ». *Cass. b.*, 28 Janvier 1859.

(3) « Au surplus, les conditions à considérer comme illicites sont non seulement celles qui seraient contraires à une prescription spéciale et formelle de la loi, mais encore celles qui tendraient à restreindre ou à entraver l'exercice des droits ou facultés dérivant de la faculté naturelle ou civile de l'homme, et notamment de la faculté de se marier, de changer de religion, d'embrasser tel ou tel état, et de se livrer à telle ou telle industrie ». AUBRY et RAU, apud ILL. WAFFELAERT, *De Justitia*, I, n. 478.

hujusmodi independenter a conditione turpi, et ut donatarius sive legatarius jus habeat ad donum aut legatum recipiendum sive reclamandum quin curet de conditione, quinve illam adimpleat.

1/ Itaque primo lex generalis *annulans* contractus sub conditione turpi omnino justa apparet, utpote cives avertens ab inhonestis conditionibus apponendis et adimplendis : nisi tamen quod quasnam conditiones omnino legitimas per abusum potestatis ut turpes consideret, ut v. g. conditionem ingrediendi monasterium ; quo in casu non valet.

Ex generali autem legitimitate istius legis et simul ex antea disputatis sequitur contractus sub conditione turpi suspensiva nullo sane jure ad conditionem adimplendam obligare; post impletionem vero jure naturæ (vi novi contractus innominati) ad solvendum pretium adstringere(1), et pariter jure civili usque ad sententiam judicis.

Unde post factum solvere debet promittens, nisi tamen certus sit obtinendi rescissionem coram tribunali: ad quid enim tunc illud solveret quod statim a judice licite repetet? Verum hujusmodi certitudo ipsi plurimum deerit, tum qua particeps turpitudinis utpote ad illam inducens, tum sæpe ob dubium practicum num hæc aut illa conditio qua turpis coram lege sive jurisprudentia appareat (2). In his nempe casibus non poterit in con-

---

(1) Nisi quis probabilitatem admittat sententiæ omnem valorem his contractibus denegantis etiam post conditionis impletionem.

(2) Cf. Thiry, *ib.*, n. 294 : « Ainsi la condition de ne pas voter dans une élection ou de voter dans un sens déterminé constitue une condition illicite.....; la condition de ne pas changer de religion, d'élever ses enfants dans telle religion constituerait une atteinte à la liberté de conscience. La condition de ne pas se marier a toujours été considérée comme illicite..... Il en est de même de la condition de ne pas se marier sans le consentement d'un tiers, autre que les personnes dont le consentement est requis. On regarde comme valable la condition de ne pas se marier avec une personne déterminée.... Il n'en serait pas de même si l'on était moralement tenu à épouser la personne désignée, par ex. si l'on en avait eu des enfants. On tient aussi généralement pour licite la condition d'épouser telle personne déterminée, pourvu

scientia a solvendo abstinere, quamvis ipsi liberum maneat sub spe rescissionis forte obtinendæ judicem adire. Nec unquam a reparandis damnis abstinere poterit, ut supra diximus, si fraude injusta in alteram partem usus fuerit (1).

Quodsi pretium jam ante conditionis impletionem datum fuisset, nec postea adimpleretur, vel si dator tempestive a contractu recessisset monendo aliam partem, ipsi tunc merces esset reddenda, etiamsi a judice repelleretur. Altera pars tamen, accepto pretio post conditionem verificatam, juste semper et plerumque illæsa caritate mercedem servare poterit, usquedum forsan per judicem ad restituendum cogatur.

---

qu'elle soit honorable. La condition de se marier est valable. Quid de la condition de ne pas se remarier?.... Quelques-uns distinguent.... Nous croyons que cette condition est toujours valable.... La condition d'embrasser ou de ne pas embrasser tel état déterminé est considérée comme valable. La condition de n'embrasser aucun état serait illicite; etc. »

(1) Dantur hic etiam conditiones quædam secundum legem naturæ turpes, non vero secundum legem civilem, adeo ut solum jus naturale considerandum veniat. Ut puta, præter conditionem serviliter laborandi die prohibito, casus in quibus conditio turpis se habeat a parte ipsius promittentis, ut si quis dicat: dabo tibi centum si pro catholicis in electionibus politicis votum emisero. Cf. Mabille, *Droit civil*, III, p. 138: « Dans les conventions sous condition suspensive de faire : *a*/ le fait illicite ou immoral du stipulant rend la convention nulle; *b*/ le fait illicite ou immoral du promettant n'affecte pas la validité de la convention, le créancier pourra exiger l'accomplissement de l'obligation si la condition se réalise; *c*/ le fait illicite ou immoral d'un tiers rend généralement la convention nulle, mais pas toujours.

Dans les conventions sous condition suspensive de ne pas faire, la condition agit en sens opposé.

Dans la convention sous condition résolutoire de faire, ou de ne pas faire, on procédera comme dans les hypothèses précédentes pour apprécier l'effet de la condition.

Dans les conventions sous condition suspensive ou résolutoire d'un fait licite et moral, on ne peut déterminer a priori l'effet de la condition: il faut dans chaque cas particulier observer l'influence de cette clause sur la convention » (car des faits licites, stipulés en conditions, peuvent imprimer à toute la convention un caractère contraire à l'ordre public ou aux bonnes mœurs).

2/ Quoad conditiones autem suspensivas turpes quæ in *donationibus et testamentis* ut non adjectæ legaliter habentur, quæstio difficilior apparet, tum relate ad conscientiam, tum etiam relate ad sensum et interpretationem legis civilis.

Certum est primo valere conditionem eamque verificandam esse, si lex immerito hanc ut turpem consideret. V. g. si quis legatum Titio relinquat sub conditione quod fiat catholicus, non tenentur heredes ad tradendam ipsi pecuniam nisi purificata conditione, quamvis dicat lex hanc conditionem censeri non appositam utpote læsivam libertatis.

Etiam certum est legem in conscientia applicandam esse, quoties non constat de voluntate donatoris aut testatoris alligandi suam gratificationem ipsi conditioni, quasi conditioni sine qua non Etenim non ita raro fit ut auctor per errorem tantum turpem apposuerit conditionem, vel saltem prædominantem habuerit voluntatem gratificandi, etiamsi non impleatur conditio. Et tunc utique jure suo reclamat donatarius sive legatarius donum, etiam non verificata conditione: quia quamdiu non constat de opposita auctoris voluntate, merito interpretatur auctoritative lex intentionem ejus in sensum moribus et actui simul favorabilem, ut scilicet valeat actus potius quam pereat.

Verum, dubium oritur ubi constat auctorem hanc turpem conditionem apposuisse qua conditionem sine qua non, seu — quod in idem fere recidit — motivum ejus præcipuum in conditione appositione fuisse alliciendi ad peccatum; insuper dubitatur et de casu conditionis turpis simul et onerosæ, id est onus quoddam afferentis in favorem donatoris aut heredum ejus. An enim *voluerit* etiam tunc legislator jus strictum donatario conferre, abstractione facta ab impletione conditionis, vel contra an voluerit ut non sit applicatilis tunc art. 900 sed potius art. 1172 sive etiam art. 1131? Et insuper, si primum voluerit, an legitime *potuerit?*

De voluntate quidem legislatoris non ita constat. Pro-

babilius multis apparet mentem ejus fuisse absolutam, applicandi nempe art. 900 omnibus æque casibus; illudque tum ex origine istius legis suadetur (1), tum etiam ex praxi tribunalium, cum jurisprudentia constanter negaverit voluntatem prædominantem auctoris esse in casu considerandam (2). Res tamen non videtur certa : quia non desunt jurisperiti qui sensum legis aliter interpretantur, et docent art. 1172 sive respective a. 1131 esse applicandum ubi agitur de appositione conditionis turpis sine qua non, aut de principali intentione conditionis turpis, sicut etiam de conditione turpi simul et onerosa (3). Insuper ipsa quoque jurisprudentia nonnunquam pratice ita judicat, casu conditionis turpis onerosæ et præsertim casu principalis intentionis turpitudinis (4).

---

(1) Cf. PLANIOL, *ib.*, III, n. 3029 sq.

(2) Cf. PLANIOL, *ib.*, III, n. 3037: « Cette opinion (que l'art. 900 était fondé sur l'intention présumée du fondateur ou donateur) a été rejetée par la jurisprudence qui n'a jamais tenu aucun compte des volontés les plus formellement exprimées à cet égard.... La plupart des auteurs approuvent le système de la jurisprudence ». — Pro Belgio cf. decisionem *Cass. b.* 31 Juillet 1869 et 26 Février 1874; P. 1869, I, 567, et 1874, I, 82: « L'art. 900 crée une fiction légale, absolue et générale, applicable lors même que le disposant a expressément subordonné sa libéralité à la condition ».

(3) Cf. THIRY, *ib.*, n. 295: « L'art. 900 doit être interprété d'une manière restrictive. Comme la disposition ne peut se justifier que par la volonté présumée du disposant, elle ne pourra s'appliquer, lorsque celui-ci aura exprimé une volonté contraire, p. ex. qu'en cas où la condition ne pourrait s'exécuter, la libéralité serait nulle.... Pour discerner si la condition est illicite ou immorale, il faudra rechercher dans quel but elle a été apposée.... Comme l'art. 900 ne peut s'appliquer qu'aux libéralités, il faut examiner soigneusement si l'acte qui se présente comme une donation n'est pas en réalité, à raison des charges qui l'accompagnent, un acte à titre onéreux; ce serait alors non l'art. 900, mais l'art. 1172 qui devrait recevoir son application ».

(4) Cf. PLANIOL, *ib.*, III, n. 3033 sq., qui tamen pro Gallia tantum loquitur. Sed KISELSTEIN, *Revue Ecclésiastique de Liége*, 1922, p. 112, ita generaliter habet: « Jam hodie multum disputant de notione causæ in contractu; practice autem tribunalia sæpius annulant contractus qui inspectis suis omnibus elementis videntur illiciti seu turpes; et jurisperiti plures hanc jurisprudentiam componere conantur cum theoria sic dicta causæ. Ita sæpius ipsum motivum determinans et principale habetur uti causa presse dicta, præsertim in contractu gratuito ».

De potestate autem legislatoris, posito quod art. 900 indiscriminatim voluerit applicari, pariter ambigitur. Hic tamen potiore adhuc jure dicendum videtur vi alti dominii potuisse legem jus strictum et absolutum concedere donatario nonobstante voluntate auctoris, ob bonum nempe commune : ut scilicet deterreantur homines a turpibus conditionibus apponendis, et simul ne alliciantur legatarii aut donatarii ad exsequendum conditiones hujusmodi ne dono priventur. In oppositum tamen offertur parum rationabile videri si legislator contra certam et prædominantem auctoris voluntatem jus illud strictum concesserit independenter ab adimpletione conditionis, tum legatario, tum præsertim donatario qui favore est indignus, quippe qui non rejiciendo illicitam conventionem jam contra bonos mores egerit malamque auctoris voluntatem quodammodo foverit (1).

Omnibus perpensis, probabiliorem autumamus sententiam affirmantem voluntatem et legitimam potestatem legislatoris in casu; probabili tamen manente opinione opposita, tum ob auctoritatem ita sentientium, tum etiam quia de voluntate legis concedendi tunc jus strictum et independens deficit certitudo moralis.

Ex dictis ergo sequitur, ad donationes et testamenta quod attinet sub conditione legaliter turpi suspensiva, art. 900 certo in conscientia observari non posse, si conditio revera turpis non sit, ut ingressus monasterii; insuper illum art. certo observandum esse quamdiu non constat de voluntate auctoris apponendi conditionem sine qua non; in reliquis vero casibus unumquemque sententiam sibi favorabilem de hac lege positiva eligere posse usque ad sententiam judicis. Ita si quis donet vel leget 1000 f. Titio sub conditione stricta et sine qua non homicidium committendi, poterit Titius pecuniam accipere vel et reclamare ab heredibus etiam per judicem,

---

(1) Cf. Carrière, *De Contr.*, I, n. 335; Ill. Waffelaert, *ib.*, I, n. 477 sq.; Génicot-Salsmans, *Theol. mor.*, I, n. 596.

quin de conditione curet. Si tamen tribunalia contractum vi art. 1131 inexistentem declarent quia principalis intentio auctoris turpis fuit, cadit tunc jus donatarii. Heredes autem ex sua parte legatum istud ipsi tradere non debent ante conditionem verificatam, nisi forte a judice cogantur. Adimpleta vero conditione, Titio in conscientia solvere debent, nam adest tunc ipsius jus certum et acquisitum; et quamvis ipsis liberum maneat adeundi porro judicem, non possunt interim a solutione debiti abstinere, quia dubius est eorum reclamationis exitus (1).

E. Hosten.

V.

De conscientia perplexa.

Q. *Da notionem conscientiæ perplexæ. Dijudica moralitatem actus positi cum conscientia perplexa* (2).

I. Notio. — Nomine conscientiæ simpliciter perplexæ intelligitur ille status mentis quo quis, urgente necessitate alterutrum eligendi, judicat vel suspicatur se pecca-

---

(1) Applicando tandem dicta ad contractus sub conditione turpi *resolutoria*, in quibus utique jam existit jus acquisitum, dicendum quod in quibusdam casibus solum jus naturæ considerandum erit, ut supra explicavimus (sic do tibi 1000 f., sed reddendos si non fias catholicus); in aliis vero art. 900 erit in conscientia applicandus (sic do tibi 1000 f., reddendos tamen si inimicum meum non occidas; modo simul non constet conditionem hanc esse conditionem sine qua non, dum tamen certum est legem civilem hanc conventionem ut illicitam considerare); in ceteris tandem, scilicet in casibus in quibus dubia est inhonestas conventionis secundum legem, aut dubius articulus legis applicandus, standum erit conventioni, propter jus acquisitum, usque ad sententiam judicis.

(2) Cfr s. Alphonsus, *Theologia moralis* (ed. Gaudé), t. I, n. 10, p. 6; Ill. ac Rev^mus Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n. 97, p. 78; A. Vermeersch, S. J., *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia*, t. I, p. 296; V. Frins, S. J., *De actibus humanis*, t. III, n. 99, p. 98, coll. n. 118, p. 114 et n. 124, p. 120; A. Lehmkuhl, S. J., *Theologia moralis*, t. I, n. 124; Génicot-Salsmans, S. J., *Theologia moralis*, t. I, n. 54; *Theologia moralis generalis... mechliniensis*, p. 219 ss.; H. Noldin, S. J., *De principiis*, n. 212; *Collat. Brugen.*, t. VII, p. 516 sq.

turum sive agat sive non agat, eo quod duo præcepta incompossibilia simultanee urgere credit, vel, ut ait Platelius (1) : « Perplexitas est apprehensio peccati in utroque extremo [seu contradictorio] quorum alterum est hic et nunc eligendum ».

Ille status mentis involvit errorem quemdam, uti apparet (2), et quidem errorem actu invincibilem, deficiente copia veritatem detegendi sive propria inquisitione, sive consilio prudentum. Unde conscientia perplexa dicenda est conscientia invincibiliter erronea. Quodsi medium rem elucidandi præsto esset subjecto deliberanti, error ejus esset actu vincibilis, adeoque status ipsius non esset simpliciter perplexus, utpote quum « necessitatem peccandi » vitare posset, debitam industriam adhibendo (3).

Exempla quædam notionem illustrabunt : Titius sacerdos dubitans utrum rite verba consecrationis pronuntiaverit, putat se peccaturum si formulam repetat, simulque timet se pariter peccaturum si eam non repetat. — Caius confessarius, dubius circa dispositiones pœnitentis, timet se peccaturum denegando absolutionem, quia ita pœnitentem a sacramentis avertit, simul vero judicat se peccaturum concedendo absolutionem, quia sacramentum indigno administrat. — Paula infirmaria, die dominica assistens moribundo putat se peccare si apud ipsum remaneat et ita missam omittat, simul autem æstimat se peccare si ipsum deserat ut sacro assistat. — Joannes, coram judice timet se peccare si non pejeret, quia perju-

---

(1) J. Platelius, S. J., *Synopsis cursus theologici*, p. 450.

(2) Etenim omne præceptum, omnisque obligatio ultimatim a voluntate divina derivatur. Jamvero voluntas Dei non potest sibi contradicere, simul præcipiendo duo quæ inter se pugnant. Unde a priori certum est duo præcepta incompossibilia non posse in rerum veritate simul temporis urgere, adeoque illum errare qui talem simultaneam obligationem admittit. Cfr Th. Meyer, S. J., *Institutiones juris naturalis*, (1906), t. I, n. 593, p. 498; V. Cathrein, S. J., *Philosophia moralis* (1915), n. 319, p. 232.

(3) Vide dicenda in responso proximo de conscientia vincibiliter erronea.

rio suo vitam rei servabit, simul tamen judicat se peccare perjurium committendo. — Bertha, pia filia patris irreligiosi censet se leviter quidem peccare mentiendo ut possit missæ de præcepto interesse, simul vero timet se graviter peccare non mentiendo et ita missam omittendo.

Regulæ. Qui tali « dilemmate » practico coarctatur, quod evadere non potest differendo electionem (1), debet eam partem eligere ubi sibi minus malum apparet, id scilicet quod sibi leviter malum videtur, præ peccato mortali, aut quod minori præcepto offendit. Jam autem ad discernendam respectivam gravitatem duorum officiorum quæ concurrere aut inter sè collidere videntur (2), sequentes tradi solent regulæ quæ per se et generatim valent (3).

1. *Lex* nobilior, strictior, bono communi magis necessaria oppositis prævalet; hinc, ceteris paribus, præferenda præcepta juris naturalis præceptis juris positivi, quia magis necessaria ; præcepta juris divini positivi, præceptis juris humani, quia jus divinum nobilius ; præceptum negativum præcepto affirmativo, quia strictius; præceptum altioris virtutis præcepto inferioris v. g. officia justitiæ officiis misericordiæ, quia prius magis urget.

2. Officia quæ circa *materiam* nobiliorem, magis necessariam et universalem versantur, ceteris per se sunt præferenda. Ideo officia circa bonum commune officiis circa bonum privatum, officia circa animam officiis circa corpus, et inter hæc, officia circa vitam et vitæ statum officiis circa solam commoditatem prævalent.

---

(1) Quo casu non esset simpliciter perplexus dicendus, sed tantum secundum quid, i. e. actu vincibiliter errans.

(2) Nota iterum talem collisionem officiorum *objective realem* nullam esse, sed eam, ubi occurrat, mera *apparentia* constare.

(3) Cfr Th. Meyer, *l. c.*; Cathrein, *l. c.*; Frins, *o. c.*, p. 98. Dicitur *per se et generatim*. Per accidens autem et non infrequenter præceptum de se majus eliditur de facto per præceptum minus, v. g. ob parvitatem materiæ primi et magnitudinem materiæ alterius; ob majus periculum pro bono communi quod ex violatione minoris præcepti imminet, aut ob majorem certitudinem minoris præcepti, etc.

3. Attendendæ quoque sunt *personæ*, erga quas officia habemus. Officia erga Deum, seu religionis suapte natura prævalent officiis erga homines, quamvis tamen sæpe, si affirmativa sunt, in aliam occasionem differri possunt ac debent ut obligationibus negativis et absolutis erga nos vel proximum fiat satis. Item per se officia erga personas nobis magis conjunctas, v. g. parentes, officiis erga alios sunt præferenda (1).

Si perplexus has regulas cognoscat easque suo casui applicare valeat, eo ipso dissipabit apparentiam collisionis duarum obligationum, seu discernet illud officium quod præ altero prævalere atque hîc et nunc solum obligare censendum sit : jamque *directe* e sua perplexitate eripietur.

II. — *Dijudica moralitatem actionis positæ cum conscientia perplexa.*

Si agens non valeat ita *directe* dissipare suam perplexitatem, agat autem persuasus aut timens ne in utroque casu peccet, quid censendum est de moralitate actionis ejus ? Videtur scilicet actio poni cum conscientia practice dubia, adeoque vere esse peccaminosa.

Respondetur juxta varias hypotheses possibiles. 1. Vel eligit id quod sibi minus peccatum apparet. Tunc certo non peccat, quia, quantum in se est, a peccato declinat: minus malum autem quod facit, evitare nequit, adeoque id ipsi imputari nequit.

2. Quodsi utrumque æque grave ipsi appareat, alterutrum eligat et non peccabit, quia nemo nolens peccat, seu nullum contrahitur peccatum in iis quæ vitari non possunt. Si quod paulo gravius videtur eligat, secluso pravo affectu, venialiter peccat, quia levis ille excessus mali libere præfertur.

3. Si tandem id eligat quod sibi notabiliter gravius apparet, graviter peccat, quia hunc gravem excessum mali libere intendit.

---

(1) Cfr s. Thomas, *Sum. Theol.*, II-II, q. 26.

Ad rationem autem cur perplexus semper peccare videatur, quasi nimirum agat cum conscientia practice dubia, respondendum est :

vel 1° nequaquam est practice dubius. Ut plurimum enim *indirecte* resolvitur ipsius status dubii in practicam certitudinem de liceitate agendi, seu in certitudinem se formaliter non esse peccaturum, per hoc vel simile principium indirectum certum omnibus obvium : « ex duobus malis disjunctive necessariis, minus debet eligi », aut si utrimque malum æque grave apparet : « ad vitandum malum inevitabile obligari non possum, nam ad impossibile nemo tenetur » (1). Hoc autem modo vere et « in actu exercito tollitur perplexitas, licet non in actu signato, quia [agens] ratione scrupuli et perturbationis non satis percipit se tali judicio dirigi » (2);

vel 2° etiamsi conscientia agentis esset practice dubia, imo practice certa de peccato committendo, deest libertas requisita ad peccatum contrahendum (3).

Non deest quidem libertas electionis relate ad entitatem physicam actionum propositarum, nam nihil necessitat ad unam præ altera eligendam. Deest autem libertas electionis relate ad caracterem peccaminosum actionum, quum ille utrimque idem adsit, adeoque perplexus ad eum necessitetur (4).

Nota. Responsum nostrum valet etiam in casu quo

---

(1) Cfr Ill^mus ac Rev^mus Waffelaert, *l. c.*

(2) Platelius, *l. c.* Aliis verbis reipsa quidem vere cessat in mente perplexitas, sed agens, propter suam perturbationem, sibi reflexe non dicit eam cessasse, aut cur ea cessaverit.

(3) Recole duplex esse fundamentum moralitatis subjectivæ, conscientiam scilicet et libertatem, ut scite advertit Ill^mus ac Rev^mus Waffelaert, *o. c.*, p. 84 : « Moralitas prius est in intellectu per modum veri et regulæ, quam in voluntate per modum regulati et imputabilis, et sic patet fundamentum moralitatis subjectivæ esse conscientiam et libertatem ».

(4) Vel ut ait *Theologiæ cursus*, Migne, Paris, 1864, t. XI, col. 121 : « Licet ille actus sit liber, libertate physica, utpote tendens in objectum cognitum ut malum, non tamen est liber libertate morali, seu tendens in objectum malum, ut possibile vitari, quod ad peccandum requiritur ».

quis propria sua culpa, seu negligentia sua culpabili in talem perplexitatem sese conjecerit: actio ejus in se spectata est honesta, prout supra diximus. Atvero ulterius tunc inquirendum manet quousque fuerit culpabilis in causa (1).

A. LEGRAND.

VI.

De diversis vigiliis.

Q. *Quotuplex distinguitur vigilia et quomodo celebratur?*

R. I. Quum præparatio ad festum, et consequenter vigilia, duplici generatim, ut vidimus, elemento constet, pœnitentia nempe et oratione publica, ex utroque capite distinguuntur hodie vigiliæ:

A. **Ratione jejunii,** in « vigilias quæ jejunantur » et « vigilias quæ non jejunantur ».

Quamvis, inspecta origine et antiquiori evolutione, jejunium videatur pertinere ad ipsam vigiliæ rationem (2), fuerunt tamen paucæ quædam vigiliæ in quibus — ob indolem gaudiosam temporis liturgici — nunquam generalis obligatio jejunii imposita fuit: vigiliæ nempe *Epiphaniæ* et *Ascensionis*. Eis accessit vigilia *Immaculatæ Conceptionis*, quam ad universam Ecclesiam extendit Leo XIII, 30 nov. 1879.

Eo enim tempore jam multis in regionibus quamplurimæ vigiliæ ex diversis Summorum Pontificum rescriptis, agebantur absque jejunio aut abstinentia (3). Quæ disciplinæ antiquioris relaxatio indies extensa est.

Hodie vi canonis 1252 § 2, in quatuor tantum vigiliis « lex abstinentiæ et jejunii servanda est », nempe in solis « pervigiliis *Pentecostes, Deiparæ in cœlum assumptæ*,

(1) Cfr GÉNICOT-SALSMANS, *l. c.*

(2) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XXIII, p. 459 ss.

(3) V. g. Clementis XIV, 22 jun. 1771, pro ditione Austriaca; indult. pro reductione festorum 9 aprilis 1802, pro toto territorio reipublicæ gallicanæ.

Omnium Sanctorum et *Nativitatis Domini* ». Et hæc ipsa lex non obligat quoties prædicta festa occurrunt feria II. Nam, vi can. 1252 § 4, quoad jejunium et abstinentiam « pervigilia non anticipantur », sicut olim fiebat.

Ceteræ vigiliæ, seu omnes præter quatuor enumeratas, sunt hodie « vigiliæ quæ non jejunantur » et in quibus neque lex abstinentiæ est servanda.

B. **Ratione officiorum liturgicorum**, distinguuntur vigiliæ in privilegiatas et communes.

1. « **Vigiliæ privilegiatæ** item dividuntur in duas classes:

a/ *Vigiliæ I classis*, quæ in occurrentia festis quibuslibet præferuntur: *Vigilia Nativitatis Domini*, *Vigilia Pentecostes* » (1).

Harum igitur nec officium nec missa unquam aut omittitur aut anticipatur, aut ad solam commemorationem redigitur. *Missa* celebratur ad normam duplicis I classis, cum unica oratione per se: aliam non admittit commemorationem quam Dominicæ quæ occurrere potest in vigilia Nativitatis (absque ejus evangelio in fine), aut orationem de Venerabili exposito in missa cantata ad altare expositionis, aut collectam imperatam, si hæc ab Ordinario injungatur pro re gravi dicenda « etiam in duplicibus I classis ».

Modus ordinandi officium describitur in Breviario suis locis. Proprium est vigiliæ *Pentecostes* — quæ sola jejunatur in tempore Paschali — quod hodie (2) habeat officium non pœnitentiale, sed semiduplex, festivum, quasi extensionem quamdam octavæ Ascensionis, quam omnino imitatur.

Sibi omnino proprium habet officium vigiliæ *Nativitatis* (3) quod ad Matutinum sit simplex et « ordinarium »

---

(1) Quamvis Sabbatum Sanctum sit revera vigilia Paschatis, (*Collat. Brug.*, XXIII, 460) hodie tamen non recensetur inter vigilias. Ob mysteria quæ hac die recoluntur, habet nomen proprium, indolem omnino specialem, et officium, missam aliosque ritus sibi proprios.

(2) Non semper ita fuit. Cf. v. g. *Collat. Brug.*, XXIII, p. 465, nota 5.

(3) Si vigilia Nativitatis occurrat in Dominica, officium substantialiter est de vigilia, cum psalmis, ut patet, de Dominica, adeoque cum tribus

seu desumens ex Psalterio psalmos diei hebdomadæ occurrentis (1); ad Laudes vero et per Horas est festivum, duplex et « exceptum » assumens nempe psalmos ex Dominica (2).

b/ « *Vigilia II classis*, quæ in occurrentia præfertur festis quibuslibet, præterquam duplicibus I vel II classis et festis Domini: *Vigilia Epiphaniæ* » (3). De ea semper fit commemoratio. Officium ejus est semiduplex, habet primas Vesperas et est « exceptum » (4). « Locum tenet officii Dominicæ quæ occurrit a die 1 ad 5 Januarii, vel a superveniente festo aut Dominica infra Octavam Epiphaniæ impeditur : proindeque gaudet omnibus privilegiis Dominicæ tam in concursu ad I Vesperas, quam in occursu : et commemorationem servat in I Vesperis, ad

---

nocturnis loco unius: quare in I et II nocturno occurrente versus et lectiones cum suis responsoriis sumi debent de Dominica IV Adventus, de qua etiam fit commemoratio in Laudibus et Missa.

(1) Quamvis matutinum sit pœnitentiale, non tamen omittitur, ut solet, ps. *Miserere* in tertia parte matutini feriæ IV, quia psalmus ille in vigilia Nativitatis non dicitur ad initium Laudum, ut præscribitur in aliis Laudibus officii pœnitentialis.

(2) Ratio videtur desumenda ex ipsa natura hujus pervigilii. Per totum enim Adventum in liturgia miscentur tum sensa pœnitentiæ et compunctionis ad animæ purificationem, tum sensa gaudii ob certam exspectationem nasciturí Salvatoris. Gaudium autem certæ spei usque crescit, appropinquante eventu exspectato (vide v. g. invitatorium inde a III hebdomada et in vigilia, necnon antiphonas O aliasque proprias per septem ultimos dies). Ultima tandem die ita dilatatur gaudium festivum, ut officium pervigilii agatur festive (cum antiphonis, responsoriis et versiculis propriis ex Laudibus assumptis) non solum a Vesperis ut solet, sed ad Parvas Horas ut olim fiebat (cf. *Ordo officior. Eccl. Lateranensis*, ed. Fischer, n. 23), imo ad Laudes, ut habemus in hodierno Breviario.

(3) *Duæ Tabellæ* in limine Breviarii.

(4) Hæc habet quidem nomen « vigiliæ » et celebratur in pervigilio Epiphaniæ. Sed de liturgia vigiliæ a multis jam sæculis nihil habet; sequitur autem regulas de *Dominica*. Nec mirum. Nam ejus officium et Missa sunt illius Dominicæ quæ, sub nomine Dominicæ *vacantis*, solet occurrere a 1a ad 7m januarii. Hujus officium olim semper erat impeditum: 1a januarii per festum Circumcisionis, 2a, 3a et 4a januarii per dies octavas s. Stephani, s. Joannis aut ss. Innocentium, 6a et 7a januarii per officium Epiphaniæ, adeo ut officium cum missa transferri deberet in diem 5m januarii, quæ erat vigilia Epiphaniæ; ibi tandem fixum fuit sub nomine vigiliæ.

Matutinum per IX lectionem de homilia, et ad Laudes [et Missam], etiam in officio SS^mi Nominis Jesu, juxta propriam rubricam » (1).

2. **Communes** sunt ceteræ vigiliæ, quæ locum cedunt omni officio novem lectionum. Sunt numero quatuordecim, scilicét : Ascensionis Domini ; Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V. ; Omnium Sanctorum ; Nativitatis s. Joannis Baptistæ ; 8 festorum I aut II classis Apostolorum [exceptis festis s. Joannis et ss. Philippi et Jacobi (2)], et s. Laurentii.

Quoad **regulas celebrandi vigiliam communem :** principia fundamentalia sequuntur ex iis quæ de evolutione et natura vigiliæ exposuimus (t. XXIII, 464 ss.) Distinguendum missam inter et officium.

Quia *Missa* est propria, *a*/ ejus Oratio est dicenda in officio, ejusque evangelium est explicandum in homilia ; *b*/ ipsa multo difficilius quam officium vigiliæ impeditur.

Officium est feriæ occurrentis sed modo pœnitentiali celebratum, et cedere debet omni officio feriali majori et omni officio festivo non simplici.

Rubricæ officii 1° « Incipit ad Matutinum (3), terminatur autem ad Nonam, quia Vesperæ sunt de sequenti festo ». « Totum fit de feria occurrenti, ut in [Ordinario et] Psalterio : et tres lectiones leguntur de homilia in evangelium vigiliæ, ut in propriis locis assignatur, cum tribus responsoriis de feria occurrenti... Dicuntur preces feriales et [Suffragium] (4) aliaque omnia sicut in feriis [pœnitentialibus] Adventus, Quadragesimæ et Quatuor Temporum » (5).

---

(1) Rubr. Breviarii ad diem 5 januarii.

(2) Vigilia enim s. Joannis quotannis occurreret in tempore Nativitatis, vigilia vero ss. Philippi et Jacobi semper in gaudio temporis paschalis.

(3) Sicut officium feriale, quod non habet primas Vesperas.

(4) Quod omittitur in vigilia Omnium Sanctorum, ne fiat bis de eodem.

(5) Breviarii Rubricæ Generales (BRG), VI, 3, 4. Excipitur vigilia Ascensionis, officium feriale temporis paschalis: *Te Deum*, com. de Cruce ad Laud., preces dominicales ad Primam.

2° Si vigilia communis veniat in *feria* communi, totum officium fit ut supra; si autem *feria* sit *major* Adventus, Quadragesimæ aut Quatuor Temporum, quæ jam per se est pœnitentialis, de vigilia nihil fit, ne quidem commemoratio (BRG, VI, 2) (1).

3° Si vigilia occurrat *in Dominica*, ob gaudium resurrectionis (suppresso jejunio) officium anticipatur in sabbato (BRG, VI, 2). Alias nunquam transfertur vigilia, nequidem translato officio festi cujus agitur vigilia (DD. 3050, 1; 3095, 1).

4° Si tandem in vigilia aut in Sabbato in quo anticipatur vigilia occurrat *festum* :

a/ *novem lectionum*, totum officium est de festo. Si hoc sit festum duplex I classis, de vigilia nihil fit. Secus « legitur IX lectio homiliæ vigiliæ, et fit commemoratio de ea ad Laudes tantum, cum antiphona ad Benedictus et versus feriæ occurrentis de psalterio, et oratione vigiliæ » (BRG, VI, 2);

b/ *trium lectionum* (festum simplex aut dies octava simplex), officium est de vigilia, cum commemoratione festi ad Laudes (et Missam).

Quoad MISSAM: si vigilia occurrit:

1° *in duplicibus I vel II classis* aut per octavam privilegiatam II ordinis, non permittitur missa de vigilia, præter missam conventualem extra chorum dicendam. Et quidem in duplicibus I classis non fit commemoratio de vigilia (*Miss. Add. et Var.* I, 1).

2° In *aliis festis duplicibus* aut semiduplicibus aut infra octavam, aut in feriis Quadragesimæ aut Quatuor Temporem, missæ privatæ ad libitum celebrantium dici possunt vel de vigilia, vel de officio diei (vel de feria prædicta) cum commemoratione alterius (2) (*Miss. Add. et Var.*

---

(1) Impossibilis esset commemoratio: bis enim dicenda esset eadem antiphona et versus de feria.

(2) Nisi utraque missa sit cantata aut conventualis, de quo cf. *Collat. Brug.*, XXIII, 222 ss.

I, I, 2) (1). Si plures occurrant commemorationes, vigiliæ commemoratio ponenda est post omnes alias speciales, præterquam diei octavæ simplicis aut festi simplicis.

3° In *die octava simplici*, *in die festi simplicis* aut feria Adventus extra Quatuor Tempora, aut feria communi, missa erit de vigilia, cum commemoratione diei octavæ aut festi simplicis, aut feriæ Adventus.

In vigilia non permittitur missa votiva privata aut Requiem nisi sint in cantu; nec resumi potest missa Dominicæ impedita (M A V, I, 6), nec permittitur missa pro defunctis aut oratio *Fidelium* in 1ª feria mensis non impedita, aut in feria II hebdomadæ pariter non impedita (M A V, III, I, 2).

C. Callewaert.

(1) In ecclesiis ubi adest obligatio chori, duæ missæ conventuales sunt celebrandæ, una in choro, de vigilia aut de feria, altera de festo extra chorum. Si vigilia occurrat in die infra aliquam octavam communem, una celebratur missa conventualis, de vigilia nempe cum commemoratione octavæ. Si tandem vigilia occurrat in feria Quadragesimæ, vel Quatuor Temporum, missa conventualis unica erit de feria cum commemoratione et ultimo evangelio de vigilia.

Acta SS. Congregationum.

E Supr. S. Congr. S. Officii.

DECRETUM

DAMNATUR OPUS CUI TITULUS « MANUEL BIBLIQUE, etc. » (1)

Feria IV, die 12 decembris 1923.

In generali concessu Supremæ S. Congregationis S. Officii Emi ac Revmi Domini Cardinales fidei et moribus tutandis præpositi, præhabito DD. Consultorum voto, proscripserunt, damnaverunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt, cum omnibus ipsius versionibus, opus, cui titulus :

VIGOUROUX, BACUEZ et BRASSAC, *Manuel biblique ou Cours d'Ecriture Sainte à l'usage des Séminaires.*

Tome troisième : « Nouveau Testament », par A. Brassac, etc., douzième édition totalement refondue, Paris, 1907. Tome quatrième : « Nouveau Testament », par A. Brassac, etc., douzième édition, Paris, 1909.

Tome troisième : « Nouveau Testament », etc., par A. Brassac, etc., treizième édition, etc., Paris, 1910. Tome quatrième : « Nouveau Testament », par A. Brassac, etc., treizième édition, Paris, 1911.

« Ancien Testament », quatorzième édition, revue par A. Brassac, etc., avec la collaboration de J. Ducher. Tome premier, etc., Paris, 1917. — Tome deuxième, etc., Paris, 1920.

« Nouveau Testament », par A. Brassac, quatorzième édition entièrement revue. Tome troisième, Paris, 1913. — Tome quatrième, Paris, 1916.

Tome troisième : « Nouveau Testament », par A. Brassac, etc., quinzième édition entièrement revue, Paris, 1920.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 615. — Vide in proximo fasc. epistolam ad R. P. moderatorem supremum presb. a S. Sulp. circa relatum damnationis decretum.

Et in sequenti feria V, die 13 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Romæ, ex ædibus S. Officii, die 15 decembris 1923.

Aloisius Castellano, *Supremæ S. C. S. Off. Notarius.*

E S. Congr. Rituum

DUBIA. (1)

A Sacra Rituum Congregatione, pro opportuna declaratione, expostulatum fuit:

I. Exceptio, quæ habetur in tit. II, n. 11, novarum rubricarum Missalis Romani, nempe « exceptis Missis num. 7-9 comprehensis », valetne quoad Missas quæ inferius, tit. IV, num. 1-5, recensentur, ita ut eiusmodi quoque Missæ permittantur, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, die secunda februarii, etiamsi fiat benedictio Candelarum, et in Litaniis maioribus et minoribus, etiamsi fiat Processio?

II. Si prima feria sexta mensis ianuarii incidat in diem secundam vel tertiam vel quartam eiusdem mensis, et alicubi occurrat Officium de infra Octavam Circumcisionis Domini, pro Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu, concessa per decretum S. R. C. num. 3712, *Urbis et Orbis*, diei 28 iunii 1889, estne dicenda Missa *Puer natus est nobis*, de die 30 decembris, iuxta decretum S. R. C. diei 27 iunii 1923 (2), vel potius, in casu, dicenda est Missa de die infra Octavam Circumcisionis, ad instar votivæ solemnis, absque commemoratione de Sacratissimo Corde Iesu, iuxta decretum eiusdem S. R. C. *Hildesien.*, 16 iunii 1922, ad XII et XIII (3)?

III. An *Credo* dicendum sit in Missa de festo duplici I vel II classis, cui Symbolum per se non convenit, si extra Dominicam celebretur infra Octavam communem alicuius festi Symbolum habentis, de qua non fit commemoratio?

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 560 s.

(2) Quod vide ap. *Collat. Brugen.*, XXIII, 330.

(3) Vide *Collat. Brugen.*, XXIII, 70, 76 s.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, respondendum censuit:

Ad I *Negative* (1).

Ad II. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Ad III. *Affirmative*, ad normam specialis rubricæ Missalis Romani in festo S. Ioachim Conf., die 16 augusti, excepta tamen Missa cantata vel conventuali de festo, si alia Missa cantata vel conventualis de Octava celebretur, iuxta novas rubricas Missalis Romani, tit. V, n. 4, atque decretum S. R. C. n. 4192, *Ordinis Fratrum Minorum*, 10 novembris 1906, ad II, 2.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 26 octobris 1923.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. Præfectus.

L. S. Alexander Verde, *Secretarius.*

Adnotandum ad secundum. Omnino cohæret hoc responsum cum præcedentibus quæ de votiva in honorem SS. Cordis data fuere his ultimis temporibus. Confirmatur indies magis faustissima quam (t. XXIII, 331) notavimus tendentia qua S. Congregatio cultum SS. Cordis ita fovet ut intimius cohæreat cum cursu anni liturgici; quod sane multo melius videtur quam novas ita inducere devotiones ut hunc cursum omnino disturbent.

C. C.

(1) Sufficit legere textum novarum rubricarum Missalis, ut appareat nullum esse dubitandi locum: inutilis erat recursus ad S. Congregationem.

Fabriques d'églises.

Consultations.

1. Les *quittances* des sommes dues *par* les fabriques d'église sont elles exemptes du droit de timbre ?

R. La loi du 24 juin 1920 (1) augmentant considérablement les droits de timbre proportionnel assujettissait *les quittances* à un droit de timbre proportionnel (2). Toutefois les *quittances* ayant pour objet des sommes dues *par* les fabriques étaient exemptes du droit de timbre, puisque cette loi avait maintenu le n° 42 de l'article 62 de la loi du 25 mars 1891.

Mais la loi du 10 août 1923, art. 16, vient de modifier l'article 62, n° 42 susdit, en retranchant le mot *quittances*. Il s'en suit donc que sont seuls exempts du timbre : « les *mémoires*, *factures et mandats* ayant pour objet des sommes dues *par* l'Etat, les provinces et communes, les polders et wateringues et les établissements publics ». Et en conséquence, désormais les *quittances* des sommes dues *par* l'Etat... et les établissements publics (telles les fabriques) sont soumises au droit de timbre de la loi du 24 juin 1920 (3).

Donc, d'une façon générale, toutes les quittances ayant pour objet des sommes dues *par* les fabriques ou *aux* fabriques sont soumises au droit du timbre susdit (4).

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, 1921, t. XXI, p. 38 ss. ; avec la loi fiscale du 28 août 1921, *ibid.*, p. 444 ss.

(2) Sous l'empire de la loi du 25 mars 1891, les quittances étaient assujetties au timbre de dimension. Cfr *ibid.*, p. 48 nota 4.

(3) Voir ces droits dans *Collat. Brugen.*, l. c. p. 39, et 444. Ainsi les quittances données pour réception des traitements et pensions sont soumises à ces droits de timbre.

(4) C'est ce qui ressort aussi clairement de la circulaire ministérielle du 5 septembre 1923, n. 1627 : « En ce qui concerne l'Etat, les provinces, les communes, les polders et wateringues et *les établissements publics*, la volonté du législateur d'atteindre aussi bien toutes les quit-

Cependant il importe de remarquer la dinstinction faite par la dernière loi entre factures, quittances et ce qu'on peut appeler *factures-quittances*. En effet en vertu de l'article 8 de cette loi du 10 août 1923 : « peuvent être écrits à la suite des factures qui ont acquitté le droit de timbre dont parle l'art. 1 à 7 de cette même loi, et ce sans donner ouverture au droit de timbre de quittance, les reçus, acquits ou quittances des sommes faisant l'objet de ces factures ». En outre, l'art. 17 de cette même loi établit que les exemptions restent en faveur : « des quittances délivrées par un comptable public à un autre comptable public et, plus généralement, les quittances délivrées entre administrations ou établissements publics ». Sont dans ce cas, par exemple, les quittances échangées entre deux fabriques, entre une fabrique et l'Etat, province ou commune (subsides, etc.) (1).

2. *A qui incombe la charge du timbre ?*

Une réponse fut donnée dans l'explication de la loi fiscale du 24 juin 1920 (2) où il est dit qu'il ressort nettement des travaux préparatoires de la loi du 25 mars 1891 que le timbre est dû par celui qui a besoin de la quittance, c'est à dire, par le débiteur. A cela il faut ajouter que d'après l'art. 18 de la loi du 10 août 1923 : « le timbre des quittances données *à* l'Etat, *aux* provinces, aux communes, aux polders et wateringues et *aux* établissements publics est *à la charge des personnes qui les délivrent* », donc des créanciers.

J. Brys.

---

tances qu'ils reçoivent que celles qu'ils délivrent — à la seule exception des cas prévus aux litt. *a* et *b* de l'article 17 — résulte expressément de l'article 16 (loi du 10 août 1923) ». La circulaire donne comme exemples les quittances données ou reçues pour prix d'immeubles, pour coût de travaux et fournitures, pour traitements, indemnités, secours, pensions, pour montant des bons et mandats postaux, ainsi que des indemnités pour dommages de guerre, etc., etc. Cf. *Recueil général des décisions* administratives et judiciaires, en matière de droits d'enregistrement, de timbre, etc., 1923, t. LXXII, p. 264 ss.

(1) Cfr *Moniteur*, p. 4328. — et *Collat. Namurcences*, t. XVIII, p. 103.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, 1921, t. XXI, p. 40.

Notæ Bibliographicæ

Dr A. Decoene en **A. Staelens**. *Pædagogische zielkunde*. Tweede herwerkte druk. Leuven-Gent-Mechelen, De Vlaamsche Boekenhalle, 1923. – In 8, 330 bl. — Pr. 13,50 fr.

E. H. Decoene kon geen beter gebruik maken van zijn diepe philosophische kennis, dan die op zoo een grondige en vatbare wijze ten dienste te stellen van onze toekomstige onderwijzers. Op elke bladzijde van dit werk is men gewaar dat de uiteenzetting op de vaste grondvesten der scholastieke wijsbegeerte steunt, dat de schrijver ten volle op de hoogte is van de jongste vraagstukken en gegevens der wijsgeerige en proefondervindelijke psychologie, dat zijn ervaring van het kind en van het schoolleven, alsook die van zijn flinken medewerker M. Staelens, de beste en de meest praktische pædagogische toepassingen deed verkiezen. De ware christelijke levensopvatting straalt overal door, voornamelijk waar er spraak is van het streefvermogen. Voegen wij hierbij dat de tweede druk een ware herwerkte uitgaaf is: bewoording, uiteenzetting, voorbeelden en toepassingen, volgorde, aangave der nieuwste stelsels en gedachten, tot het uiterlijke van het boek zelf, alles heeft de verkieslijkste verbeteringen ondergaan en zoo kan er gezegd worden dat de *Pædagogische zielkunde* het beste deel uitmaakt van de reeds zoo verdienstelijke *Pædagogische Studiën* onder leiding van Dr Decoene en Dr De Hovre uitgegeven.

De bedoeling van de schrijvers, zoo we in het voorwoord lezen, was zeer nederig, ze bedoelden een handboek op te maken dienstig voor de studie der pædagogische zielkunde op de lagere Normaalschool. Maar daartegen merken we op dat onderhavig werk met veel nut zal gelezen, bestudeerd en toegepast worden door priesters, kloosterzusters en al wie zich met onderwijs en opvoeding onledig houdt.

A. Vermeersch — J. Creusen. *Epitome juris canonici, cum commentariis ad scholas et ad usum privatum*. T. III. Libri IV et V codicis juris canonici. Mechliniæ, Dessain, 1923. — In 8, XII-397 p. – Pr. 15 fr.

Hoc tomo tertio eximium opus RR. PP. Vermeersch et Creusen feliciter absolvitur (1). Pro scopo auctorum fusius exponendi eas tantum codicis partes quarum profundior cognitio omnibus sacerdotibus exoptatur, commentarium libri IV *de processibus* coarctaverunt, penitius tamen explicatis normis de amotione parochorum et de suspen-

(1) Editio altera primæ partis tomi I nuperrime prodiit Mechliniæ, ap. Dessain. — In-8, XII-112 p. — Pr. 4,50 fr.

sione ex informata conscientia; interpretationem vero libri V *de delictis et pœnis* accuratius proposuerunt.

Præter supplementa ad tomos I et II, quibus decreta et responsa novissima S. Sedis continentur, additi sunt indices generales scriptorum, canonum et rerum, quibus usus libri multo expeditior redditur.

In tertio volumine, sicuti in duobus prioribus, meritissime extolluntur dotes quibus eminet, nempe: vera scientia juris, ampla eruditio, sensus juridicus acutissimus, studium proponendi solutiones ad praxim facientes et illa demum auctorum sinceritas, qua, non dissimulatis difficultatibus, quæstiones occasione canonum subortas dissolvere conantur.

Ideo omnibus sacerdotibus enixe commendatur illud commentarium, ut ex eo cognoscant mandata Ecclesiæ, eaque scrutentur et in toto corde custodiant.

J. Noval, O. P. *Commentarium codicis juris canonici. Lib. IV. De processibus. Pars I. De judiciis.* Augustæ Taurinorum, Marietti, 1920. — In 8, XII-624 p. — Pr. 18 fr.

Ad mentem normarum a S. C. Seminariorum et Universitatum Studiorum, die 7 augusti 1918, editarum, eruditissimus auctor curavit ut sua commentandi ratio esset simul *scientifica* et *practica: practica* cum, in expositione textus, legenti exhibeat distincte singula præcepta in quolibet canone expressa, addita solutione dubiorum inde obortorum; *scientifica* vero, cum cuilibet parti, sectioni, titulo, capitulo et articulo præmittat rationem ordinis, notiones, notas historicas necnon rationes legis, notata utilitate aut necessitate historicarum mutationum.

Hoc commentarium accuratissima diligentia exaratum, sacerdotibus ministerio sacro addictis forsan minus utile, cum multo fructu ab omnibus studentibus et docentibus jus canonicum legetur et consuletur; nec eo carere potest ulla curia diœcesana.

Matthæus a Coronata, O. M. C. *De locis ac temporibus sacris.* Codicis jur. can. lib. III, pars altera. Tractatus theorico-practicus. Augustæ Taurinorum, Marietti, 1922. — In 8, XIX-340 p. — Pr. 14 lib.

Omnibus juris canonici studio incumbentibus omnibusque ministerio parœciali addictis valde commendanda est hæc commentatio, non tantum propter momentum, utilitatem necnon difficultatem rei agitatæ, sed etiam propter dotes claritatis, soliditatis et methodi quibus multis aliis antecellit. Auctor, non illos imitatus qui leviter tantum aut quasi de novo codicem commentati sunt, in lucem edidit commentarium completum et eruditum ubi antiqua legislatio et optimorum veterum et recentiorum interpretatio merito attenduntur. Tractatus, qui merito *theorico-practicus* vocatur, complectitur titulos *de ecclesiis, de oratoriis, de altaribus, de sepultura ecclesiastica, de diebus festis, de abstinentia et jejunio*; absolvitur indice analytico-alphabetico.

A. De Meester.

Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam. (1)

Tabula III.

Regnum Dei supernaturale, per peccatum turbatum, restauratur et perficitur per Verbum incarnatum Redemptorem.

Prævia.

Antequam hæc tabula evolvatur, duo lugenda spectacula sese offerunt oculis nostris: unum in cœlo, nempe lapsus multorum angelorum; alterum in terra, scilicet lapsus generis humani per peccatum Adæ.

Utrumque oportet prævie explicare, quoniam ad ordinem a Deo statutum ita pertinet ut sine eo intelligi nequeat integer hic ordo, quippe quem Deus, æterno summæ pietatis consilio, statuit ad perfectionem deducere, simul dum utrumque lapsum prævisum et permissum voluit reparare, non reficiendo opus suum, quasi non prævidisset omnia, sed illud perficiendo in Verbo incarnato.

I.

Et lapsum quidem angelorum, ipsis lapsis irreparabilem, ut videbimus, reparavit tamen Deus respectu bonorum angelorum et respectu Christi Redemptoris, cum inter agmina sanctorum angelorum subintrare facit multitudinem sanctorum hominum, qui lapsorum locum

(1) Vide supra hoc tomo, pag. 19.

insumant et regnum Christi cœleste compleant. Præterea, ipsis quoque angelis lapsis usus est ad perficiendum opus redemptionis humanæ et ad gloriam Redemptoris, ut ex supra jam dictis manifestum est.

Quod autem lapsum hominis attinet, sine illo sane intelligi nequit regnum Dei supernaturale in sua integritate et plenitudine, siquidem in reparando hoc lapsu seu redimendo humano genere tali modo, scilicet per Verbum incarnatum, non modo restauratus est ordo turbatus sed ad perfectionem deductus.

De utroque ergo lapsu, sicut et de omnibus malis inde consequentibus, valet dictum Augustini: « Neque, *inquit*, Deus omnipotens, cui rerum est summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo (1). »

***

Itaque primo agendum est de lapsu angelorum. Cum certum sit partem angelorum peccasse atque e cœlo dejectos esse, certum quoque invidia et tentatione diaboli humanum genus in Adamo lapsum ex originali justitia excidisse, et porro dæmones conatos esse redemptionem hominum impedire atque continuo saluti redemptorum a Christo insidiari: contra, incerta sunt plurima vel et prorsus ignota de natura ac circumstantiis peccati angelorum; unde factum est ut plures diversæque Patrum et theologorum opiniones exortæ sint. Equidem quæstio hæc facile animos intentos tenet, eoque vel magis quod cum doctrina redemptionis humanæ conserta est, et attentis pluribus Ecclesiæ dogmatibus ejus solutio quærenda, atque hæc rursus solutio ad nexum dogmatum intimius perspiciendum haud modicum confert.

Porro, in re obscura, quæ nec ratione nec directe revelatione sive e Scriptura sacra sive e traditione Patrum

(1) *Enchiridion*, cap. XI.

in diversa abeuntium plene illustratur, caute procedendum est; illa autem solutio nobis præferenda est tum quæ dogmati ac veritatibus certis magis consonat, vitatque quæ ex illis difficultates opponi possent, tum quæ hypothesibus non numero pluribus nec gratuitis magis veroque minus similibus nititur, sed, si hypothesibus eget, iis potius minore numero atque probabilioribus. Atqui, hæ conditiones verificari nobis videntur præ cæteris in sententia quam nunc proponimus et breviter explicamus, cum ea collatis diversis Doctorum opinionibus.

Primà origo peccandi diabolo fuit ea superbia qua sibi in propria naturæ suæ excellentia ita complacuit ut nullam creaturam, non modo excedere se, sed nec sibi æquari passus sit. Hoc autem superbiæ peccatum commisit eo quod, cognito divino decreto quo ad ordinem supernaturalem extollebantur creaturæ rationales, et illico perspiciens inde fieri ut supernaturali merito et præmio divinæ visionis æquari vel et superari posset a creaturis sibi natura longe minoribus (1), *præ superbia et ex ea consequente invidia spreverit dona Dei, hisque merendam Dei beatam visionem respuerit, potius quam haberet creaturas sibi in gloria æquales vel et majores.*

Igitur principium peccandi primumque peccatum diaboli fuit superbia, quod quidem peccatum præ cæteris cum natura spirituali magis convenire potest; et, « diabolum ejusque satellites non alio prius quam superbiæ peccato corruisse, communis fere sensus Patrum omnium est », teste Petavio (2).

Alterum peccatum diaboli, ex superbia consequens, fuit invidia in homines, et conjunctum quidem suo superbiæ peccato, cum, ut putamus, in decreto ordinis supernaturalis sciverit et homines ad hunc divinum

---

(1) Quod quidem factum reipsa constat in Beatissima Virgine Maria, quæ omnes angelos et sanctos transcendit; sed et forte non pauci sancti angeli et homines aliquos angelos etiam superiores merito supernaturali excedunt.

(2) *Op. de theol. dogmatibus; De angelis*, l. III, c. II, n. XI.

ordinem exaltandos; quos etiam toti naturæ sensibili, « piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram » (1) dominaturos noverit. Quæ quidem si de homine tunc nesciverit, postea exortum e superbia dicemus peccatum invidiæ in homines.

Atvero, certo cum superbia conjuncta fuit invidia in angelos sanctos, qui fideles Deo remanserunt; nam et angelis bonis invidisse diabolum dubium non est, quod et insinuat figura adhibita a Joanne apostolo, in Apocalypsi (2) de pugna Michaëlis, principis militiæ cœlestis, et angelorum ejus cum diabolo ejusque asseclis. Et sola quidem in diabolo notitia ordinis supernaturalis quoad angelos sufficit ut stet nostra sententia, quamquam opinamur diabolo notum fuisse decretum ordinis supernaturalis cæteris creaturis intellectualibus applicari posse vel et de facto applicatum iri omni creaturæ rationali.

Ex his jam vides non pluribus egere hypothesibus sententiam nostram; quod præterea ex eo elucet quod independens quoque sit a quæstione quo tempore angeli creati sint et ad ordinem supernaturalem evecti. Creatos quidem ante hominem nemo dubitat, imo primi e creaturis conditi haud incongrue dicuntur (3); num vero statim a creatione fuerint ad ordinem supernaturalem evecti, uti vult S. Thomas cum aliis, anvero postea tantum, ut opinatur cum nonnullis S. Bonaventura, non constat. Quidquid sit, nostra nihil refert: sufficit enim angelos, quovis tempore id factum sit, decretum novisse ordinis supernaturalis sibi applicari, sed et aliis creaturis intellectualibus esse saltem applicabile; eodem enim momento mali angeli Dei donum respuerunt, dum boni gratissimo animo tantum beneficium susceperunt et pro merito diverso hujus amorosæ gratitudinis beatitudinem diverso quoque gradu consecuti sunt.

---

(1) *Gen.*, I, 28.
(2) XII, 7 sqq.
(3) V. Petav., op. cit. *De angelis*, l. I, c. XV.

Hoc quoque nostra sententia rite declarat quomodo nempe diabolus, dæmoniorum princeps et antesignanus, quem opinio satis communis Patrum et Doctorum tenet angelum fuisse omnium summum (1), vel saltem maximæ celsitudinis, appetierit esse similis Altissimo (2): videlicet, non quidem æqualis (3), utpote se a Deo creatum adeoque in omnibus dependentem, ab eo infinite distantem perfectione optime sciens; similis vero in eo, quod nulla creatura se major vel et sibi esset æquanda. Ex quo et consequebatur ut aliquem principatum ac dominationem appeteret in alia, in hoc rursum perverse affectans cum Deo similitudinem, atque invidiam concipiens in homines tum naturæ sensibili dominantes, tum supra omnem naturam ad ordinem divinum evectos vel evehendos.

Præterea, quod sedulo notandum est, in nostra thesi facile intelligitur quomodo diabolus tot secum miseros angelos, suo exemplo atque suggestione seductos, in

---

(1) V. Petavium, op. cit., *De angelis*, l. III, c. III, n. VII, qui hanc anteponendam dicit alteri sententiam, aliis omnibus antecelluisse diabolum.

(2) Juxta *Isaiæ*, XIV, 12-15, coll. *Ezech.*, XXVIII, 13-17; quæ quidem dicta prophetica nonnulli Patres interpretantur, saltem typice, de diabolo; de quibus v. Petavium, l. c., l. III, c. II, n. XXI et sqq., coll. c. III, n. III.

(3) Sunt quidem inter Patres, qui asserunt diabolum sese Deo æqualem fecisse, qui tamen plerique intelligi possunt de æqualitate similitudinis. V. Petavium, l. c., l. III, c. II, n. XXV. Ibidem citat Isidorum, qui scripsit diabolum prius voluisse æqualem se esse Deo, sed et postea etiam superiorem, juxta illud Apostoli, *2 Thess.*, II, 4: « Qui adversatur, et colitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur ». Sed hoc commode interpretandum censemus, ita ut diabolus primo suo peccato superbiæ appetierit æqualitatem quamdam similitudinis, ut diximus; postea vero, non quidem crediderit se posse et voluerit se esse Deo superiorem, sed falso consciusque mendacii se ut Deum ab hominibus coli voluerit, neglecto Deo, idque cultu supremo, quo interpretative se Deo superiorem vel saltem æqualem ostendere iisdem hominibus voluerit; qua de re infra erit sermo apud Guillelmum Parisiensem. Cæterum et in hoc quodammodo voluit diabolus esse Deo superior, quatenus interpretative voluerit ipsi Deo legem ponere de non instituendo ordine supernaturali, ne merito supernaturali majorem vel æqualem forte haberet aliquam creaturam, ut dicemus postea declarando quanta fuerit diaboli superbia.

lapsu et æterna pernicie socios habere potuit, quod ægre explicatur in aliorum opinionibus, qui ad exaltationem etiam hominis ad ordinem supernaturalem non appellant. Re quidem vera, angeli inferiorum ordinum intelligere potuerunt fore ut ex meritis supernaturalibus superiores quoque ordines in gloriosa Dei visione æquarent vel et transcenderent (1): et ea ratione potius restitissent suggestioni principis diaboli. Si vero is illos attentos fecerit se homini, naturæ longe inferioris, ad eumdem ordinem divinum vocato æquari vel et minorari sub eo posse, tum quidem superbiæ peccato locus erat et exinde invidiæ.

Sic ergo quoque diaboli ejusque satellitum atrocis invidiæ in homines ratio redditur multo convenientior quam in aliis sententiis, de quibus statim.

Unum ad hæc adjicimus obiter, scilicet nos cum illis non facere qui docent ideo lapsos dæmones, quod, patefacto ipsis mysterio futuræ incarnationis Verbi, et officio adorandi hominem-Deum, id facere renuerint. Etenim, non tantummodo argumenta positiva non afferunt firma ad tanti momenti rem demonstrandam; sed positive contra est dæmones ignorasse istud mysterium ad tempus usque vitæ publicæ Servatoris, donec ipse divinitatem suam Judæis, verbis et miraculis, palam ostendit, quemadmodum et modum redemptionis ad finem usque ejusdem peractæ nescierunt. Utrumque ex doctrina tum S. Scripturæ, ut supra jam attactum est et infra clarius patebit, tum SS. Patrum (2) dilucide apparet.

Jam aliquas cum nostra Doctorum opiniones conferamus.

S. Thomas suam ita exponit: Diabolus « in hoc appetiit esse similis Deo, quia appetiit ut finem beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens

---

(1) Bene attende dici: meritis *supernaturalibus*; ut enim clare ostendit S. Thomas, 1, q. 63, a. 3, « nulla res, quæ est in inferiori gradu naturæ, potest appetere superioris naturæ gradum ».

(2) V. Petavium, l. c., l. I, c. VIII, n. XIII et XIV.

appetitum suum a beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei. Vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudinem quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem (1). »

Mirum nobis videtur D. Thomam hanc posteriorem conjecturam proponere: non enim videmus qua probabilitate dici possit diabolum voluisse illam Dei similitudinem quæ est ex gratia habere per virtutem suæ naturæ. Si nos ipsi perspicimus impossibile esse ut creatura quævis per virtutem suæ naturæ obtineat finem supernaturalem, quomodo fieri potuit ut idem non viderit diabolus tanta intellectus vi præditus, eaque nec habitu nec passione præcedente ligata ut in particulari deficiens eligeret impossibile, sicut in nobis interdum accidit — quod ipse S. Thomas ibidem supra observat, — aut si id perspexerit diabolus, nihilominus rem impossibilem appetierit?

Notat quidem ad hoc Cajetanus: « Primo, quod S. Thomas dicit quod impossibile non potest appeti ut res appetita. Ex dictis autem nunc patet quod res electa [i. e. ipsa beatitudo] non solum possibilis sed bona fuit. Impossibilitas sequitur modum appetendi [nempe, per virtutem naturæ; aut si de appetitu beatitudinis cujusdam naturalis agitur, eam non ordinando in supernaturalem, adeoque appetendo ut ultimam ac consequenter ut finalem naturæ, quam habeat virtute naturæ]. Secundo dicitur quod, quoad beatitudinem supernaturalem, fuit per accidens volitum impossibile per se, et non fuit per se volitum; quoad beatitudinem naturalem ut finalem, dicitur et quod hoc est impossibile per accidens ex suppositione scilicet superadditi ordinis supernaturalis, et nihilominus fuit etiam volitum per accidens ex consequenti ».

---

(1) *Summa theol.*, I, q. 63, a. 3; cf. *Quæst. disputatæ de Malo*, q. XVI, a. 3.

Sed ad hæc reponimus: diabolum, prius quam appeteret, non solum cognovisse rem electam sed et modum appetendi, adeoque rem, id est in casu beatitudinem supernaturalem impossibilem per se ne per accidens quidem velle potuisse. appetere enim debuit eam non absolute sed eo modo quo appetitui eam demonstrabat prævia cognitio. Atqui hæc non potuit aliter eam ostendere quam eo modo impossibilem. Licet ergo impossibilitas sequatur modum appetendi, non tamen cognitio modi appetendi sequitur sed præcedit ipsum actum appetitus, et proinde fieri nequit ut ipse hic actus ponatur, præcognita impossibilitate tali modo appetendi.

Quod priorem conjecturam a S. Thoma propositam attinet, sic de ea idem Cajetanus: « Adverte quod peccatum angeli rationabilius ponitur in appetitu quiescendi in naturali beatitudine, quam in appetitu volendi supernaturalem absque misericordia. Tum quia ille appetitus est angelo naturalis, et natura magis impellit superbum ad illud quam ad hoc, ut etiam in nobis experimur, dum superbe vellemus in nobis quiescere, divina Deo relinquendo. Et hæc opinio, judicio meo, placet S. Thomæ; in cujus signum hanc simpliciter posuit, aliam vero sub conditionali. » Hanc animadversionem omnino rectam existimamus. Opinioni autem S. Thomæ dicentis: diabolum in hoc appetiisse esse similem Deo « quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei »; huic, inquimus, opinioni, si terminos prout jacent inspicias, nostræ non contradicere reperies: utrinque enim in hoc superbus dæmon appetiit similis esse Deo, tum quod respuerit beatitudinem supernaturalem. tum quod beatitudinem constituerit in eo, ad quod virtute suæ naturæ pervenire poterat Est tamen reipsa inter utramque opinionem discrimen, quod notari meretur, si nempe propria ratio superbiæ, qua peccavit dæmon, inspiciatur. Videlicet, si inquiratur qua præcise ratione, respuendo ordinem

supernaturalem, similis Deo esse voluit dæmon, aliam rationem explicat S. Thomas, aliam nostra sententia.

Divus quidem Thomas, postquam duplicem conjecturam suam exposuit, addit: « Et hæc duo quodammodo in idem redeunt: quia secundum utrumque appetiit [diabolus] finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei ». Quod ita esse in casu posterioris conjecturæ, videlicet si diabolus voluerit habere supernaturalem beatitudinem per virtutem suæ naturæ, haud ægre intelligitur, sed præcise ex hoc oritur inconveniens, de quo supra diximus, nempe rei impossibilitas, quam diabolus non videre non potuit. In priori vero conjectura, quod nempe beatitudinem quamdam naturalem ceu finalem, spreta supernaturali, appetierit dæmon, non ita facile perspicitur quomodo in hoc voluerit quod est proprium Dei. Id explicat, subtiliter quidem, Cajetanus, quatenus qui vult naturalem beatitudinem ceu ultimam et finalem sua virtute consequi, revera, in hypothesi instituti ordinis supernaturalis, æquivalenter vult consequi quod est proprium Dei, scilicet habere beatitudinem vi naturæ suæ. Sed manet et in hoc difficultas: si enim stricte intelligis *proprium Dei*, non solam similitudinem sed æqualitatem cum Deo appetiisset diabolus, quod non tam superbiæ quam stultitiæ fuisset, et quod rursum ut impossibile apprehendisset; neque ipse S. Doctor, in præcedentibus, admittit possibilitatem in dæmone appetendi æquiparantiam cum Deo.

In nostra sententia, ratio propria superbiæ diaboli appetentis similitudinem cum Deo in eo est, quod dona supernaturalia atque divina respuerit ideo, quod nullam creaturam passus sit se esse majorem nec vel sibi æqualem, ut explicavimus, in hoc vere affectans similitudinem cum Deo, qui nec æqualem habet sed nec habere potest. Unde etiam intelliges quo sensu habere voluit, quod est proprium Dei, quo vero non. Proprium enim quod est Dei aliquatenus voluit relative ad creaturas, id est, nul-

lam habere se majorem nec sibi æqualem. Et hoc est quod similis, non æqualis, esse voluit Altissimo. Non vero quod proprium est Dei voluit absolute et relate etiam ad Deum, nec adeo Deo esse æqualis, utpote quod impossibile esse apprehenderet, cum Deum se et omnibus majorem esse et sine æquali clare intelligeret.

Vides quanta tamen fuit illa diaboli superbia seu inordinata complacentia in naturæ suæ excellentia propria, ut nempe Dei beneficium maximum divinamque visionem sperneret potius quam ab aliqua creatura in gloria cœlesti excederetur vel et æquaretur tantummodo; quanta pariter superbia aliorum dæmonum qui, diabolum imitati, Dei beneficia summa respuerunt ne sibi inferiores angelos ipsosque homines paterentur fieri in gloria se majores vel et solummodo sibi æquales. Quanta malitia in illis spiritibus superbia tumescentibus ut, interpretative saltem, voluerint ipsi Deo legem ferre ejusque omnipotentiæ et amori limites ponere ne id faceret quod tamen et sibi et omnibus creaturis intellectualibus, pro singulorum meritis supernaturalibus, libera uniuscujusque voluntate cum gratia acquirendis, summe gloriosum ac beatum foret, et ita quidem ut major beatitudo plus merentis nullatenus noceret minus merentis beatitudini. Quam igitur superba rebellio in Deum; quantus quoque, ex eadem superbia consequens, livor invidiæ in Dei creaturas ad supernam gloriam vocatas.

Jam transimus ad alias quasdam notatu dignas opiniones, et primo quidem illam Guillelmi Parisiensis, quam prætulit Petavius opinioni S. Thomæ, de cujus assertis ait: « Quæ haud scio an veterum Patrum placitis perinde consentanea sint atque illa Guillelmi Parisiensis (1) ». Hujus autem refert sententiam his verbis (2) ». Disputavit de eo latius cæteris ac subtilius Guillelmus Parisiensis (3).

---

(1) L. c. *De angelis*, l. III, c. II, n. XXV, in fine.
(2) Ibid., n. XXII, in fine.
(3) Nempe in 1ª par. 2ᵃᵉ par. *de Universo*, a c. 99.

Cujus hæc imprimis est ratio (1): Peccasse superbia diabolum quod non, ut servum decebat, subjectus esse Deo, sed, ut filius, liber ac sui juris esse, ac præesse omnibus voluerit. Cum enim excellentiam suam ac nativa ornamenta contemplaretur, eorum amore ac voluptate captus, et plus æquo sibi placens, nulli subesse penitus, ac rebus omnibus a Deo conditis summo ac nulli obnoxio jure dominari voluit. » Paulo infra (2) addit idem Petavius: « Quinetiam verisimile arbitratur idem [Guillelmus (3)], diabolum et angelos ejus divinum sibi honorem voluisse tribui, hoc est pro diis haberi se et adorari ; quod ab gentibus obtinere magno deinde studio conati sunt... Ex quibus [universis a Guillelmo disputatis] interpretari possumus, quemadmodum æqualitatem cum Deo ac similitudinem affectarit improbus ille: nimirum quod summæ majestatis proprium in creatas res dominatum, ac nulli subjectum imperium, affectu saltem ac voto, concupivit. »

Postea suam ipse mentem aperit Petavius (4) : « Quocirca summæ et absolutæ dominationis in creatas res omnes cupiditate, et subjectionis odio ac detestatione, si quidem id consequi posset, lapsum esse diabolum arbitramur. » Additque et hanc esse sententiam S. Bonaventuræ : « Ut et S. Bonaventura testatur in Breviloquio (5): *Primus*, inquit, *Lucifer inter angelos præsumens de privato bono, privatam appetiit excellentiam, volens aliis superferri; et ideo cecidit cum cæteris consentientibus sibi.* Ac subinde: *Lucifer suæ pulchritudinis et altitudinis consideratione excitatus ad se diligendum et suum privatum bonum, præsumpsit de altitudine habita, et ambivit excellentiam propriam, non tamen obtentam, ac per hoc præsumendo constituit se sibi summum bonum in seipso quiescendo.* »

---

(1) Ibid., c. 106 et 109.
(2) L. c. n. XXIV.
(3) In cap. 111.
(4) L. c., n. XXVI.
(5) *Brevil.*, c. VI.

Hæc omnia non contradicunt sententiæ nostræ, ut liquet, sed et cum opinione S. Thomæ conciliari possunt, ut ostendunt quæ addit S. Doctor, in fine articuli supra citati (1) : « Quia vero quod est per se est principium et causa ejus quod est per aliud, ex hoc [quod voluit diabolus esse ut Deus] consecutum est quod appetiit aliquem principatum super alia habere: in quo etiam perverse voluit Deo assimilari. » Neque ergo negat S. Thomas superbiam diaboli etiam in hoc fuisse, ut illam autocraticam dominationem in creatas res omnes habere voluerit; sed et altius penetrat ad originem istius superbæ dominationis, quam Petavius post Guillelmum Pariensiensem et S. Bonaventuram asserit. Neque igitur horum opinioni contradicit nostra sententia quæ, sicut illa S. Thomæ, principium et radicem peccati angelorum penitius inquirit.

Ex his vides nos, cum S. Thoma, et occasionem peccati angelorum indicare, et propriam rationem superbiæ illorum inquirere; quod utrumque omittunt illi de quibus nunc agimus. In indicanda autem hac ratione cur diabolus et angeli ejus, respuendo ordinem supernaturalem, voluerunt esse similes Deo, stat discrimen nostram sententiam inter et illam S. Thomæ, supra declaratum ; qua in re ad sententiam Petavii aliorumque quos approbat, et ad placita veterum Patrum propius accedimus.

Hæ sunt præcipuæ de peccato angelorum ejusque circumstantiis opiniones, tum ex collatione dogmatum Ecclesiæ, tum ex inspectis ac coordinatis placitis veterum Patrum diversis subindeque obiter prolatis, efformatæ. Unde necesse non erit dicta Patrum singillatim referre, quod cæterum a Petavio factum legi potest ; sed quæ scripsimus lectori studioso factura satis putamus ut et de sententia nostra et de re ipsa æquum ferat judicium.

Itaque per superbiam peccatum et malum facto intravit in mundum, in cœlum et in terram, ut peccatum

(1) Scil. 1, q. 63, a. 3.

quoque protoparentum monstrabit. Ast, non tantummodo facto initium fuit peccati superbia, sed natura sua principium est et origo omnis peccati. Quid enim est peccatum nisi rebellio adversus Deum, et quid aliud est superbia quam rebellio? Jure merito primum locum occupat inter peccata capitalia, sed et nonnulli Patres et Doctores eam non numerant inter cætera capitalia, sed seorsum singularem et proprium locum ei assignant, utpote capiti et origini omnium peccatorum. Faxit Deus ut nos ab omni superbia præservet, et contra, nobis profundam erga suam majestatem inspiret reverentiam, sinceramque summissionem et subjectionem erga ipsam omnesque quæ imaginem ejus referunt.

Petet forte aliquis cur Deus, cum sit infinite misericors, quod et erga humanum genus magnifice ostendit, tamen angelis rebellibus non pepercit? Inprimis quidem, Deum interrogare cur hoc vel illud faciat, non decet; responsum enim ejus sonaret: quia hæc est voluntas mea rectissima et omnis rectitudinis regula; seu quia hoc est consilium omnipotentiæ, sapientiæ et bonitatis infinitæ, et hæc sane ultima ratio est omnis operationis Dei ad extra. Inde exclamat Apostolus (1): « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. »

Attamen nihil nos prohibet humiliter inquirere rationes convenientiæ in opere divino, ad propriam ædificationem et ad glorificationem divinarum perfectionum.

S. Gregorius et S. Bernardus rationem cur Deus angelos non reparavit, sicut homines restauravit, adducunt, quia, ajunt, angeli propria voluntate peccarunt, dum humanum genus unius culpa lapsum est, adeoque unius quoque meritis conveniebat id redimi. Hæc ratio non valet pro ipsis protoparentibus, qui propria voluntate lapsi, tamen quoque redempti fuerunt. Aliam autem rationem addere possumus quæ pro omnibus valet: quia nempe angeli ex

(1) *Ad Rom.*, XI, 33.

pura malitia peccaverunt, dum homo lapsus est tentatus a diabolo; et hoc sedulo attendendum, diabolum egisse ex odio Dei et invidia in creaturas ejus, et putasse se destruere posse opus Dei, et de Deo victoriam agere. Hoc autem Deus tolerare non poterat, adeoque et hæc validissima ratio erat, ut Deus opus suum, non reficiendo, sed complendo et perficiendo restauraret.

Quispiam forte cogitabit, si Deus instaurasset angelos lapsos, futurum ut Adam non tentaretur et forte non peccaret. Atvero, inprimis manet ratio discriminis peccatum angelorum inter et hominis; præterea, ex doctrina S. Thomæ (1), angeli incapaces sunt pœnitendi, adeoque eorum peccatum est irremissibile. Quod deducit S. Doctor ex ipsa natura angelica, ex modo cognoscendi et volendi hujusmodi naturæ, quæ ita immobiliter apprehendit per intellectum, et ita fixe et immobiliter voluntate adhæret objecto semel volito, ut ab eo discedere nequeat; unde fit ut dæmones sint in peccato obstinati. Et ibidem, ad 2m addit S. Doctor : « misericordia Dei liberat a peccato pœnitentes. Illi vero qui pœnitentiæ capaces non sunt, immobiliter malo adhærent, et per divinam misericordiam non liberantur ».

† G. J., Episc. Brugen.

(1) 1, q. 64, a. 2.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis decembris propositas.

—

I.

« Licet censum dare Cæsari, annon » ?

Q. *Interpretare* Matth., *XXII, 15-21.*

R. In cassum Synhedristæ, quasi officiali modo, auctoritatem et influxum Jesu evertere conati fuerant (cfr XXI, 23); tribus successivis parabolis perfidiam eorum Jesus redarguerat; quare jam dolo scopum attingere satagere volunt, *mittunt*que (Mc., XII, 13) quosdam *Pharisæorum discipulos*, i. e. juniores sectæ illius asseclas et simul etiam quosdam *Herodianos*, i. e. fautores dynastiæ Herodiadum nationi judaicæ præficiendæ (1). Horum esset Jesum *capere*, (juxta græcum) *illaqueare in sermone*, seu quæstionem ipsi ponere quæ tamquam laqueus ipsi insidiaretur: Pharisæi, Romanorum infensissimi adversarii, et Herodiani, eorumdem fautores, disputationem inter se simulantes, Jesum qua arbitrum assumere videbuntur (cfr v. 17), ita ut, quovis modo Jesus respondeat, male ipsi cedere debeat.

Quæstio quam ponere volunt hæc erat: *Licetne censum dare* seu tributum solvere *Cæsari*, i. e. imperatori romano (2)? Quæstio ordinis erat religiosi: populus enim judaicus populus Dei erat, solumque Deum ut dominum ac regem agnoscebat; illegitimum proinde, utpote juribus

---

(1) De hisce Herodianis cfr *Collat. Brug.*, t. XIII, 1908, pp. 654 ss.

(2) Tempore quo Jesus loquitur imperator erat *Tiberius*; — nomen *Cæsar* factum fuerat nomen commune ad designandos imperatores.

divinis repugnans, erat dominium imperii romani sub quo jam a tot annis inviti gemebant; — porro hujus dominii una, et quidem ex maxime manifestis et populo maxime odiosis, forma erant tributa quæ romanis præstare adigebantur. Unde possunt tentatores scopum suum sub specie tuendi juris divini abscondere, seu ut dicit s: Lucas (xx, 20) *se justos simulare.*

Simul tamen quæstio insidiosa erat: si enim respondeat Jesus tributum esse solvendum, Pharisæi ipsum accusabunt coram plebe eique plebis favorem auferent: quomodo enim qua Messiam habere poterunt eum qui, non tantum populum suum a dominatione extraneorum non liberaret, sed imo tributa esse solvenda doceret (cfr Lc., xx, 26); si vero, ut magis exspectabant, tributum improbat et negandum docet, Herodiani eum qua seditiosum coram Procuratore romano accusare poterunt (cfr Lc., xx, 20).

Quo facilius unum alterumve responsum eliciant, vili adulatione utuntur: *Magister*, hebr. Rabbi, — sic honorare videntur Jesum, — *scimus*, confiteri debemus *te esse veracem*, te nunquam contra mentem tuam loqui; — scimus te *viam Dei*, viam qua Deus vult nos ambulare, *docere in veritate*, prout ipsam æstimas et prout a parte rei est; — scimus tibi *non esse curam de aliquo*, te in docendo perfecta uti independentia; *non enim respicis personam hominum:* mentem tuam non aliter exponis quia forte unus alterve, ut puta ipsa auctoritas romana, offendi posset. — Quibus dictis quæstio jam ponitur.

Responsum Jesu totum, ni fallimur, eo tendit ut tentantes confundat. Ex hoc enim scopo incipit Jesus, statim in praxim deducens qualitates quas adulantes ipsi adscripserant, mentem suam — *cognoscit enim Jesus nequitiam eorum* — aperte exprimere, viam Dei in veritate docens nec curam habens auditores esse offendendos: *Quid me tentatis, hypocritæ*, falso simulantes zelum justitiæ, revera autem insidias mihi struentes?

Ex eodem scopo hostes confundendi explicanda viden-

tur etiam quæ sequuntur. Rogat Jesus ut *numisma census*, monetam romanam qua Judæi ad tributum solvendum utebantur, *sibi ostendant*, rogatque *cujusnam esset imago* in eo expressa *et superscriptio* apposita. Numisma sane Jesus sæpius viderat (1), cujusnam esset imago et superscriptio apprime noverat; adeoque non ut videat aut sciat rogat, sed ut hostes ad respondendum cogat: *Cæsaris.* Hoc enim responso ipsi fatebantur sese, practice saltem, admittere dominium imperatoris romani (2); utrum hæc romanorum dominatio ipsis legitima an vero illegitima videretur, ipsi scire debebant, neque quæstionem solvit Jesus, sed unice, ni fallimur, affirmat principium illud generale et undequaque verum: *Reddite ergo* (3) *Cæsari quæ sunt Cæsaris;* — utrum et quousque hoc principium applicandum esset casui præsenti, Jesus ipse non solvit, sed solvendum relinquit suis adversariis (4). Hinc omnis eorum perfida exspectatio eos fefellit; Jesum neque

(1) Nullo jure, ut videtur, æstimat Lagrange, *in Mc.* h. l.: « Il semble que Jésus n'avait jamais vu un denier ».

(2) Antiquo enim illo tempore multo magis quam modernis nostris temporibus, usus communis alicujus monetæ signum erat regionem illius imperio esse subjectam cujus erat moneta. Quo sensu dicebat rabbi Maimonides, tract. *Gezelah*, c. V: « Ubicumque numisma alicujus regis obtinet, illic incolæ regem istum pro domino agnoscunt ». — Attamen hujusmodi agnitio poterat esse *facti* tantum, non juris, — quemadmodum apud nos tempore belli usus communis monetæ germanicæ nequaquam æquivalens erat agnitioni juridicæ auctoritatis germanicæ; — quemadmodum quoque apud plerosque Judæos tempore Jesu usus monetæ romanæ non erat signum eos tamquam legitimam agnoscere auctoritatem romanam.

(3) Miro modo quidam exponunt illud *ergo*, quasi nimirum hæc esset Jesu mens: siquidem imago et nomen Tiberii in hac moneta inscripta sunt, moneta *ergo* illa pertinet ad Tiberium, adeoque ipsi reddenda est, per aliquam quasi restitutionem. Num omnes illi nummi manebant proprietas regis qui eos excuderat? — Hæc potius mens Jesu videtur: siquidem usus monetæ cui nomen Tiberii inscriptum est probat Tiberium a vobis agnosci, sive facto sive jure, tamquam dominum vestrum, reddite ergo illi quæ illi debentur.

(4) Revera certa quadam parte legitima poterat esse solutio tributi etiam auctoritati aliunde illegitimæ, in quantum nimirum illa tributa ipsi regioni ejusque incolis congrue administrandis necessaria erant.

Herodiani coram romanis accusare poterunt: proclamavit enim non tantum licere, sed oportere reddere auctoritati romanæ quæcumque ipsi essent debita; – neque Pharisæi coram plebe judaica: legitimitatem enim ipsius tributi non asseruit, nisi in quantum illud a legitima auctoritate exigitur (1).

Tandem etiam ultima verba videntur intuitu adversarios confundendi edici: *et* reddite *Deo quæ sunt Dei*. Principium enim istud, de se nimis manifestum, in concretis adjunctis et supposita illa Jesu intentione, miro modo efficax apparet. Tanta enim pertinacia restiterant hucusque Jesu adversarii regno Dei, eique tributum fidei suæ et obedientiæ præstare recusaverant; statim antea, tribus successivis parabolis, Jesus eorum oppositionem regno Dei in lucem posuerat; nonne in his adjunctis intentio Jesu in proclamando principio generali: *Reddite Deo quæ sunt Dei* hæc esse debebat manifesta: Dum quæritis de negotio multo minoris momenti, de pecunia reddenda Cæsari, impie negligitis multo graviora vestra erga ipsum Deum officia (2)?

Quid mirum si miram Jesu solertiam mirantes, nihil inveniunt in ejus verbis reprehendendum coram plebe, et ad silentium redacti abeunt?

A. Vander Heeren.

II.

De divisione scientiæ divinæ.

Q. *Indica et breviter explica præcipuas divisiones scientiæ divinæ.*

R. — 1/ Prima divisio scientiæ divinæ est in *scientiam visionis* et scientiam *simplicis intelligentiæ* seu *simplicis*

(1) Unde putamus Jesum hisce verbis minime legitimam et obligatoriam declarare ipsam solutionem tributi.

(2) Quo sensu dicebat Tertullianus: « Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum ». *De idol.*, XV.

notitiæ; ratio hujus divisionis, uti notat s. Thomas (1), desumitur *non ex parte Dei scientis*, cujus intelligere est ejus essentia et ejus esse, adeoque omnino simplex, sed *ex parte rei scitæ*, quæ vel *est* in quocumque tempore, vel *esse potest*.

Itaque « per *scientiam visionis* Deus scire non dicitur nisi ea quæ sunt extra ipsum, quæ sunt vel præterita, vel præsentia vel futura » (2), scilicet « præsentia, præterita vel futura *nobis* » (3); et enim « cum intelligere Dei quod est ejus esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in totum tempus et in omnia quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter » (4).

Per scientiam *simplicis intelligentiæ* dicitur Deus scire omnia « quæ sunt in potentia Dei vel creaturæ, quæ tamen non sunt, nec erunt, neque fuerunt » (5).

Rationem *nominis* hanc addit s. Thomas : « dicitur scientia *visionis* in Deo, ad similitudinem visus corporalis, qui res extra se positas intuetur » (6); « ea quæ videntur apud nos habent esse distinctum extra videntem » (7) ; per oppositionem inde satis intelligitur nomen scientiæ *simplicis intelligentiæ* : hæc enim quæ sunt objecta hujus scientiæ extra divinum intellectum esse non habent (8).

Juxta plures theologos, præter scientiam visionis et simplicis intelligentiæ, oportet insuper admittere *scientiam* inter hanc utramque *mediam*, qua Deus cognoscit *contingentia hypothetice futura,* quæ et *futuribilia* nominantur.

---

(1) *Quæst. disp. de verit.*, q. 2, a. 9, ad 2 et cfr Van der Meersch, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 374 s., p. 313 s., Brugis, 1919.

(2) S. Thomas, *ibid.* et *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 9, c.

(3) *Contra gentes*, I, 66.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 9, c. et cfr a. 13, ubi specialiter de futuris contingentibus dicit.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 9, c.

(6) *De verit.*, q. 2, a. 9, ad 2.

(7) *Sum. theol.*, *l. c.*

(8) Quandoque dicitur Deus cognoscere se scientia visionis, quæ tunc auditur sensu minus presse sumpto, prout est de omnibus *quæ sunt*, et non est insistendum in ratione nominis.

Intelliguntur actiones liberæ, quæ futuræ essent, si conditio quædam poneretur, quæ de facto tamen non implebitur, et adhuc, juxta quosdam auctores, « actiones liberæ quæ totius temporis decursu revera fient, quatenus tamen actiones hujusce secundi generis considerantur in signo rationis priore ad decretum voluntatis divinæ eas transferens a statu futuritionis conditionatæ ad statum futuritionis absolutæ » (1).

Nominatur *media*, quia ejus objectum non est aliquid, quod mere potest esse, neque aliquid quod est, vel melius quoad nos, quod erit; etiam, aiunt, si actiones futuræ liberæ de facto ponendæ sunt, quia conditio reapse implebitur, tamen considerari possunt antecedenter seu « in signo priori ad determinationem voluntatis divinæ circa rerum existentiam » (2).

Concertatio de scientia media viget a sæculis inter theologos et intimum nexum habet cum theoria de medio quo Deus res cognoscit (3); hanc quæstionem dirimere hujus responsionis non est.

2/ Secunda divisio scientiæ divinæ est in *scientiam necessariam* et *liberam;* itaque expresse consideratur simul voluntas divina et quidem prout habet actum necessarium et liberum.

Scientia *libera* est de iis, quæ *sunt*, dependenter *a libera voluntate divina;* objectum habet igitur idem ac scientia visionis, quia omnia quæ Deus facit esse, libere vult esse, sed notatur specialis respectus ad actum liberum voluntatis divinæ.

Scientia *necessaria* est de iis omnibus, quæ actum liberum voluntatis divinæ non supponunt, itaque *et* de iis quæ *possunt esse* et sunt objectum scientiæ simplicis intelligentiæ *et adhuc de ipsa essentia divina*.

---

(1) De San, *De Deo uno*, I, n. 179, p. 415, Lovanii, 1894 et cfr Billot, *De Deo uno et trino*, th. XXII, p. 192 s., Romæ, 1902[4].

(2) Billot, *o. c.*, p. 194.

(3) Cfr ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, apud *Collat. Brugen.*, IV, p. 499 s.

Qui admittunt scientiam mediam inter scientiam visionis et scientiam simplicis intelligentiæ, futuribilia declarant objectum scientiæ necessariæ; attamen quidam auctores et heic aliquam *scientiam mediam* inducunt, addita nova consideratione, videlicet de *libertate humana*: « Quodsi comparatio scientiæ visionis ad scientiam simplicis intelligentiæ fiat secundum quod ex parte suorum objectorum prima est necessaria, altera libera, rursum tertia hæc scientia invenitur esse media inter utramque: nam ejus objectum *non* pendet quidem *ab exercitio libertatis divinæ*, et secundum hoc ipsa participat aliquid de conditione scientiæ necessariæ; pendet tamen ejus objectum *ab exercitio libertatis creatæ*, et secundum hoc ipsa participat aliquid de conditione scientiæ liberæ » (1).

3/ Tertia divisio scientiæ divinæ est in *scientiam speculativam* et *practicam* et ratio hujus divisionis desumitur *ex parte finis* primario intenti: « intellectus enim practicus ordinatur ad finem operationis; finis autem intellectus speculativi est consideratio veritatis » (2).

Verum, quædam objecta sunt de quibus nobis sola speculativa scientia est possibilis: ita *res naturales*, ut puta arborem, equum, *sola scientia speculativa* cognoscere possumus, considerando quid sint, quænam sint earum rerum prædicata universalia.

Alia tamen sunt objecta, quæ operari possumus, v. g. statua, domus, uno verbo, *res artificiales* omnes et solæ; has considerare possumus *speculativo modo*, sicuti res naturales consideramus, sistendo scilicet in sola cognoscenda veritate rerum: quid sit domus v. g., quænam de domo universaliter prædicari possint. Possumus etiam considerationem nostram *ad finem operationis* reipsa ordinare et tunc habemus de re artificiali scientiam *actu practicam;* tunc *rem operabilem qua talem* consideramus.

---

(1) De San, *o. c.*, n. 178, p. 414.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 16, c. et cfr q. 79, a. 11, c. atque *De verit.*, q. 3, a. 3, c.

Advertatur etiam quomodo, quando habemus scientiam *speculativam de re operabili*, possimus habere scientiam *virtute practicam*, sicuti quando « artifex excogitat formam artificii, et scit per modum operandi, non tamen operari intendit » (1) « Practica [enim] dicitur ex ordine ad opus;. . [nunc autem] est quidem ordinabilis cognitio ad actum, non tamen actu ordinatur » (2). Est enim consideratio *de re operabili*, *sed non qua tali*, unde et practica *ex parte objecti* dicitur (3).

« Secundum hoc ergo dicendum est quod Deus *de seipso* habet scientiam *speculativam tantum;* ipse enim operabilis non est » (4).

De *aliis a se*, quæ *facere potest* et non facit (objectum scientiæ simplicis intelligentiæ) habet scientiam *speculativam* et simul *practicam virtute*, seu *ex parte objecti*, quæ etiam *secundum quid* practica dicitur (5).

De *aliis a se*, quæ *facit* (objectum scientiæ visionis) habet scientiam *actu practicam*, ratione simul *finis et objecti*, seu *simpliciter* practicam; est enim de re operabili qua tali. Attamen et hæc omnia simul *speculativo modo* cognoscit (6).

---

(1) *De verit.*, q. 3, a. 3, c.

(2) *Ibidem.* — Quomodo ad invicem se habeant speculativa et practica scientia, sic dilucide exponit s. THOMAS, *De verit.*, q. 2, a. 8, c.: « Speculativam quidem, sive theoreticam cognitionem habet [artifex], cum rationes operis cognoscit sine hoc quod ad operandum per intentionem applicet; sed tunc proprie habet practicam cognitionem quando extendit per intentionem rationes operis ad operationis finem... Ex quo patet quod cognitio artificis practica sequitur cognitionem ejus speculativam, cum practica efficiatur per extensionem speculativæ ad opus ».

(3) In hisce applicandis ad explicandam scientiam divinam, sedulo attendendum est Deum intelligere omnia actu simplici, qui est suum esse, uti inculcatur apud *Sum. theol.*, I-II, q. 3, a. 5, ad 1 et cfr M. DE LA TAILLE, *Sur diverses classifications de la science divine*, apud period. *Recherches de sc. relig.*, XIII, p. 10 s., Paris, 1923.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 16, c.

(5) *Ibid.*, ad 1; q. 15, a. 3, ad 2; *De verit.*, q. 3, a. 3, c.

(6) *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 16, c.; q. 15, a. 3, c. et *De verit.*, *l. c.* Hac scientia practica Deus cognoscit etiam mala, « licet ab eo non sint operabilia, ... [nimirum] in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea ». (*Sum. theol.*, I, q. 14, a. 16, c. et q. 15, a. 3, ad 1).

4/ Quarta divisio tandem est in *scientiam approbationis* et *improbationis* et respicit ea sola, quæ sunt objectum scientiæ visionis.

Ratio divisionis porro videtur obvia: scientia *approbationis* dicitur ea quæ est de omnibus rebus quas Deus *vult esse;* « scientia Dei secundum quod est causa rerum, [adjuncta scil. voluntate], consuevit nominari scientia approbationis », (1); per oppositionem dicitur scientia *improbationis* de iis quæ Deus non vult sed *permittit*, nempe de peccatis (2).

H. Lamiroy.

III-IV.

De contractibus in genere VI.

Q. *An valet quis stipulari pro alio*: a/ *de jure naturæ*, b/ *de jure civili*.

R. Cum materia contractus debeat esse contrahentibus propria hoc etiam sensu quod utrique contrahenti intersit inire conventionem, oritur quæstio de validitate contractus ab alterutro contrahente initi in utilitatem non propriam sed cujusdam tertii, cujus nec mandatarius sit nec tutor nec negotiorum gestor; aliis verbis quæritur an valeat stipulatio pro alio.

Nempe stipulari sumitur active, et significat in contractu acquisitionem juris contra alterum contrahentem qui dicitur promittens; adeo ut stipulari pro tertio idem sonet ac contrahere in favorem tertii et jus acquirere in utilitatem ejus. Ut si domum Petri emam pro Titio:

(1) *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 8, c. et cfr *Gen.*, 1, ubi sæpius dicitur Deus probare suum opus, utpote valde bonum.

(2) Divisio totius objecti scientiæ visionis est adæquata, quando ad scientiam improbationis referuntur etiam mala naturæ et pœnæ, quæ Deus vult per accidens (Van der Meersch, *o. c.*, n. 380, p. 317); alii (Billot, *o. c.*, p. 218) ad hanc scientiam referunt sola peccata seu mala culpæ, quæ Deus proprie improbat et scientiam approbationis vocant scientiam omnium bonorum quæ a Deo effluunt ut a causa prima.

Petrus seu promittens erga me vi contractus tenetur seu jus acquiro contra ipsum; verum non in utilitatem propriam sed Titii Pariter si vendam vel donem domum meam Petro ea conditione ut Titius eam gratis inhabitet; aut si cum Petro conventionem ineam vi cujus tenetur librum quemdam gratis amico meo tradere.

I. De Jure naturæ.

Porro, de jure naturæ nullum dubium est valere hujusmodi conventionem. « Nam si non valeret, maxime quia stipulantis non interesset illius exsecutio: atqui illius vere interest, scilicet ut non careat voluptate quam percipit benefaciendo, vel commodum procurando amico suo... Dici quidem potest talem materiam non esse pecunia æstimabilem; sed illud non obstat quominus de ea contractus valere possit, quemadmodum valet de vita, membris, fama servandis, quamvis hæc auro vel argento æstimari nequeant » (1).

Ideo etiam de jure naturæ valet contractus analogus, quo alter quidem contrahens non præcise stipulatur in favorem tertii, sed in gratiam ipsius promissionem acceptat sibi ab altero contrahente sponte oblatam: puta si quis mihi promittat se amico meo pecuniam præbiturum. Interest enim mihi et hic ut amicus meus hoc dono sive utilitate fruatur; et proinde de jure naturæ nil obstat quin ex acceptatione hujus promissionis jus acquiram pro tertio contra promittentem.

Attamen duo sunt hic attendenda. Primum, non ita validum esse hujusmodi contractum, ante tertii acceptationem, ut nullatenus revocari possit: nam priusquam tertius acceptando jus ipse acquirat, possunt tum mutuo consensu contrahentes conventionem dirimere, tum etiam proprio marte solus stipulans, quippe qui erga promittentem vices fungitur creditoris; non vero solus promittens seu debitor, cum teneatur erga stipulantem (2).

---

(1) Carrière, *De Contractibus*, I, n. 230.

(2) Per accidens tamen posset teneri et stipulans erga promittentem, hoc saltem sensu quod ipsi soli non liceat conventionem dirimere. Ad

Insuper attendendum est hunc contractum, ante tertii acceptationem, esse aliquando vere conditionatum, non tamen semper. Nempe ex intentione contrahentium potest alligari valor totius conventionis conditioni acceptationis tertii: et tunc si renuat ille — prout semper potest — deficiente conditione corruet etiam obligatio cuncta. Similiter alia conditio suspensiva de futuro apponi potest quæ se teneat ex parte promittentis, ut si cum Titio stipuler : de tibi domum meam si tuam amico meo donaveris. Tunc sane liber est Titius dandi vel non dandi; et a libero ejus facto pendebit jure naturæ obligatio mea erga ipsum. Quodsi vere donare velit, nec amicus acceptet, per se cadet iterum contractus totus.

Sed etiam fit ut alia sit contrahentium intentio sive expressa sive pro circumstantiis nota et utrinque acceptata: talis nempe ut non omnia corruant si tertius gratificationem respuat, aut etiam si promittens suam obligationem non adimpleat. Sic possum domum meam Titio donare ea conditione ut aliquod objectum amico meo gratis concedat, sed simul ita ut, renuente amico, maneat tamen donata domus, objectum autem sive Titio remaneat sive mihi tunc debeatur pro circumstantiis et clausulis contractus. Pari modo possum domum meam pro dimidio pretio firmiter vendere Titio, cum onere beneficium præstandi amico meo; quodsi postea Titius culpabiliter omittat, non ideo jure naturæ invalida erit venditio, sed injustus erit Titius tum erga me, tum erga amicum post ipsius acceptationem; et erga illum ad restituendum tunc tenebitur.

---

rem Thiry, *Cours de droit civil*, II, n. 595: « Si l'auteur de la promesse avait intérêt à l'exécution de la stipulation au profit du tiers, sa volonté serait nécessaire comme celle du stipulant pour que la révocation puisse avoir lieu. Ex.: je vous vends une maison qui vaut 30000 f. pour 20000 à condition que vous payiez une somme de 10000 f. à notre père commun. Ici le stipulant et le promettant font au tiers une libéralité chacun de 5000 f.; pour la révoquer il faudra le consentement des deux ». Nimirum, cum ipsa intentio contrahentium valorem et extensionem contractuum per se regat, specialis quædam circumstantia potest efficere ut subaudiatur et a stipulante acceptetur obligatio non revocandi nisi de consensu promittentis.

II. **De Jure civili.**

Juvabit autem de præsenti materia dispositiones juris civilis hic subjicere; cum enim stipulationes pro aliis nostris diebus valde communes sint, utile profecto erit si doctrinam jurisperitorum et praxim tribunalium de hoc puncto breviter proposuerimus, tametsi ad conscientiam directe non faciant.

Itaque per modum principii generalis statuit art. 1119 neminêm nomine proprio stipulari posse nisi pro seipso, non vero pro tertio; et inde deducit art. 1165 conventiones effectum inter partes tantum producere, non vero per se erga alios (1). « Etenim jure constitutum est, ut quisque tantum jus suum prosequatur, seu suo nomine agens petere tantum possit ut res *sibi* præstetur, aut damnum *sibi* illatum reparetur; sed qui pro alio stipulatur, nil *sibi* petere potest, nec etiam ex non servato contractu damnum pati potest; præterea in jure etiam tertius a promissore nihil petere potest, cum promissor huic tertio nihil promiserit » (2).

Igitur ex dicto principio non admittitur coram lege, generatim loquendo, stipulatio hujusmodi cujus objectum directum sit solummodo utilitas tertii: sic non possum cum Titio stipulari ut ipse librum suum gratis amico meo donet; nec domum Titii pro amico meo emere possum,

---

(1) Art. 1119: « On ne peut, en général, s'engager ni stipuler en son propre nom, que pour soi-même ».

Art. 1165: « Les conventions n'ont d'effet qu'entre les parties contractantes; elles ne nuisent point au tiers, et elles ne lui profitent que dans le cas prévu par l'article 1121 ».

(2) Marres, *De Justitia*, II, n. 145. — Apposite Thiry, *ib.*, n. 593: « Je ne puis stipuler de Paul qu'il fera telle chose pour Pierre; une telle stipulation n'est pas valable: Pierre n'en peut demander l'exécution, parce qu'il n'a pas concouru à la convention, il n'a pas consenti; moi je ne le puis pas non plus, ni pour moi ni pour Pierre; je ne puis demander l'exécution pour moi parce qu'on n'a rien promis à moi (id est dans mon intérêt), ni l'exécution pour Pierre parce que je n'y ai pas d'intérêt appréciable en argent, et que partant, en cas d'inexécution, il serait impossible de fixer les dommages-intérêts que je pourrais exiger. Donc le débiteur ne pourrait être forcé d'exécuter, c'est-à-dire qu'il n'y a pas d'obligation ».

nisi utique qua mandatarius ejus. Verum, in conscientia omnino dicendum videtur hanc legis dispositionem ultra negationem actionis nequaquam se extendere, prout ipsi nonnumquam fatentur legisperiti; adeo ut in foro interno ejusmodi conventio eam vim revera servet quæ ipsi de jure naturæ competebat.

Porro, generali statuto legis *exceptiones plurimæ* apponuntur: multi enim dantur casus in quibus sive ipsa lex sive interpretatio extensiva auctorum et maxime actualis jurisprudentiæ permittat stipulari pro alio, modo quidem legaliter recognito (1). Interim de natura juridica hujusmodi stipulationum disputant inter se jurisperiti; et magis ac magis ad hunc rei conceptum accedere videntur: in hoc contractu ipsum promittentem facere pollicitationem (aliquid tertio præstandi) stipulanti, qui eam provisorie in favorem tertii acceptat quasi esset ejus negotiorum gestor, et deinde tertio rem notificat ut iste pollicitationem non præcise acceptet (hoc enim jam peractum est) sed acceptationem provisoriam ratihabeat vel respuat.

a/ Excipiuntur ergo jam casus in quibus simul utilitas stipulantis directe obtinetur, quamvis ipse contractus forsan de hoc sileat: ut si stipulans hanc præstationem imponat promittenti ad quam secus ipse erga tertium tenebatur.

---

(1) Cf. Planiol, *Droit civil*, II, n. 1216: « Nos tribunaux se sont montrés, en toute cette matière, animés d'un esprit très large et très progressif. La stipulation pour autrui est devenue un instrument juridique de premier ordre; elle a servi déjà ou servira encore à faire fonctionner des institutions ou à réaliser des opérations qui seraient impossibles ou, tout au moins, plus difficiles avec tous les autres principes du droit.

Les plus intéressantes sont *l'assurance sur la vie*, quand le capital est stipulé au profit d'un tiers; *l'assurance contre les accidents* ou assurance collective, faite par un patron au profit de ses ouvriers; *les fondations* ..; enfin, en dehors des affaires privées, *les contrats passés par l'Administration* contiennent souvent des stipulations au profit des tiers; tantôt c'est dans le cahier des charges dressé pour l'adjudication de travaux publics qu'on trouve des stipulations au profit des ouvriers...; tantôt c'est dans un marché passé par une ville avec une Compagnie d'éclairage que des stipulations sont insérées au profit des habitants, futurs abonnés de la Compagnie (*Cass. belge*, 21 Juillet 1888); etc. »

b/ Insuper excipit art. 1121 omnes stipulationes pro alio quæ non sint objectum immediatum et principale contractus, sed tantummodo conditio apposita sive contractui oneroso qui ipsius stipulantis directe interest, sive contractui gratuito seu donationi præstitæ promittenti. Ita nihil legaliter obstat conventioni qua domum meam Titio vendam aut donem, ea conditione vel eo onere ut Titius 1000 f. amico meo gratis solvat (1).

c/ Verum, ultra terminos dicti articuli jam admittuntur etiam stipulationes quævis, modo clausula pœnalis in favorem stipulantis addatur, casu quo promittens obligationem suam non adimpleverit; insuper etiam contractus assecurationis in favorem tertii et alii analogi, quamvis hic nec de donatione agatur societati facta, nec de directa stipulantis utilitate (2).

Nec sæpe prohibet jurisprudentia quominus tertius ille seu beneficiarius sit adhuc indeterminatus tempore initæ conventionis, modo determinabilis sit tempore applicandi effectus (3); imo in pluribus casibus permit-

---

(1) Cf. Planiol, *ib.*, n. 1229: « C'est le procédé qui sert à la pratique moderne des *fondations*, libéralités faites à l'État, aux départements, aux communes, aux établissements publics ou d'utilité publique, avec affectations spéciales des fonds (œuvres d'assistance, d'enseignement, etc.) »

(2) Cf. Planiol, *ib.*, n. 1230: « Tout le monde est d'accord pour donner, à ce point de vue, une large portée à l'art. 1121, et pour reconnaître qu'une interprétation étroite rendrait impossibles un grand nombre de contrats dont la nécessité pratique est évidente, et cela pour respecter des différences sans importance juridique. La jurisprudence a suivi la même voie; c'est ainsi qu'elle admet la validité de toute assurance contractée au profit d'un tiers, bien que ce contrat ne rentre pas dans les prévisions littérales de l'art. 1121, puisqu'il n'y a ni donation faite à la Compagnie, ni stipulation au bénéfice du preneur de la police ».

(3) Cf. Planiol, *ib.*, n. 1237: « Les principaux exemples sont: 1° l'assurance contractée « pour le compte de qui il appartiendra »..... Il est reconnu que cette assurance oblige l'assureur, non seulement envers le propriétaire présent, mais envers les propriétaires futurs de la chose assurée. 2° Les clauses insérées en faveur des ouvriers dans les cahiers des charges d'adjudication de travaux publics.... 3° Les fondations au profit des pauvres, faites par l'intermédiaire d'une ville ou de toute autre personne morale, par acte entre vifs ».

tit ut momento contractus nondum sit conceptus (1).

d/ Tandem, explicite concedit art. 1122 stipulationes in favorem heredum regularium et successorum (causam habentium) etiam titulo particulari; imo cum dictæ personæ juribus defuncti succedant, supponitur ex eodem art. stipulans, quoties pro seipso stipulatus est, pro illis etiam esse stipulatum; nisi tamen oppositum explicite cautum fuerit aut ex natura conventionis eruendum appareat (2).

Quæ cum ita sint, quænam sunt insuper dispositiones juris civilis tum quoad revocationem stipulationum legaliter recognitarum, tum quoad acceptationem seu ratihabitionem et jura tertii?

Quoad revocationem: ex art. 1121 deducitur hanc semper possibilem manere ante ratificationem tertii seu beneficiarii. Per se quidem jam sufficit ad revocandum voluntas solius stipulantis, prout etiam de jure naturæ animadvertimus; per accidens vero contingit consensum

---

(1) Cf. Planiol, *ib.*, n. 1243: « Du reste, il n'y a plus à hésiter sur la légitimité de cette solution. Elle est devenue une nécessité pratique absolue, avec l'emploi des *contrats collectifs* faits par une personne qui se porte mandataire ou gérant d'affaires pour un groupe indéterminé d'autres personnes. Il est de toute nécessité que la stipulation faite par cette personne unique au nom d'une foule d'autres puisse profiter *indéfiniment*, non pas seulement à celles qui étaient déjà vivantes lors du contrat fait à leur profit, mais à tous ceux qui se trouveront à l'avenir dans les conditions voulues pour en profiter, alors même qu'ils seraient nés depuis ».

(2) Cf. Thiry, *ib.*, n. 602: « On s'est encore demandé si on pouvait stipuler ou promettre pour quelques-uns de ses héritiers sans le faire pour tous; ex.: je stipule que vous payerez à mon décès 20000 f. à tels de mes héritiers, ou je promets que tel de mes héritiers vous payera 20000 f.

Nous ne le croyons pas; un héritier ne représente son auteur, ne continue sa personne que pour sa part héréditaire; pour le surplus, il est un tiers; c'est donc stipuler ou promettre pour un tiers, c'est contrevenir à la règle de l'art. 1119, que d'attribuer la totalité de la créance ou de mettre la totalité de l'obligation à la charge d'un héritier. Il en serait autrement si l'on avait simplement désigné un héritier pour recevoir le payement ou pour acquitter l'obligation sauf recours des autres ou contre les autres ».

et promittentis simul requiri; semper autem ratihabitio beneficiarii contractum reddit irrevocabilem (1). Quid autem, peracta debite revocatione, de conventione forsan supersit: quæstio est quæ ab intentione contrahentium et a natura initi contractus in singulo casu pendet (2).

Quoad ratificationem et jura tertii: jam plures dantur jurisperiti, ut diximus, qui acceptationem tertii stricte talem non requirunt, sed potius ad normam art. 1121 ejus ratificationem tantum poscunt, cum beneficium jam pro ipso a stipulante fuerit provisorie acceptatum. Certe nulla a lege exigitur declaratio expressa (quamvis sane permittatur); sed sufficit tacita, per hoc ipsum quod tertius vi contractus pro se facti incipit agere, et ejusdem exsecutionem reclamat (3).

Jurisprudentia autem, data tertii ratificatione seu acceptatione, ejus jus incipere reputat jam a tempore conventionis primo initæ; hanc autem ratificationem adhuc admittit etiam post mortem stipulantis: quod procul dubio multum interest v. g. casu assecurationis super vitam in favorem tertii: imo ratihabitionem adhuc

---

(1) Generatim declarat jurisprudentia heredes etiam stipulantis, post mortem ejus, revocare posse stipulationem in favorem tertii, modo ille eam nondum ratihabuerit: v. g. casu assecurationis super vitam in favorem tertii.

(2) Sic pro communiter contingentibus habet PLANIOL, *ib.*, n. 1255: « Si on ne veut pas s'égarer dans l'étude de l'opération, il faut laisser de côté tout ce qui concerne les prestations que les deux auteurs du contrat ont pu se promettre l'un à l'autre: tout cela reste régi par le droit commun. Par exemple, si une stipulation de rente viagère faite en faveur d'autrui a été greffée sur un contrat de *donation* ou de *vente*, le vendeur ou le donateur aura le droit d'exiger l'exécution de toutes les obligations que le contrat a pu imposer à son profit à l'autre partie. Les effets habituels du contrat ne sont pas modifiés par cette circonstance qu'il est accompagné d'une stipulation en faveur d'un tiers; les obligations réciproques des parties devront être remplies comme si elles étaient isolées, comme si le stipulant était seul à bénéficier du contrat ».

(3) « Pour que le contrat se forme, la stipulation au profit du tiers doit être acceptée par lui; cette acceptation peut être *tacite*, et ne doit pas être portée à la connaissance de la personne qui a contracté avec celui qui était sans mandat ». *Cass. belge*, 20 Juillet 1883, P. 1883, I, 347.

acceptat ab ipsis heredibus beneficiarii, modo interim stipulatio revocata non fuerit.

Jus vero seu creditum quod acquirit tertius non est contra stipulantem, sed contra promittentem. Nisi tamen contractus fuerit stricte conditionatus, conditione suspensiva se tenente a partis promittentis: ut cum donem domum Titio si ipse pecuniam concedat Paulo; inde enim Paulus etiam acceptando nullum jus adhuc obtinet. In aliis autem casibus, legale jus habet tertius ad exsecutionem stipulationis, aut secus ad præstationem civilis damni (dommages-intérêts) E. Hosten.

V.

Notio conscientiæ vincibiliter erroneæ.

Q. *Da notionem accuratam conscientiæ vincibiliter erroneæ.*

R. I. Conscientia erronea generatim est judicium rationis practicæ quo circa moralitatem alicujus actionis concretæ falsum pro vero accipitur.

Distinguitur autem error formalis et error materialis, hic autem subdividitur in invincibilem et vincibilem (1).

1. *Error formalis* seu *in se* aut *directe voluntarius:* respondet ignorantiæ affectatæ. Est nimirum assensus in falsum studiose quæsitus, quatenus aliquis deliberate sese a veritate avertit, seque de errore convincere conatur ut sibi libere indulgere possit (2).

2. *Error materialis* seu *non in se voluntarius*. Est assensus mentis ad id quod speciem quidem veri habet, a veritate autem reapse alienum est, qui ex ignorantia veritatis sequitur.

a Si quis ex involuntaria ignorantia specie veri decipi-

---

(1) Cfr V. Frins, S. J., *De actibus humanis*, t. III, *De formanda conscientia*, p. 105 ss. Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, ed. 3a, p. 517 ss. S. Alphonsus, *Theologia moralis*, ed. Gaudé, t. I, p. 4.

(2) Ita faciunt quidam atheistæ practici, quibus convenit hoc verbum s. Scripturæ: « Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis ». Ps. 13, 1.

tur et falso indubitanter adhæret, sive post debitam diligentiam frustra adhibitam ad veritatem detegendam, sive quia nulla cogitatio erroris aut obligationis inquirendi, ne in confuso quidem, in mentem venit operantis, *error* ejus dicitur *invincibilis*, quia, moraliter saltem, vinci non potest.

b/ Error autem *vincibilis*, generice loquendo, ille dicitur qui resultat ex libera omissione diligentiæ in inquirenda veritate quam quis suspicatur et quam posset detegere (1). Error autem vincibilis *conscientiæ*, sensu specifico de quo disputamus, ille proprie dicitur quo quis, ex ignorantia voluntaria, quæ tamquam effectus e causa resultat ex libera omissione inquisitionis debitæ (2), falsum pro vero accipit ubi ad veritatem convenienter inquirendam obligatur (3).

Adverte ignorantiam voluntariam distingui in simpliciter vincibilem et crassam seu supinam, prout ad veritatem detegendam aliqua sed insufficiens, aut contra nulla aut vix ulla diligentia adhibita fuit (4).

---

(1) Ita in re scientifica seu mere speculativa error dicitur vincibilis si quis media inveniendi veritatem voluntarie negligit: non autem est ille error culpabilis quum ex supposito agatur de veritate ad quam inquirendam non obligatur in conscientia, utpote quæ non pertinet ad regulandam activitatem vel saltem non sub hoc respectu consideratur.

(2) Attende subordinationem causæ et effectuum. Causa, seu actio in se voluntaria est voluntas omittendi inquisitionem: inde tamquam effectus resultat ignorantia veritatis e qua tamquam ulterior effectus sequitur error seu deceptio per falsam speciem veri, ex quo tandem errore tamquam effectus ultimus procedit actio concreta de cujus moralitate inquirimus. (Vide proximum responsum).

(3) Recole ex tractatu de actibus humanis conditiones requisitas ut effectus malus imputetur in causa, scilicet: 1/ ut ipsa causa (in casu negligentia inquisitionis) voluntaria sit; 2/ ut effectus malus (in casu ignorantia, error et actio concreta), aliquo modo prævisus fuerit; 3/ ut agens hunc effectum malum positive impedire teneatur, seu ut obligatio existat ideo vitandi causam ne effectus ille sequatur (in casu, ut agens sit obligatus ad inquirendam veritatem ideo ne in suo errore maneat et ex eo errore agat). Cf. Th. Meyer, *Institutiones juris naturalis*, P. 1, p. 175 ss.

(4) Hæc animadversio momentum habet ad æstimandum gradum imputabilitatis et quantitatem peccati.

Unde concludes: conscientia vincibiliter erronea illa dicitur cujus error voluntarie non corrigitur dum morali diligentia vinci potuit et debuit.

Distinguitur autem ulterius α/ conscientia erronea *antecedenter* quidem *vincibilis*, *actualiter* vero *invincibilis*, quatenus error olim ex negligentia culpabili contractus est, actu vero inconscie et invincibiliter perseverat (1),

β/ et conscientia quæ est *actu vincibiliter erronea*. Hæc proprie in eo tantum reperitur qui 1° advertit aut saltem suspicatur se errare adeoque versari in periculo violandi aliquam legem, et quidem suspicione seria seu rationabili, non autem suspicione scrupulosa quam merito negligere debeat;

qui 2° consequenter advertit ad obligationem errorem suum corrigendi seu inquirendi circa legem quam suspicatur, priusquam agat;

qui 3° tandem media inquisitionis, quæ sibi præsto novit, voluntarie negligit atque ita in errore suo voluntarie permanet, seseque, ex hac negligentia voluntaria periculo violandi legem temerarie exponit.

Unde vides eam tantum *conscientiam erroneam* proprie dici *vincibiliter* erroneam quæ simul est *practice dubia*.

II. Si jam ulterius integrum dictamen conscientiæ vincibiliter erroneæ practice dubiæ analysi subjiciamus, duplici elemento compositum apparet: 1° aliquo judicio primario, expresso, falso aliquid enuntiante de moralitate actionis propositæ;

2° altero judicio dubitativo, implicito, suspicione scilicet plus minus distincta circa veram qualificationem moralem actionis.

---

(1) Ut apud confessarium qui in Seminario negligens fuit in studendo theologiæ aut postea hoc studium nimis diu intermisit, prævidens saltem in confuso errores futuros, nunc autem sedens in confessionali, errorem suum ne ullo quidem modo advertit. Cfr *Theologia moralis generalis... mechliniensis*, p. 214.

En varii casus possibiles schematice exhibiti:

Judicium primarium erroneum.		*Suspicio adnexa.*
I. Hæc actio est obligatoria sub gravi, (respective sub levi):	sed est forsan	obligatoria sub levi, (respective sub gravi), prohibita sub gravi, prohibita sub levi, licita aut imo de consilio.
II. Hæc actio est prohibita sub gravi (respective sub levi):	sed est forsan	prohibita sub levi, (respective sub gravi), obligatoria sub gravi, obligatoria sub levi, licita aut imo de consilio.
III. Hæc actio est licita aut imo de consilio ut perfectior:	sed est forsan	obligatoria sub gravi obligatoria sub levi prohibita sub gravi prohibita sub levi.

Jam autem, ex omnibus his casibus, hi tantum proprie verificant notionem conscientiæ vincibiliter erroneæ in quibus dictamen directum compositum resolvitur in hoc unicum judicium reflexum certum (1): antequam juxta primarium [et quidem erroneum] judicium actionem ponam aut respective omittam (2), debeo prius deponere negligentiam voluntariam, ac debitam instituere inquisitionem circa legem contrariam quam suspicor existere. Contra hoc judicium reflexum, (quod est judicium proxime practicum seu conscientia propriissimo sensu), quum sit præcipiens, numquam agere licet. Casus autem illi sunt sequentes: 1/ ubi conscientia erronea *præcipit* aut *permittit* aut *consulit* id quod est et quod agens suspicatur *prohibitum*, antequam actionem ponat prius inquirere debet; 2/ ubi conscientia erronea *prohibet* aut *permittit* aut *consulit* id quod est et quod agens suspica-

(1) Vide distinctionem inter judicium conscientiæ directum et reflexum apud Ill. ac Rev. Waffelaert, *De dubio solvendo*, p. 40, p, 70 ss., in specie p. 74, etiam p. 82, n. 102.

(2) Dico antequam agam *juxta* conscientiam vincibiliter erroneam..., quia ratio cur non liceat agere *contra* eam, nimirum si sit præcipiens aut prohibens, non est propria huic statui conscientiæ, ergo non venit hîc specialiter consideranda, ut dicemus in responso sequenti.

tur *præceptum*, antequam actionem omittat prius inquirere debet.

In reliquis vero casibus, quamvis primarium judicium sit erroneum, non tamen habetur proprie conscientia vincibiliter erronea quia dictamen compositum directum resolvitur in hoc judicium reflexum: certo bene ago actionem ponendo, vel respective omittendo, juxta judicium primarium directum, utut erroneum, quia nulli periculo peccandi me committo, sed partem tutiorem eligo (1); ergo habetur conscientia practice certa de honestate actionis (2).

Ex iis quæ diximus apparet magni esse momenti ut in praxi recte discernamus inter conscientiam invincibiliter et conscientiam vincibiliter erroneam. De qua re scite scribit cl. P. Vermeersch (3): « Vincibiliter aut invincibiliter erronea conscientia dijudicabitur tum ex præsumptionibus quas permittunt materia, persona (attenta ejus pietate, doctrina), tum ex aptis agentis interrogationibus: *a*/ an aliquam indecentiam in actu adverterit; *b*/ an de liceitate actionis dubitaverit; *c*/ an conscientia eum monuerit de gravi vel levi obligatione inquirendi ».

A. LEGRAND.

---

(1) Optimum foret exercitium practicum si studiosus lector doctrinam expositam in exemplis concretis describeret.

(2) Ita certo bene agit qui ACTIONEM PONIT quam conscientia erronee *præcipit* dum est *libera* aut *de consilio* atque qua talis ab agente in confuso apprehenditur; aut quam conscientia *præcipit sub gravi* (respective sub levi) dum est et confuse apprehenditur *præcepta sub levi* (respective sub gravi); aut quam conscientia *consulit* aut *permittit* dum est *præcepta* et qua talis confuse apprehenditur. Item certo bene facit qui OMITTIT id quod conscientia erronee *prohibet* simul suspicans id esse *liberum* aut *de consilio* tantum, uti revera est; aut quod conscientia *prohibet sub gravi* (respective sub levi) suspicans simul id esse *prohibitum sub levi* (respective sub gravi), uti de facto est; vel tandem id quod conscientia *permittit* dum simul timet ne forte sit *prohibitum*, uti vere est.

(3) *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia*, t. I, p. 294.

VI.

De Præstationibus legitime debitis (c. 463).

Quid sunt praestationes legitime debitæ de quibus can. 463? Quæ jura parochorum circa illas?

A. Notio præstationis debitæ, ejusque explicatio.

Congruæ parochi sustentationi duplici modo providetur: imprimis, per proventus ex beneficio parœciali; deinde, per præstationes fidelium, i. e. per emolumenta, quæ ad honestam parochi sustentationem, ejusque remunerationem de onere et labore susceptis, a fidelibus præstantur occasione sacrarum functionum, v. g. celebrationis missæ, vel administrationis sacramentorum aut sacramentalium (1).

Inter illas præstationes aliæ sunt omnino *liberæ* seu sponte factæ; aliæ sunt *obligatoriæ*. De his ultimis determinandum est quid sint, et quæ sint jura parochorum circa illas.

Emolumenta *debita* ea vocantur quæ parochus *ex probata consuetudine*, aut *ex legitima taxatione exigere* potest (2), v.g. pro assistentia matrimonio, pro sepultura; et quæ proinde correlativam obligationem justitiæ involvunt ex parte fidelium. In tantum sunt *legitima*, in quantum hac consuetudine vel taxatione in specie et quantitate fuerunt determinata (3). Vocantur merito *jura stolæ*.

---

(1) Cfr A. De Meester, *Compendium juris canonici*, II, p. 285.

(2) Cfr can. 463, § 1.

(3) Sub jure superiore apud antiquiores canonistas quæstio de præstationibus *debitis* optime tractatur in commentariis ad c. 42, X. *De Simonia*, V, 3. Sed fere omnes sequuntur s. Thomam, qui in multis proxime a canonistis pendet, sed simul scientiæ canonicæ maximo subsidio fuit, quæstiones canonicas methodo magis rationali quam juridica tractando. Ea quæ exhibet circa obligationem præstationum in Summa 2ª, 2ᵃᵉ, q. 86, art. 1, a plerisque subsequentibus referuntur. Ibi assignat quatuor titulos ex quibus obligatoriæ possunt evadere oblationes: « Potest enim contingere quod aliquis ad oblationes *teneatur* quadruplici ratione: *primo* quidem ex præcedenti conventione: sicut cum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ, ut certis temporibus

Officium parochianorum *tali modo* providendi sustentationi parochi esse grave confirmatur ex præscripto codicis pœnam imponenti renuentibus elargiri has præstationes. Sub jure superiore canonistæ jam communiter docebant episcopum tales posse excommunicatione plectere (1). Hodie juxta canonem 2349: « recusantes præstationes legitime debitas ad normam can. 463, § 1, 1507, prudenti arbitrio Ordinarii puniantur, donec satisfecerint ». Pœna merito committitur prudenti arbitrio Ordinarii, ne, si parochus propria auctoritate renuentes vi compellat, suspicio avaritiæ ingeratur, vel occasio scandali, præsertim acatholicis, præbeatur; vel, ut dicit s. Thomas: « ne videatur pro sacramentorum exhibitione aliquid exigere » (2).

Jus parochi ad illas præstationes proinde ex duplici fonte oritur: *ex probata consuetudine*, et *ex legitima taxatione*.

1. *Consuetudo probata* intelligitur moribus populi introducta quasi ex obligatione i. e. intentione obligationis contrahendæ, accedente saltem tacita approbatione prælatorum ecclesiasticorum, et legitime præscripta (3). Erit

---

certas oblationes faciat...; *secundo* propter præcedentem deputationem, sive promissionem: sicut cum aliquis offert donationem inter vivos...; *tertio modo* propter Ecclesiæ necessitatem: puta si ministri Ecclesiæ non haberent unde sustentarentur; *quarto* propter consuetudinem: tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas ».

De hoc ultimo titulo obligationis, consuetudinis nempe, hic in canone fit quæstio. Sed, attendendum est s. Thomam in textu adjungere: « tamen in his duobus ultimis casibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, scil. quantum ad quantitatem vel speciem rei oblatæ ». In codice consuetudo non jam consideratur ut obligans fideles in genere ad *quasdam* oblationes, in *certis* solemnitatibus; sed supponitur talis consuetudo qua præstationes quoad speciem et quantitatem jam fuerunt determinatæ, uti apud quosdam canonistas ante codicem jam fiebat.

(1) Cfr Pihring, L. III, tit. 30, n. 174. — Reiffenstul, L. III, tit. 30, n. 191. — Abbas Panormitanus, ad c. 42, X, *De Simonia*, V, 3.

(2) *Sum. theol.*, I-II, q. 86, art. 1, ad 3m.

(3) Cfr Pihring, L. III, tit. 30, n. 174. Evidens est etiam requiri ut tota communitas vel saltem major pars observaverit dictam consuetudinem. Cfr Reiffenstul, *l. c.*

autem legitime præscripta si viguerit saltem per decem annos sub antiquo jure, vel per quadraginta annos si consuetudo est noviter introducenda (1). Oblationes hujusce generis sunt hodie paucæ.

Quid autem hic nomine *consuetudinis* intelligendum sit non adeo liquet, utrum nempe sit consuetudo totius diœceseos, vel consuetudo particularis locorum.

Quidam doctores, non improbabiliter, opinantur parœciam esse capacem consuetudinis recipiendæ (can. 26); plerique tamen negant (2). In prima sententia nulla difficultas: erit consuetudo legitima, et proinde præstationes erunt stricte obligatoriæ, si verificentur conditiones statim allegatæ. Sed etiam in secunda sententia titulus inveniri potest pro stabiliendo jure parochi. Etenim, codex non derogat juribus quæsitis (can. 4), et agnoscit præscriptionem ut medium legitimum jura acquirendi, ideoque *usus particularis* loci potest esse titulus sufficiens, modo adsit legitima præscriptio (3). Tali præscriptioni alludere videtur Pihring, ubi in subjecta materia scribit hanc obligationem oriri posse ex eo quod rectores ecclesiarum seu parochi longo tempore oblationes quasi debitas a parochianis exegerunt et acceperunt (4). Tamen præscriptio hæc supponit bonam fidem per totum tempus requisitum ad præscriptionem (5). Non adeo facile ergo introduci potest.

2. *Taxæ* nomine veniunt oblationes lege ecclesiastica impositæ fidelibus occasione vel gratiæ ipsis concessæ, vel ministerii sacri in eorum bonum præstiti. Distinguuntur taxæ *funerales*, *judiciales* (6), et taxæ pro variis

(1) Can. 28.

(2) Affirmant: Suarez, *De legibus*, L. I, cap. 6, n. 2. — Van Hove, *Cursus autographicus, in commentario ad can. 8.*

Negant: A. Vermeersch, *Theologia moralis*, I, n. 171, coll. n. 260, 2. — Cocchi, *Commentarium juris canonici*, I, n. 86. — Augustine, *A commentary in canon Law*, I, p. 99.

(3) Can. 1508 et 1512.

(4) Cfr Pihring, L. III, tit. 30, n. 174.

(5) Can. 1512.

(6) De his agitur in can. 1507, § 2, et 1909.

actibus *jurisdictionis voluntariæ*, sive pro exsecutione rescriptorum, sive occasione administrationis sacramentorum et sacramentalium (1).

Hic de prima et ultima specie tantum fit quæstio.

Legitima taxatio ea est quæ fit a competenti auctoritate. Non relinquitur arbitrio parochi facienda, sed reservatur superioribus ecclesiasticis, qui sua præfinitione jus tribuunt exigendæ taxæ. Nimirum:

a) Præfinire taxas pro variis actibus jurisdictionis voluntariæ vel occasione ministrationis sacramentorum vel sacramentalium, in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciæ; sed nulla vi præfinitio hujusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit, nempe per S. Congregationem Concilii, aut S. Congregationem de Prop. Fide (2).

b) Conficere indicem funeralium taxarum seu eleemosynarum pro suo territorio est Ordinarii loci, de consilio tamen Capituli Cathedralis (3).

c) Ad eumdem Ordinarium etiam spectat manualem Missarum stipem in sua diæcesi definire per decretum, in diœcesana Synodo quantum fieri potest latum. Ubi autem desit hujusmodi decretum, servari potest et debet consuetudo diœcesis (4).

d) Ejusdem Ordinarii demum est normas præscribere de fructibus fundationum rite distribuendis (5).

B. **Jura parochorum quoad præstationes debitas**

1. Jus est parochō, adeoque potest nedum acceptare sed etiam exigere præstationes quas ei tribiut vel probata consuetudo vel legitima taxatio ad normas supra traditas;

---

(1) Cfr VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome juris canonici*, II, n. 827.

(2) Can. 1507, § 1, 736, 250, § 2, 252.

(3) Can. 1234, § 1. Et cfr *Congr. Prosyn.*, a. 1920, decret. V, apud *Collat. Brugen.*, XX, p. 305: « Tariffus », uti aiunt, triplici exemplari (quorum unum destinatur Ecclesiæ parœciali, alterum R. adm. D. Decano, tertium aulæ episcopali) approbationi Episcopi subjiciendus est.

(4) Can. 831, § 1 et 2. — Cfr *Congr. Prosyn.*, a. 1922, decret. IV, apud *Collat. Brugen.*, XXII, p. 273.

(5) Can. 1545. — Cfr A. DE MEESTER, *o. c.*, *l. c.*

Quidquid ultra summam a superioribus definitam exigitur, cum deficiat titulus legitimus, injuste petitur et accipitur. Parochus potiora *exigens*, imprimis peccat contra justitiam, et proinde tenetur ad restituendum quod sine titulo exegit; insuper parochus non solum potiora exigens sed etiam taxam augens, variis pœnis ferendæ sententiæ potest plecti, juxta canonem 2408: « parochus taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507, *augens aut ultra eas aliquid exigens*, gravi mulcta pecuniaria coerceatur, et recidivus ab officio suspendatur vel removeatur pro culpæ gravitate » (1).

In his et aliis pluribus dispositionibus Codicis, quarum nonnullæ sunt noviter statutæ, Ecclesia viros ecclesiasticos enixe monet omnem speciem cupiditatis, avaritiæ, et injustitiæ vitandam esse in exigendis præstationibus (2).

2. Omnes præstationes *obligatoriae* quæ inter jura stolæ recensentur et fiunt in administratione sacramentorum, exsequiis, benedictionibus parocho reservatis, aliisque functionibus paræcialibus, *parocho cedunt*, etiamsi *paræciale* i e. parochi proprium *aliquod officium* i. e. ministerium seu actus, ab alio fuerit expletum.

Imo, præstationes etiam *ultroneae* parocho cedunt; nisi quoad partem quæ excedit summam taxatione aut consuetudine parocho reservatam, de contraria offerentium voluntate non probabiliter vel conjecturaliter sed *certo*, expresse vel tacite, constet.

Ratio prioris patet, quia quoad partem taxæ legitime statutæ, voluntas privatorum non potest prævalere contrā canonem, qui parocho tribuit præstationes, licet officium

---

(1) Inde apparet parocho non licere « tariffum » augere, nec auctum applicare, nisi *prævie* fuerit approbatus ab Episcopo. Permisit tamen Illustrissimus *in determinatis casibus*, ut jam ante approbationem tariffus auctus applicaretur per modum experimenti. At hæc licentia præsumi non potest; et semel ac constat de absentia quærelarum apud fideles requiritur positiva episcopi approbatio. Ultra legitimam taxam aliquid exigere liceret si hæredes majorem, quam in tariffo ordinatur, solemnitatem vel pompam exteriorem petant.

(2) V. can. 463, § 2; 831, § 1; 1235, § 1; 2408.

ab alio fuerit expletum (1). Ratio alterius est, quia pars excedens taxam est oblatio *libere addita*, quæ proinde « haud dubie juxta intentionem dantis applicari debet, cum quivis libere donans et offerens rerum suarum moderator et arbiter existat » (2). Merito stat præsumptio pro jure parochi, quia cura parochiæ ei soli incumbit, et censentur fideles hujusmodi oblationes facere ad eum remunerandum de obsequiis spiritualibus ipsis præstitis.

Agnito jam parochi jure stricto ad præstationes debitas, Codex sapienter memorat præceptum caritatis : « gratuitum ministerium ne deneget parochus iis qui solvendo pares non sunt » ; et « pauperes gratis omnino ac decenter funerentur et sepeliantur, cum exsequiis, secundum liturgicas leges et diœcesana statuta præscriptis » (3).

J. Brys.

(1) Can. 463, § 3. — Cfr Blat, *Commentarium in codicem*, L. II, p. 430.
(2) Cfr Reiffenstul, L. III, tit. 30, n. 191.
(3) Cfr can. 463, § 4, et 1235, § 2.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis januarii propositas.

I.

In Matthæum, XXIII, 1-39.

Q. *Præmissa analysi sermonis Jesu contra Pharisæos et Scribas, qui refertur apud* Matthæum, *XXIII, 1-39, interpretare vv. 25-32.*

R. Indubium est Jesum in fine vitæ suæ publicæ habuisse sermonem adversus Pharisæos aliosque adversarios suos, in quo eorum obstinationem eis exprobrat divinamque ultionem prædicit. Ast utrum integrum illum sermonem prout habetur apud Matthæum hoc tempore et hoc loco habuerit, non certo constare videtur; possibile enim est, ut ex indole non chronologica tantum, sed et logica, totius primi evangelii colligitur, Matthæum etiam hîc, neglecto ordine chronologico, nonnulla dicta Jesu in aliis adjunctis prolata, propter similitudinem idearum huc transtulisse (1).

Magni momenti erat pro lectoribus Judæo-christianis primi Evangelii hic Jesu sermo contra Pharisæos: isto enim sermone poterant Judæo-christiani magis magisque averti a pristinis suis ducibus et magistris, quum ex illo sermone mira lux effunderetur in factum illud momentosum Pharisæos et Scribas, utut vindices legis mosaicæ, vivere in continua contradictione practica cum lege quam theoretice docebant. — Pro lectoribus, præprimis ethnico-christianis, secundi et tertii Evangelii, perplura ex dictis Jesu minoris erant momenti, adeoque intelligitur in hisce

(1) Ita forte dicendum esset de vv. 8-12 et 33.

evangeliis unice referri et reprehendi ea vitia quæ etiam apud ethnicos existebant.

I. In admirabili hoc sermone ubi Jesus, in fine vitæ suæ publicæ jam tamquam judex assurgit, crimina adversariorum in lucem ponens pœnamque intimans, tres distinguere est partes: *Introductio* (vv. 2-12) in qua Jesus personam moralem suorum adversariorum delineat (vv. 2-7): onera quæ aliis imponunt ipsi non portant (v. 4), quærunt videri (v. 5), in honore haberi (v. 6), vocari rabbi (v. 7); — contra hanc vanitatem et spiritum dominationis sequaces suos commonet Jesus (v. 8-12). — *Corpus sermonis* (vv. 13-32) septem (1) habet maledictiones contra Scribas et Pharisæos, quibus ostendit Jesus quomodo Pharisæi et Scribæ ruinæ morali populi allaborent: aliis januam regni cœlorum claudunt (v. 13); — ipse zelus eorum nocet aliis (v. 15); — alios obcæcant sua stulta et absurda casuistica (vv. 15-22); — item dum urgent decimas solvendas, negligunt caritatem et justitiam (vv. 23-24); — puritatem externam curant, interna neglecta (vv. 25-26); — sancta eorum apparentia externa decipit alios circa genuinam indolem sanctitatis (vv. 27-28); — ipse cultus eorum erga prophetas mendacium est, quum tales sint ut ipsi novos martyres occidant (vv. 29-32). — *Epilogus* (vv. 33-39): sententiam pronuntiat Jesus et punitionem prædicit tum contra ipsos Pharisæos et Scribas (vv. 33-36) tum contra integram nationem judaicam, cujus civitas Jerusalem quasi locum tenens nominatur (vv. 37-39).

II. Tres ultimæ maledictiones, in vv. 25-32 edictæ, in lucem ponunt oppositionem inter sanctitatem externam quam præseferunt adversarii et corruptionem eorum internam.

---

(1) In Vulgata *octo* habentur; ast certum videtur eam maledictionem quæ v. 14 habetur non esse authenticam, sed huc irrepsisse ex Mc., XII, 40 et Lc., XX, 47; addita fuerit ad parallelismum habendum cum *octo* beatitudinibus quæ initio vitæ publicæ positæ reperiuntur. — Numerus *septem* in Apocalypsi solitus est ad designandas divinas punitiones.

a/ Quam multum solliciti sunt de externa et legali munditie calicum et paropsidum seu catinorum (1) quibus ad bibendum et edendum utuntur, ne forte sint uno alterove modo polluta; sed nullam habent curam nonne ea quæ vasibus illis insunt (2), quæque ex illis bibent aut edent, originem habeant vel ex rapina vel ex cupidine satisfaciendi suæ intemperantiæ (v. 25). — Prima et essentialis puritas vasis in eo est quod nihil eo contineatur quod injuste acquisitum sit, nihil quod intemperantiæ faveat: hæc si deest puritas, vasa immunda erunt; unde hanc præprimis cura puritatem, ut dein fiat id quod deforis est mundum (3): si pura sunt ea quæ sunt intus, tunc utique de munditie externa quæstio esse potest.

b/ Comparantur Pharisæi et Scribæ sepulchris externe calce dealbatis (4): aforis, externe apparent hominibus speciosa et splendida, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omnigenis immunditiis (v. 27) (5). Sic et illi externe quidem apparent hominibus tamquam justi, intus vero pleni sunt hypocrisi et iniquitate (6).

c/ Scribis et Pharisæis exprobratur eos, dum externe exhibent cultum Prophetis aliisque justis martyribus (v. 29) et dum occisores eorum condemnant (v. 30), ipsi tamen interne eisdem malis dispositionibus animantur. Quæ idea aliquo quasi lusu verborum exprimitur; dice-

---

(1) Mundant « *quod deforis est* », non significat eos partem *externam* tantum vasis mundare; mundant *totum* vas, externe et interne, illudque dicitur *deforis* in oppositione ad cibos et potus qui dicuntur esse *intus*.

(2) Loco *pleni estis* verte textum græcum: *pleni sunt*.

(3) Ablutiones illas externas Jesus non videtur hisce verbis reprobare, sed in comparatione cum munditie interna quasi nihil esse edicit.

(4) Mos erat calce dealbando sepulchra virorum insignium ornare; — item quælibet sepulchra, singulis annis, quatuor ante Pascha hebdomadibus, ut nimirum transeuntes, præsertim illi qui ad festa majora celebranda Hierosolymam veniebant, sepulchra procul cernerent eorumque tactu sese non polluerent (Cfr *Num.*, XIX, 16).

(5) s. Lucas, ad eamdem ideam exprimendam, figuram a sepulchro desumptam lectoribus suis ethnico-christianis accommodat (XI, 44).

(6) *Iniquitas*, gr. ἀνομία (ἀ-νόμος), *inobservantia legis*: dura expressio pro Pharisæis et Scribis continuo *Legem* jactantibus.

bant enim Pharisæi: « Si fuissemus in diebus *patrum nostrorum* » qui sanguinem Prophetarum effuderunt...; dictum illud Jesus alio sensu interpretatur: Eos vocatis *patres* vestros; et meritò quidem: estis enim eorum *filii*, in sensu nempe spirituali: eorum imitatores, æque pravi ac isti. Hoc ergo testimonium *sibimetipsis*, i. e. contra seipsos præbent. — In v. 32 tandem, per acerbam ironiam, invitat eos Jesus ut, tamquam digni filii homicidarum, adimpleant mensuram criminum patrum suorum, ut tandem aliquando veniat divinum judicium et vindicta; seu ostendit se nosse eorum pessimas intentiones quibus seipsum suosque Apostolos aliosque discipulos occisuri sunt (1).

A. Vander Heeren.

II.

De scientia Dei de seipso.

Q. *Explica hanc propositionem: Deus cognoscit seipsum et quidem quantum est cognoscibilis.*

R. Supponitur in quæstione jam fuisse demonstratum in Deo esse cognitionem intellectivam (2), quod probatur theologice seu revelatione et etiam philosophice, seu ratione, notatim ex immaterialitate Dei: eatenus ens est intelligens, quatenus est immateriale (3); supponitur pariter fuisse demonstratum Deum cognoscere seipsum. Nunc quæritur de modo quo Deus seipsum cognoscit. Porro cognoscit seipsum, et omnia alioquin quæ cognoscit, *per seipsum* et quidem seipsum *quantum est cognoscibilis* seu semetipsum comprehendit.

---

(1) De hoc v. 32, quem explicant et applicant vv. 34 ss., vide responsum ad Iam quæstionem in proximo fasciculo.

(2) Cfr ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, apud *Collat. Brugen.*, IV, p. 438 s.; Van der Meersch, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 340 s., p. 290 s.

(3) Cfr s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 1, c.; *Contra gentes*, I, 44; *De verit.*, q. 2, a. 2, c.

1/ Cum cognitio nostra de Deo, secundum stadium vitæ præsentis, sit mediata et analogica (1), pauca prælibare oportet de modo quo nos cognoscimus, ut melius intelligamus quomodo Deus cognoscat.

« Omnis cognitio fit secundum similitudinem cogniti in cognoscente » (2); speciatim « omne intellectum, in quantum intellectum, [omne id quod intelligitur in quantum intelligitur], oportet esse in intelligente; significat enim ipsum intelligere apprehensionem ejus, quod intelligitur, per intellectum » (3); res, quæ intelligitur, est in ipso intelligente et « secundum quod est in eo, sic est operatio [intelligendi] in actu » (4).

Jam autem « considerandum est quod res exterior intellecta a nobis, in intellectu nostro non existit secundum propriam naturam; sed oportet quod species [similitudo] ejus sit in intellectu nostro, per quam [speciem] fit intellectus in actu (5).... Ulterius considerandum est quod intellectus per speciem rei formatus, intelligendo format in seipso quamdam intentionem rei intellectæ » (6), seu sibimet exprimit verbo mentis quid sit res nunc actu intellecta.

Unde « per speciem intelligibilem fit intellectus intelligens actu.... Comparatur igitur species intelligibilis ad intellectum, sicut actus ad potentiam » (7).

Verum Deus nihil potentialitatis habet; ipse non est in potentia respectu cujuslibet, itaque dicitur Deus cognos-

---

(1) Cfr Van der Meersch, *o. c.*, n. 284 s., p. 244 s.

(2) *Contra gentes*, II, 77.

(3) *Ibidem*, IV, 11.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 2, c.

(5) Hæc species intelligibilis, *id quo* intelligitur, a recentioribus vocatur species *impressa;* hac informatur seu actuatur intellectus passivus, qui et possibilis vocatur et qui format intentionem intellectam, speciem *expressam.* — Quomodo intellectus dicatur *pati* explicat s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 2, ad 2 et q. 79, a. 2, c.; dicitur intellectus *possibilis*, quatenus in potentia existens ad intelligibilia, uti notat ad 2, loco ultimo citato.

(6) *Contra gentes*, II, 53.

(7) *Ibidem*, II, 46.

cere seipsum *per seipsum*, quatenus « intellectus divinus nulla alia specie intelligibili intelligit quam sua essentia » (1): essentia divina est *quasi species intelligibilis* qua Deus cognoscit.

2/ Deus semetipsum cognoscit perfecto modo, *quantum est cognoscibilis*, seu semetipsum comprehendit; Deus summe intelligibilis est simul summe intelligens.

Nostra cognitio est intellectiva quatenus abstractiva: « res materialis intelligibilis efficitur per hoc quod a materia et a materialibus conditionibus separatur. Quod est, per sui naturam, ab omni materia et materialibus conditionibus separatum, hoc est intelligibile secundum suam naturam » (2). Sic Deus, utpote maxime immaterialis, secundum seipsum est maxime intelligibilis (3).

Ex alia vero parte « quanta est cognoscibilitas divinæ essentiæ, tanta est efficacia divini intellectus in cognoscendo » (4); Deus, summe immaterialis, est etiam summe intelligens, et sic « Deus seipsum cognoscit quantum cognoscibilis est ... et seipsum perfecte comprehendit » (5).

---

(1) *Contra gentes*, II, 46 et cfr *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 2, c.

(2) *Contra gentes*, II, 47 et cfr *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 1, c. — Homo non cognoscit animam suam immaterialem, nisi per actum intellectus, qui « in sua essentia consideratus se habet ut potentia intelligens. Unde ex seipso habet virtutem ut intelligat, non autem ut intelligatur, nisi secundum id quod fit actu » (*Sum. theol.*, I, q. 87, a. 1, c. et cfr q. 12, a. 3, ad 3 et q. 85, a. 4, c.). — Angelus vero, « cum sit immaterialis, est quædam forma subsistens, et per hoc intelligibilis in actu »; unde etiam se per suam substantiam intelligit (*Sum. theol.*, I, q. 56, a. 1, c.); alia a se per similitudines seu species a Deo inditas (*ibidem*, q. 55, a. 1, c.).

(3) Propter excessum Dei intelligibilis supra intellectum nostrum et omnem intellectum creatum, is qui est maxime cognoscibilis in se, jam cognoscibilis non est, cognitione immediata et propria, visione scil. intuitiva, « nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit ut intelligibile ab ipso » (*Sum. theol.*, q. 12, a. 4, c.).

(4) *De verit.*, q. 20, a. 5, c. — Hoc autem dici nequit de ullo intellectu creato; unde aliis in tractatibus demonstratur nec beatos, nec angelos, nec ipsam animam Christi Deum comprehendere aut posse comprehendere.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 3, c. et cfr *De verit.*, q. 2, a. 2, ad 5.

Ad vocem « comprehendere » rite intelligendam, advertere tandem juvat: « quod comprehendere, si proprie accipiatur, significat aliquid habens et includens alterum.... Non sic autem comprehendi dicitur Deus a seipso.... Sed hujusmodi locutiones per negationem sunt exponendæ.... Dicitur [itaque Deus] comprehendi a seipso, quia nihil est sui quod lateat ipsum » (1).

H. Lamiroy.

III-IV.

De contractibus in genere VII.

Q. *Cum ad materiam contractus requiratur* res contrahentibus propria, *quæritur quid valeat conventio qua quis proprio nomine disponit a/* de re aliena, *b/* de facto alieno.

R. Nullo quidem negotio ostenditur in genere aptam contractus materiam talem inveniri debere quæ sit contrahentibus propria: cum enim contractus sit conventio juris stricti, operans scilicet sive dominii translationem, sive strictæ cujusdam obligationis productionem aut modificationem, patet nullo privato competere homini ut in alterum contrahentem jus aliquod transferat quod ipse non habet. Quod utique de conventione proprio tantum nomine inita intelligendum est; nam profecto ex accepto mandato necnon ex legitima negotiorum gestione potest quis tertium quemdam stricte ligare.

Porro, præsens procedit quæstio de valore in conscientia conventionis sive de re aliena sive de facto alieno, proprio marte initæ; ad cujus solutionem, juris tum naturalis tum etiam civilis rationem habere oportebit.

I. Contractus de re aliena.

Duplici sane modo seu ratione contingit rem de qua contrahitur ad tertium jam pertinere (2); ita nempe ut

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 14, a. 3, ad 1.

(2) Cf. Carrière, *De Contractibus*, I, n. 234: « res dicitur aliena duplici sensu, vel actu, vel potentia: *actu*, quando non is qui eam in

ille in eam jus in re possideat, ut si Petro vendam equum Pauli, aut ita ut tertius nondum habeat nisi jus ad rem, remanente adhuc apud contrahentem jus in re seu dominium, ut si Petro tradam rem adhuc meam sed jamjam Paulo stricte promissam, vel etiam si operarius contractum laboris cum Paulo prius ineat et deinde de facto laboret pro Petro. Unde secundum duplicem hanc hypothesim disjungendum erit responsum.

A/ *Si res sit actu jam aliena.*

1/ Maxime quidem refert ut in hujusmodi casu contrahentium intentio prius indagatur, puta si quis Titio frumentum alienum vendat: frequenter enim non agetur nisi de licita collatione juris ad rem, prout infra dicetur.

Verum, si paciscentium animus seu voluntas in immediatam translationem dominii alicujus rei actu alienæ reapse feratur, procul dubio *inexistens* est *jure naturæ* conventio ista: cum venditor, ut jam diximus, in alium transferre non valeat jus aliquod quod ipse non possidet (1).

Jure civili vero, venditio hujusmodi *nulla* pronuntiatur, ex art. 1599; sicut etiam nullum declarat art. 1021 legatum rei alienæ. Quæ utique nullitas, ad sensum legis quod attinet, probabilius modo strictiore intelligenda videtur, de ipsa nimirum civili inexistentia actus, concorditer cum jure naturæ: siquidem ipsam causam contractus, quæ secundum legem elementum essentiale cujusvis conventionis constituit, in casu deficere dices (2).

---

pactum deducit ullum jus aut dominium habet, sed alter tertius; *potentia*, quando alteri tertio debetur, quamvis adhuc sit sub dominio paciscentis. Aliis verbis, res aliena est, vel quia alter habet in eam jus in re, vel tantum quia habet jus ad rem ».

(1) Cf. Carrière, *ib.*, n. 236: « res actu aliena non potest ita esse objectum contractus, ut illius dominium transferatur. Illud admittunt omnes, quia nemo plus juris in alium transferre potest quam ipse habeat; et quidquid paciscentes agant, nullum præjudicium inferre possunt rei domino. Igitur in eo sensu invalidus erit contractus de re aliena ».

(2) Cf. Ill. Waffelaert, *De justitia*, I, n. 603.

Verumtamen, generali regulæ notabilis introducitur exceptio ex art. 1141 : « Si la chose qu'on s'est obligé de donner ou de livrer à deux personnes successivement, est purement mobilière, celle des deux qui en a été mise en possession réelle est préférée et en demeure propriétaire, encore que son titre soit postérieur en date, pourvu toutefois que la possession soit de bonne foi ». Hic nimirum casus, qui noti principii præ se fert applicationem : en fait de meubles, la possession vaut titre, revera ad nostram hypothesim contractus de re actu aliena pertinet, saltem quoad venditiones : cum enim venditio sub jure nostro sit contractus consensualis, per priorem jam venditionem hujusmodi amittit venditor suum dominium, illudque primo emptori transfert, quamvis rem ipsi nondum tradiderit.

Certe opinatur Carrière (1) ex codice nostro venditionem immobilium esse quidem contractum consensualem, mobilium vero realem tantum, adeo ut per solam venditionem rei mobilis et ante traditionem ejus non acquireret emptor nisi jus ad rem, remanente adhuc dominio apud venditorem ; de quo casu sub altera hypothesi dicetur. Verum, refellitur hæc sententia ex art. 1583 et 1138, qui de quavis venditione universaliter declarant proprietatem seu dominium solo jam partium consensu reapse transferri, independenter a rei traditione. Nec ipsa exceptio art. 1141 regulam evertit : nam profecto per priorem venditionem statim proprietarius evadit primus emptor ; at ipsa lex, vi alti quo pollet dominii ad commercii securitatem et commune bonum, ab ipso in casu ad secundum emptorem bonæ fidei dominium transfert, in cujus manus res mobilis tradita fuerit. Quam ceteroquin dominii translationem æque operatur codex in omnibus casibus ubi applicatur principium generale art. 2279 : en fait de meubles, la possession vaut titre ; et valide quidem in conscientia, prout alibi explicatur.

---

(1) *Ib.*, n. 234.

Sequitur ergo alterum emptorem bonæ fidei vere proprietarium fieri in foro interno, postquam rem mobilem hujusmodi acceperit: manente tamen venditori obligatione compensandi damna, si quæ sint, erga priorem emptorem. Si vero conditiones legaliter requisitæ deficiant, exceptio art. 1141 usu non venit, adeoque manet contractus posterior de jure naturæ inexistens.

2/ Ad praxim nunc quod attinet: ubi res alienæ venduntur, frequenter non versabitur intentio contrahentium circa immediatam dominii translationem, sed tantummodo circa jus aliquod ad rem conferendum et accipiendum, seu *circa factum proprium promittentis* (1). Quotidie enim in commercio vendunt merces quas nondum habent, hoc scilicet valido licitoque sensu: quod venditor hanc sibi rem procurare eamque alteri contrahenti tradere teneatur; vel secus ipsum præstare indemnem, si nempe culpabiliter obligationem suam neglexerit, vel si conventionis stipulationes ita intelligendæ sint.

B/ *Si res sit jure ad rem alteri jam debita.*

Duplex iterum casus hic subdistingui potest: nimirum *facti proprii* jam ex contractu promissi Titio, et postea denuo promissi Paulo; vel *rei* cujusdam jam jure ad rem uni debitæ, et de qua rursus cum alio contrahitur.

1/ *Ad primum.* Si opifex v. g. post contractum laboris

---

(1) Cf. Ill Waffelaert, *ib.*, n. 426: « pendet ab intentione contrahentium, quæ, si clara non sit, indagari debet ex adjunctis, usu et consuetudine, legum dispositionibus quas servare voluisse censentur; præsertim vero attendenda est natura contractus, et utrum cognoverint contrahentes rem esse alienam, necne. Ita si *a*/ uterque nesciat rem esse alienam, contractus nullum habebit effectum: in contractu enim gratuito censetur quis solummodo voluisse tradere jus quod habebat; in oneroso vero, intentio unice fertur in translationem et acquisitionem dominii. *b*/ Si uterque noverit rem esse alienam: vel voluerunt se mutuo decipere vel jocari, et utroque casu nullus effectus producitur, vel denique serio egerunt et tunc sequuntur prædicti effectus (fit scilicet contractus de facto proprio promittentis); ut reipsa quotidie fit in commercio. *c*/ Si alteruter tantum ignoraverit rem esse alienam, deficiet per se, ex ejus parte, contractus, adeoque nulla exsurget obligatio. Attendendum tantum erit an et quatenus altera pars obligetur ratione doli, deficiente obligatione ex contractu ».

cum quodam patrono pro mense initum, alteri hero pro eodem tempore vires suas locet, illicite sane facit imo injuste, utpote contra strictum jus ad rem prioris patroni. Unde *jure naturæ inexistens* est hæc altera conventio, qua contractus de materia turpi: non enim tenetur nec potest ille opifex pro altero hero nunc laborare, sed erga priorem obligatus manet; proindeque deficit in hoc altero et synallagmatico contractu quivis effectus stricti juris.

Attamen, si de facto operarius ad secundum patronum tendat pro ipsoque laboret, valide sane agit, cum hoc ipsi tradat seu transferat quod adhuc suum est, vires nempe suas quamvis alteri jam debitas. Unde per ipsam operis illiciti positionem novus oritur contractus innominatus et validus: facio ut des, patronum adstringens ad debitam mercedis solutionem; et consonat *jus civile*. Superest tamen ut opifex priori hero damna forsan secuta præstet; quæ obligatio, in defectu operarii, ad alterum patronum ratione efficacis ad injustitiam cooperationis transiet, modo ille primum contractum noverit seu formaliter fuerit culpabilis (1).

2/ *Ad secundum*. Si vero casus sit non de proprio facto, sed *de re propria* quam quis vendat vel donet aut solvat, dum jam tertius quidam jus ad rem in eam possidebat, pari modo quandoque asseritur hunc contractum, quamvis injustum, generatim (2) tamen *validum esse de jure naturæ, postquam* exsecutioni mandatus fuerit (3). Quamquam hæc assertio cum grano salis intelligenda est.

In his profecto contractibus quæ solo consensu domi-

---

(1) « Notandum tamen quod contractus de actione jam tertio debita, omnino firmus et licitus esse possst, quoties nempe actio illa, illæso jure tertii, alteri utilis esse simul potest » Ill. Waffelaert, *ib.*, n. 425. — Ita si Titius pro Paulo ad civitatem tendere debeat, optime sæpius et pro Petro simul iter instituere poterit.

(2) Generatim, quia in casu fori cessionis etc., lex eos qui debitis solvendis impares sunt, privat jure administrandi bona sua; unde irritus tunc est et manet contractus.

(3) Cf. Carrière, *ib.*, n. 234.

nium non transferunt, ut *in promissionibus stricti juris et in donationibus manualibus*, ante traditionem non competit donatario sive promissario nisi solum jus ad rem, remanente adhuc apud alteram partem proprietate rei. Et tunc utique, si donans hoc modo rem Petro eamdem postea donem et tradam Paulo, idem ac de casu opificis resolvendum est: irritam nempe jure naturæ fuisse alteram donationam, *validam tamen ipsam rei traditionem*, cum effectum stricti juris reapse habuerit, ipsam scilicet translationem dominii.

Porro, *in communibus venditionibus*, cum partium jam consensu ante rei traditionem proprietas transferatur, primus emptor jus in re statim acquirit: adeoque hypothesis de qua nunc disputamus usu non venit, seu nullatenus jure naturæ validatur contractus novæ venditionis per traditionem inter manus secundi cujusdam emptoris peractam. Attamen lege tunc civili quandoque uti licebit, prout explicavimus.

Verum, *in quibusdam venditionibus*, rei v. g. non satis determinatæ, non acquirit emens ipso contractu nisi jus ad rem: sed tunc solutio pendebit a natura contractus qui priori supervenit. Puta si quis ex grege aliquo decem oves indeterminatim emat, quas postea dominus simul cum toto grege alteri vendat, illico secundus emptor jus in re obtinet, quod prior pro indeterminatione rei non acquisierat: vendidit enim dominus ovium, quamvis partim injuste, rem adhuc suam et hac vice bene determinatam, adeoque jure naturæ translatio dominii statim perficitur. Itaque non tantum valebit altera hæc venditio postquam exsecutioni mandata fuerit, sed confestim valet, et proinde novo jam emptori et minime priori facienda est jure naturæ rei traditio: ipsius enim jam est totus grex, nec per ejus traditionem nova committetur injuria, quippe quæ altera venditione consummata fuit.

Hac igitur ratione de jure naturæ dicendum, cum contractui dominium non transferenti alter succedat qui proprietatem rei statim transfert; secus vero si de duabus

successive conventionibus agatur quibus solummodo jus ad rem acquiritur.

De damnis autem erga priorem emptorem sive donatarium tenetur ille primum qui de re alteri debita injuste disposuit; alter vero contrahens, si bonæ fidei fuerit, nil reparandum habet. Nisi tamen titulo gratuito accipiens inde factus sit ditior, dum simul donans sese ipsa donatione imparem solvendi sive reparandi reddiderit: tunc enim donatarius ex æquitate saltem naturali (adeoque sub levi) ad compensandum teneri videtur, cum æquum non sit cum alterius damno ipsum locupletari (1). Si vero malæ fidei fuerit seu fraudem cognoverit, tenebitur ex justitia in defectu tradentis, ob efficacem injustamque cooperationem, ad reparationem damnorum.

Porro *jus civile,* ut jam monuimus, omissa distinctione inter jus in re et jus ad rem, *nullam* generatim declarat conventionem de re aliena. Quæ nullitas, deficiente certitudine de ejusdem sensu, practice seu in foro conscientiæ non obstabit validitati contractus ante sententiam judicis, sicubi jure naturæ conventio hæc valida existat, ut in proposito casu rei indeterminatæ. Ceteroquin hoc ipsum et amplius decernit art. 1585 pro specialibus hisce casibus: venditiones scilicet hujusmodi non esse perfectas nisi postquam res bene determinata fuerit, antea vero manere imperfectas seu translationem dominii minime producere; adeo ut emptor rei indeterminatæ annulationem contractus posterioris et determinati cum tertio non possit exigere, sed tantummodo disjunctive contra venditorem aut contractus exsecutionem aut reparationem damni reclamare valeat.

Sed insuper exceptio art. 1141, de qua supra, venditioni et donationi rei alteri debitæ applicanda venit in foro

(1) Imo restituendum ipsi foret ex justitia, nonobstante ejus bona fide, si jam ex lege privatus erat donatarius jure administrandi bona sua. Secus vero ex æquitate tantum, ut diximus; nisi tamen judex postea hunc contractum gratuitum annulet qua damnosum creditoribus donatoris, utpote qui impar sit solvendi debita sua.

conscientiæ, modo conditiones ab ipsa lege appositæ verificentur.

II. **Contractus de facto alieno.**

1/ *Jure naturæ*, contractus quo quis proprio nomine agens, intendit solummodo alteri contrahenti jus quoddam strictum et immediatum in actionem tertii conferre, procul dubio *inexistens* est, cum nullam stricti juris obligationem nec tertio pariat nec promittenti. Ita minime tenetur ex justitia filiusfamilias ad laborandum pro Titio, postquam pater ejus de hoc labore cum Titio contraxerit: nequit enim filius hac stricta ratione absque proprio facto obligari; nec magis ad aliquid vi contractus adstringitur pater, si tantummodo obligationem filii sui Titio conferre intenderit. Profecto ob patris jussionem, ex obedientia scilicet vel pietate filius obligari posset in casu; at certe non ex justitia stricta, nisi pater ipsius nomine et mandato egerit, vel nisi ipse postea contractum libere acceptet ratumque habeat.

Itaque contractus de facto alieno, hoc sensu intellectus, irritus est et invalidus. Verum, alia plerumque ratione ineuntur hujusmodi conventiones: ex intentione nempe contrahentium, obligatio valida quidem et licita assumitur ut plurimum *de facto proprio promittentis*, adlaborandi scilicet aut imo efficiendi ut tertius pro altero contrahente aliquid præstet; enimvero nihil obstat quin paterfamilias valide se obliget ad obtinendum consensum filii sui, ut hic nimirum pro Titio laboret. Illa tunc conventio promittentem obligat secundum contractus stipulationes sive expressas sive etiam tacitas et utrinque acceptatas; et consequenter ad damna præstanda si promissum culpabiliter omittatur, vel imo quandoque si inculpabiliter.

2/ *Jure civili*, contractus de facto proprie alieno pariter non admittitur, ex art. nempe 1119; « on ne peut, en général, s'engager, ni stipuler en son propre nom, que pour soi-même » (1). Quod sane non impedit quominus

(1) Cf. THIRY, *Cours de droit civil*, II, n. 591: « On ne peut promettre le fait d'un tiers; par ex.: je ne puis promettre que Pierre vous donnera

nomine alterius quis valide agat, nec etiam quin hujusmodi conventionem absque mandato initam possit postea tertius valide ratam habere (1).

Verum, concorditer cum jure naturæ, agnoscit lex in art. 1120 contractum affinem de facto proprio promittentis : « néanmoins on peut se porter fort pour un tiers, en promettant le fait de celui-ci : sauf l'indemnité contre celui qui s'est porté fort ou qui a promis de faire ratifier, si le tiers refuse de tenir l'engagement ». Certe non videtur hic sententia quorumdam jurisperitorum admittenda, contractum de facto alieno semper a lege de facto proprio præsumi promittentis : præterquam enim quod hæc præsumptio cum veritate et intentione contrahentium discordare posset, insuper regula generalis art. 1119 de medio tolleretur, et exceptio sequentis art. staret pro regula.

Quamquam sæpius in hisce casibus, potissimumque in materia commercii, contrahentium intentio hac ratione practice intelligi debet, ut nempe promittens de facto proprio convenerit ; adeo ut mens ejus merito præsumatur talis, si v. g. clausula pœnalis promissioni adjecta sit, et plerumque etiam si præstationem alicujus qui sub ejus potestate sit, spoponderit.

Restat tandem ex jure civili, non secus ac naturali,

---

telle chose. Une pareille convention est nulle ; elle n'obligera personne, ni Pierre, ni moi. Pierre ne sera pas obligé parce que sa volonté est restée étrangère à la convention : il n'a pas consenti ; moi je ne serai pas obligé parce que je n'ai rien promis pour moi, je n'ai pas promis mon fait, mais celui d'autrui, je ne me suis engagé à rien ».

(1) Cf. THIRY, *ib.* : « Pour que la promesse que nous faisons pour un tiers soit nulle, il faut que nous la fassions en notre propre nom, elle serait valable si elle était faite au nom du tiers lui-même et en vertu d'une qualité, d'un rapport juridique qui nous en donnerait le droit. Ainsi, le mandataire peut promettre pour son mandant, le tuteur pour son mineur (art. 450), le mari administrateur des biens de sa femme, pour celle-ci (art. 1428), de même encore le negotiorum gestor. Ils n'agissent pas en leur propre nom, mais au nom du tiers qu'ils représentent ». — Cf. etiam decisionem *Cass. belg* (20 Juillet 1883, P., 1883, I, 347) : « La convention faite par une personne qui agit sans pouvoirs, au nom de tiers, est obligatoire pour ceux-ci s'ils l'ont ratifiée ».

obligatio hujus promittentis indagari, quid nimirum pollicitus sit: an solummodo se curaturum pro posse ut tertius aliquid pro altero contrahente præstet, an vero se effecturum ut ille tertius de facto conventionem ratihabeat aut imo exsequatur; a mensura enim susceptæ obligationis responsabilitas promittentis pendet.

E. Hosten.

V.

De obligatione peregrinorum et vagorum.

Q. *Explica can.* 14.

R. Canon 14 ea, quæ in præcedenti statuta sunt, complet: ibi enim ratio habebatur de iis, qui in territorio sui domicilii (incolæ), aut quasi-domicilii (advenæ) versantur (1); hic de iis, qui aut versantur extra sui domicilii vel quasi-domicilii territorium (peregrini), aut nullibi domicilium vel quasi-domicilium habent (vagi). Porro:

§ 1. *Peregrini :*

1° *Non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quandiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales.*

Ad explicationem regulæ generalis hic traditæ, necnon duplicis exceptionis, sint sequentia:

a/ Regula generalis non videtur niti principio, olim sat communiter admisso, *limitationis potestatis;* potius fundatur in defectu voluntatis ex parte legislatoris (2).

---

(1) Cfr supra p. 53. Nota novum sensum voci « *advena* » datum (can. 91). Ante codicem advena dicebatur qui alibi natus in territorio domicilium vel quasi-domicilium acquisiverat. (Cfr Bouquillon, *Theol. Mor. Fund.*, 1903³, n. 159).

(2) Ut probavimus supra (*Collat. Brugen.*, t. XXIII, p. 199 et 219), principium territorialitatis *ipsius potestatis jurisdictionis* in novo Jure sustineri jam non potest. « Disciplina Codicis, ita Van Hove in cursu autographo ad can. 14, sub uno respectu mutat jus superius, nempe admittit obligationem absentium pendere a voluntate legislatoris, cum admittit leges personales ».

Absentes non tenentur legibus particularibus sui territorii, quia S. Sedes vel legislator inferior, qui ipsas tulit, noluerunt absentes obligare. Legislatorem vero generatim nolle absentes obligare, satis patet ex canone 13 § 2, quæ tanquam conditionem obligationis exigit ut subditi in loco a lege intento « simul actu commorentur ». Eruitur etiam ex can. 8 § 2, juxta quam leges ecclesiasticæ sunt præsumendæ *territoriales*, nisi aliud constet. Et notandum est, quod juxta has regulas juris communis etiam statuta legislatorum inferiorum ferenda sunt ideoque dijudicanda (1).

b/ Attamen possunt tum S. Sedes, tum legislator inferior velle obligare absentes lege lata pro peculiari territorio et de hac sua voluntate constare potest non tantum ex tenore legis, sed etiam ex natura rerum. Ideo ponitur exceptio regulæ generali « nisi leges sint personales ».

c/ Excipiuntur etiam leges quarum transgressio in proprio territorio nocet. Ratio hujus exceptionis ante Codicem jam admissæ in hoc olim inveniebatur, quod hujusmodi transgressores ut vere absentes haberi nequeunt; qui enim nocet per factum quo nocet, adesse censetur (2). Verius excipiuntur hujusmodi leges quia *natura sua personales* sunt, saltem quoad obligationem (3).

---

(1) Sane non posset legislator inferior omnes suas leges particulares « personales » dicere; exceptionaliter tantum uti potest hac potestate; mensura enim potestatis legislatoris est « bonum commune ». Porro jus commune, quum in can. 8 leges *territoriales* dicit præsumendas, jam innuit plerumque bonum commune satis per leges territoriales intendi. Imo quædam nominatim excipiuntur: sic, ut patet ex can. 14 § 2, Ordinarius loci non posset lege *personali* regere materias quæ ordini publico consulunt alieni territorii, nec actuum solemnia determinare. Hinc adhuc dici potest potestas legislatoris particularis limitata ad territorium ipsius, sed vi juris communis et in quibusdam tantum, non autem natura sua et in omnibus.

(2) Limitatur igitur regula generalis, sicut olim, ad casum quo subditus est absens *physice et moraliter*. Cfr VANDEN BERGHE, *De Legibus*, 1904², n. 113, BOUQUILLON, *o. c.*, p. 376.

(3) Revera omnes leges exempli gratia ab AA. hic allatæ, uti sunt leges de solutione tributorum rebus in territorio proprio sitis impositorum, leges residentiæ, leges de muneribus obeundis ratione officii vel

2° *Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quæ ordini publico consulunt, vel actuum solemnia determinant.*

Rursus hic regula generalis cum duplici exceptione.

a/ Ratio regulæ generalis in promptu est, quoad eas leges quæ a superiori locali feruntur; deficiente enim domicilio vel quasi-domicilio, legislator localis nullam habet per se in peregrinos jurisdictionem (1). Et quod leges attinet a S. Sede latas: sane illæ obligare valerent peregrinos, siquidem peregrini ubique terrarum subditi S. Sedis manent, sed de facto non eos ligant siquidem ut hujusmodi legibus quis subjiciatur requiritur saltem generatim domicilium vel quasi-domicilium in loco. (Can. 13 § 2) (2).

b/ Nihil tamen obstat quominus S. Sedes, si velit, peregrinos vel suis legibus particularibus obliget, vel etiam legibus superioris localis subjiciat. Et de facto, vi juris communis, in hoc canone contenti, peregrini tenentur quibusdam legibus specialibus loci in quo degunt nempe:

α/ legibus « quæ ordini publico consulunt », quæ nimirum ita necessariæ sunt, ut ipsis omissis, ipsa communitas ipsum regimen et securitas subditorum in periculo sint. Hic mihi videtur, salvo meliori, sensus formulæ a Codice adhibitæ; « ordo publicus », ni fallor, opponitur « ordini privato ». Sunt enim quædam publica, quædam privatim utilia, quæ in bonum societatis commune a legislatore præscribi possunt. Porro si legislator directe intendit quæ ad singulorum utilitatem spectant, ordini

---

beneficii suscepti aliaque hujusmodi, sunt leges *natura sua personales*; afficiunt aliquem, non quia simpliciter subditus, sed propter alium etiam titulum, territorialem simul et *personalem*, quippe qui adhæreat utique loco, sed etiam ossibus subditi. Hujusmodi leges dici possunt, cum Maroto, *Institutiones Juris Can.*, 1919, t. I, p. 180, territoriales quoad observantiam, sed *personales quoad obligationem*.

(1) Cfr Can. 201, § 1 « Potestas jurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri. »

(2) Cfr supra, p. 55.

privato consulit; si vero quædam ordinat ut ipsa societas in essentialibus suis conditionibus conservetur et apta maneat ad finem proprium assequendum, hæ ordinationes dici possunt « consulere ordini publico ». Difficultas tamen remanet in definiendo quænam leges, in concreto, sub hac formula comprehendantur (1).

β/ Etiam tenentur peregrini legibus « quæ actuum solemnia determinant », juxta principium olim etiam admissum: locus regit actum (2).

3° *At legibus generalibus tenentur, etiamsi hæ suo in territorio non vigeant, minime vero si in loco quo versantur non obligent.*

Jus enim commune ubique habet suum territorium atque fideles quocumque tendant subditi manent auctoritati supremæ, quæ tulit leges generales (can. 13 § 1) (3).

Consuetudines vero et privilegia, quibus leges generales cessant pro aliquibus locis, tanquam *territorialia* sunt habenda, ac proinde iis qui extra territorium vagantur non prosunt (4); intra territorium autem *benigna*

---

(1) Opinamur tamen, hic rursus sub formula generali (qualem exigit indoles Codicis) comprehendi exceptiones quas probati AA. jam ante Codicem tum ex jure naturali, tum ex jure communi repetebant. Vi juris naturalis tenentur peregrini legibus particularibus loci, quoties ex eorum violatione oriretur scandalum vel communitati afferretur nocumentum (cfr Vanden Berghe, *o. c.*, p. 101). Vi juris communis, a peregrinis servanda sunt statuta particularia circa *celebret* (can. 804, § 3) et interdictum locale (can. 2269, § 2), subsunt peregrini reservationibus loci in quo degunt (can. 893), tenentur sacerdotes peregrini missam et collectas legere juxta calendarium locale et ordinationes locales (S. Rit. Congr. 8 Martii 1895).

(2) Tenentur igitur peregrini, ut olim, ad formas et solemnitates contractuum, judiciorum aliorumque actuum legitimorum præscriptas jure territorii in quo versantur (Wernz, *Jus Decretalium*, 1898, I, p. 107).

(3) Attamen si peregrinus jam præcepto legis generalis satisfecerit, quacumque de causa, non debet illud servare iterum in casu quo in loco quo peregrinatur, idem præceptum tardius urget.

(4) Aliter dicendum esset si peregrinus exemptionem a lege generali haberet vi dispensationis vel privilegii personalis (Vanden Berghe, *o. c.*, p. 147).

concessione juris hic facta, etiam iis, qui ibi peregrinantur, extenditur participatio.

§ 2. *Vagi obligantur legibus tam generalibus, quam particularibus quæ vigent in loco in quo versantur.*

Itaque, contra opinionem, olim sat communem (1), disciplina pro peregrinis admittenda, jam vagis applicari non potest. Vagi enim non tantum ubique subditi sunt S. Sedis, sed etiam, ex positiva et nova dispositione juris communis, subditi fiunt Ordinarii loci in quo et pro tempore quo ibi commorantur (can. 94 § 2).

***

In canone 14° generatim igitur recipitur doctrina, quæ ultimis temporibus ante Codicem jam prævaluerat (2), principium nempe generale, quod paucis sic exprimebatur: « Ut quis lege ecclesiastica ligetur requiritur ut sit *de territorio* et *in territorio* »; eædem etiam ac antea exceptiones admittuntur. Duo tantum nova dici possunt, scilicet: exceptiones quæ haberi possunt ex indole personali quarumdum legum et dispositio pro vagis (3).

Aliæ vero exceptiones non sunt quærendæ, nam textus Codicis limitativus est audiendus. Itaque, jam sola vi canonis, prorsus rejicienda est sententia illorum qui peregrinos obligatos dicebant lege particulari loci commorationis, quando eadem lex in territorio proprio vigebat (4), vel qui limitabant exemptionem peregrinorum a legibus vigentibus in loco proprio, ad casum quó non exierint ea sola de causa ut sese ab obligatione

(1) Cfr VANDEN BERGHE, *o. c.*, p. 110.

(2) Quam doctrinam vide expositam et vindicatam apud VANDEN BERGHE, *o. c.*, n. 107 et seq.

(3) Disciplina nunc vigens pro vagis reducitur tamen ad principium generale, siquidem nunc, vi canonis 94. § 2, subjiciuntur Ordinario loci in quo actu commorantur, ideoque *de ipsius territorio* dici possunt.

(4) Ita jam ante Codicem, VANDEN BERGHE, *o. c.*, n. 111, sub b. Argumentum ibi allatum adhuc valet.

eximerent (1), vel qui legislatori particulari jus agnoscebant ferendi pro peregrinis leges particulares in omni materia (2). R. DESCHEPPER.

VI.

De parochorum potestate dispensandi.

Q. *Quænam potestas competit parochis vi canonis 1245, § 1?*

R. Sub *jure antiquo* parochis agnoscebatur ex receptis moribus jus *dispensandi in jejuniis* et *observantia festorum*, sed singulariter tantum, i. e. cum singulis et toties quoties (3). *Hodie* hoc ipsis explicite conceditur per can. 1245, circa quem plures quæstiones debent resolvi ut ambitus hujus potestatis clare eluceat.

Claritatis gratia successive inquiremus 1) cujusnam generis sit potestas hic concessa et quale sit ejus objectum; 2) quandonam possit exerceri; 3) quænam sint ejus subjecta.

1° *De natura potestatis a can. 1245 concessæ, ejusque objecto.*

Dispensatio seu legis relaxatio in casu speciali (c. 80) est actus *jurisdictionis*, quo aufertur obligatio ex lege oriunda erga illum qui alias lege teneretur. Potestas hoc

---

(1) Confirmatur igitur opinio VANDEN BERGHE, *o. c.*, n. 114. Sententia contraria aliqualem probabilitatem unice habebat ex duplici casu noto, in quo, sic disponente jure, transeuntes cum animo sese subducendi obligationi manebant obnoxii legi territorii proprii. Sed uterque casus jam non obtinet in novo jure, siquidem legislatio de matrimoniis clandestinis jam est ubique eadem (c. 1094) et revocata est per can. 900 restrictio olim existens pro absolutione peccati reservati.

(2) Contrarium adhuc docent MAROTO, *o. c.*, p 213 et VERMEERSCH, *Theol. Mor.*, t. I, 1922, p. 245. Sed omnino mihi videtur obstare principium juris fundamentale « Potestas jurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri » (can 201, § 1). Equidem admittendum puto legislatorem particularem posse ferre pro peregrinis leges speciales, « quæ ordini publico consulunt »; in hac enim materia peregrini a jure communi Ordinariis locorum subjiciuntur.

(3) Cfr D'ANNIBALE, *Summula Theologiæ Moralis*, I³, n. 231.

canone parochis concessa proinde est *potestas jurisdictionis*; at non est eis *propria*, quia potestas dispensandi jure proprio consectarium est potestatis condendi juris, quæ solis legislatoribus competit, sed *derivata* i. e. a legislatore benigne concessa. Adnectitur tamen ipso jure, vi nempe can. 1245, officio parochiali stabiliter erecto, ideoque est potestas *ordinaria*; et quia est potestas jurisdictionis ordinaria, et nullibi in jure aliud cavetur, potest parochus eam alteri, v. g. vicepastori *delegare* ex toto vel ex parte, etiam habitualiter (1). Illam exercere potest extra sedem confessionalem.

Hac potestate gaudent omnes parochi et omnes qui in jure parochis æquiparantur, ut vicarii parœciales qui *plena* potestate parœciali sunt præditi (2).

Objectum hujus potestatis in verbis canonis determinatur, siquidem conceditur potestas « dispensandi (3) a lege

---

(1) Cfr can. 199, § 1. Quidam tamen tenent esse potestatem *delegatam* nitendo in essentia officii parochialis, et can. 83. Immerito tamen, ut nobis videtur. Sed etiam in hac hypothesi, vi can. 199, § 2, habitualiter posset a parocho subdelegari hæc potestas. Cfr *Ned. Kath. Stemmen*, XVIII, p. 237 et XX, p. 186.

(2) Cfr can. 451, § 2, 2°. Sunt nempe *vicarii perpetui* seu curati (c. 471); vicarii *æconomi* (can. 473, § 1), aliquando etiam vicarii *substituti* (can. 474) et vicarii *adjutores* (can. 475).

(3) Cum canon unice loquatur de facultate *dispensandi*, inquirere licet cum R. P. Vermeersch utrum parochi etiam fruantur potestate *commutandi* has obligationes. Commutatio est substitutio alicujus operis in locum operis debiti sub eadem obligatione (O. E. Dignant, *Tractatus de virtute religionis* [3], n. 202). Proinde commutatio *auctoritative* facta non est simpliciter partialis dispensatio, de qua dici posset: « qui potest plus potest minus » sed infert præter potestatem relaxandi, facultatem ligandi seu imponendi aliud opus sub eadem obligatione. Obligatio autem de qua hic agitur est obligatio oriens ex lege positiva, non ex privata obligationis susceptione prout fit in voto. Jamvero obligatio legis non potest converti in aliam ejusdem generis, nisi condita nova lege. In canone autem citato tantum tribuitur potestas dispensandi seu relaxandi legis obligationem, nulla commutandi. Nec dicendum est, nisi constet lege aut consuetudine rem aliter se habere, legislatorem censeri hoc concedere ei cui mere dat facultatem relaxandi legem (cfr Vermeersch-Creusen, *Epitome*, II, n. 553). Inde concludimus parochos vi can. 1245 probabilius non habere potestatem commutandi has obligationes.

communi de observantia festorum, itemque de observantia abstinentiæ et jejunii vel etiam utriusque ».

Observantia festorum duo comprehendit: audire missam et abstinere a servilibus. Ab his obligationibus proinde dispensare potest parochus sive cumulative, sive sejunctim.

2. *Quandonam potest dispensari?*

Dispensatio a parocho fieri potest *a*, in casibus singularibus, *b*/ justa de causa.

a) Dispensatio in *casu singulari* ex pontificiis documentis Codici anterioribus *negative* describi potest ea quæ fit « non cum omni multitudine, ac omnibus districtus incolis », sed quæ « conceditur personis particularibus justis occurrentibus causis » (1).

Insuper tamen videtur restringenda illa dispensatio ex parte causæ dispensationis. Et tuto dicere possumus parochum posse dispensare *in quantum existit præsens causa* dispensationis, non tamen ultra; ita ut *positive* dispensatio in casu singulari ea dicatur *quæ una eademque causa regatur*, v. g. concessa pro toto tempore unius

---

Alii tamen, prout olim s. Alphonsus (L. III, n. 1032 (2) et hodie MATTHÆUS A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, p. 284), ut probabile tenent Ordinarios et parochos partim a lege posse dispensare, et partim illam in alia opera pia commutare, quia, ut aiunt, potestas commutandi in potestate dispensandi continetur. Quæ opinio nullibi in codice reprobatur.

Attamen, etiam *secluso speciali indulto* a S. Sede accepto, dupliciter explicari potest dispositio episcoporum Belgii, qua parochis potestatem conferunt commutandi legem abstinentiæ et jejunii in alia opera pia. Primo, quia, ut vidimus, opinio saltem extrinsece probabilis tenet potestatem commutandi contineri in potestate dispensandi; deinde, quia textus: « les curés ont le pouvoir de changer ces obligations en d'autres œuvres de piété » non determinat modum quo hæc fieri possunt: utrum *directe* ratione potestatis dispensandi quæ comprehendit potestatem commutandi, an *indirecte*, sub conditione nempe ut opera quædam pia peragant.

(1) Cfr Decr. S. Offic., 17 Martii 1883 et S. C. de Prop. Fide, 2 Aug. 1781, apud *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, II, n. 1594 et I, n. 58.

ejusdemque morbi vel debilitatis, pro tali itinere, vel ratione talis officii et quousque durat (1).

b) Dispensatio debet fieri *justa de causa*. Juxta principia generalia hæc causa justa et rationabilis ad *liceitatem semper* requiritur. Cum autem parochus sit inferior legislatori hæc justa causa insuper *ad validitatem* requiritur (can. 84, § 1).

Causa debet esse *justa*, i. e. ex una parte non nimis levis, et ex alia parte non gravis vel urgens, nec a fortiori tanta ut certo aut probabiliter obligatio legis cesset, et subditus a servanda lege eximatur seu excusetur.

Insuper pro determinanda hac causa ratio habenda est gravitatis legis (c. 84). Ipsi enim recepti mores efficiunt ut alia lex severius quam alia dispensetur. Ita merito graviorem requirimus causam ad concedendam dispensationem a sacro audiendo, quam ad vacandum servilibus. Aliquando potest adesse justa causa sufficiens ad obtinendam dispensationem a tanto sed non a toto, v. g. ab operibus servilibus, aut ab audiendo sacro, non ab utroque. Imo, cum præceptum de observantia festorum sit aliquid divisibile, ita ut pro parte qua potest servari debeat, haberi potest justa causa ad concedendam dispensationem ab operibus servilibus per plures horas et non per integrum diem (2).

3° *De subjecto hujus dispensationis.*

Textus sonat: « possunt parochi... *subjectos sibi singulos fideles, singulasve familias, etiam extra territorium*, atque in suo territorio *etiam peregrinos*... dispensare ». Distinguit proinde parœcianos singillatim et in familia sumptos, et peregrinos.

Cum dispensatio sit actus jurisdictionis, *per se* solis *subditis* concedi potest. Parochi *subditus* quis fit per

---

(1) Cfr VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, II, n. 554; A. VAN HOVE, *Cursus autographus*, ad can. 81.

(2) Cfr MATTHÆUS A CORONATA, *o. c.*, p. 284.

domicilium vel quasi-domicilium intra limites parœciæ. His assimilantur *vagi* nam « proprius vagi parochus est parochus loci in quo vagus actu commoratur » (c. 94, § 2).

Non potest cum omnibus incolis totius parœciæ per modum unius dispensare; potest tamen cum « singulis familiis ». In « *familia* » comprehenduntur non tantum parentes et liberi, sed et omnes qui aliquo modo *stabili* partem hujus determinatæ familiæ constituunt, ut famuli et ancillæ (1). Nec requiritur ut membrum familiæ quod dispensationem petit agat de mandato singulorum membrorum, sed dispensatio totam familiam per modum unius attingere potest, modo causa justa adsit pro familia quatali (2).

Hac potestate in suos parœcianos parochus uti valet « *extra territorium* » ex applicatione principii generalis can. 201 statuti: « nisi aliud ex rerum natura aut ex jure constet, potestatem jurisdictionis voluntariam... quis exercere potest... extra territorium existens, aut in subditum e territorio absentem ».

Cum canon ulterius dicat: « et in suo territorio etiam *peregrinos* » certum est parochum posse, ex positiva hac juris concessione cum peregrinis dispensare, at tunc tantum ubi actu degunt in suo territorio. Hæc potestas

---

(1) Non admittimus proinde interpretationem datam a quibusdam, quatenus in « familia » etiam comprehenderentur omnes illi qui modo *transeunti* ad illam pertinent prout hospites, vel omnes cognati et amici invitati occasione alicujus festi familialis (tous les invités, parents et amis, a un repas de noce, ut ait: *Ami du Clergé*, 1924, p. 25, 432 et 635 et a. 1923, p. 582). — Posset tamen parochus cum hospitibus actu in territorio præsentibus ut peregrinis dispensare, ut patet.

(2) Posset tamen parochus dispensationem concedere pluribus simul ad unam familiam non pertinentibus, modo ille qui dispensationem petat agat nomine omnium. Casus esset v. g. agricola dispensationem petens pro omnibus operariis, quibus occasione messis pro una alterave die indiget. Cum enim tunc noverit *causam dispensationi sufficientem in singulis vere haberi*, dispensatio illa uno actu iis omnibus data fit virtualiter multiplex, quasi successive sit omnibus distributive data. Cfr Vermeersch-Creusen, *o. c.*, n. 554 et *Nederlandsche Kath. Stemmen*, 1920, p. 184.

ei conceditur ad majorem peregrinorum facilitatem, aut ne deterioris conditionis sint aut fiant quam subditi.

Duplex tamen controversia fit circa ambitum hujus potestatis quoad peregrinos: prima circa extensionem ipsius verbi « peregrini », altera circa usum dispensationis peregrino concessæ.

Quoad primam: dicunt quidam (1) parochum non posse dispensare v. g. in jejunio et abstinentia peregrinum per parœciam simpliciter transeuntem. Alii contra (2) contendunt tam commorantes, quam itinerantes communi nomine peregrinorum designari.

Huic alteri opinioni videtur omnino adhærendum, tum quia lex in definitione juridica peregrini non distinguit inter itinerantes et commorantes (3), tum quia hæc restrictio excluditur ex collatione locorum parallelorum in quibus occurrit verbum « peregrini » (4). Proinde tenemus parochum posse intra limites sui territorii dispensare in jejunio et abstinentia non tantum peregrinum, qui pro quibusdam diebus in parœcia sua degit, sed et peregrinum simpliciter transeuntem, ut puta parochianum parœciæ vicinæ, qui illuc ad dispensationem obtinendam advenit.

Quoad alteram controversiam: opinantur quidam (5) peregrinum hac dispensatione obtenta uti posse tantum eo tempore quo degit in illa parœcia; alii contra (6) affirmant dispensationem semel concessam effectum habere quamdiu duratura sit causa ob quam fuit obtenta, proinde

---

(1) *Ami du Clergé*, 4 Oct. 1923, p. 625.

(2) MATTHÆUS A CORONATA, *o. c.*, n. 276, p. 280; FANFANI, *De jure parochorum*, p. 205; GÉNICOT-SALSMANS, I, 140; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, II, 554, coll. I, 165; J. JANSSENS, dans *Nouv. Rev. Théologique*, LI, p. 48.

(3) Cfr can. 91 et J. JANSSENS, *l. c.*

(4) Cfr can. 14; can. 881, § 1; can. 927; can. 2253. Minus accurate distinctionem facit can. 1562, cum dicat: « qui peregrinus est in Urbe, *licet per breve tempus....* »

(5) Cfr D'ANNIBALE, *o. c.*, I, n. 230; FANFANI, *o. c.*, p. 205.

(6) J. JANSSENS, *art. cit.*, p. 51; aliique plures.

etiam dum degit extra parœciam ubi dispensationem obtinuit.

Hæc altera opinio præplacet, tum quia melius concordat cum principiis a Codice statutis, tum quia argumenta in contrarium adducta valore destituta videntur.

Dispensatio enim a parocho peregrino data *personalis* est, seu concessa ob rationes personales ipsi dispensato. Quia personalis ei propria est, eumque comitatur etiam postquam territorium dispensantis reliquit, nam vinculum legis fuit ablatum ab habente potestatem momento concessionis. Hoc evidens est casu quo una dispensatione solvitur vinculum legis unicum. Hoc etiam videtur admittendum casu quo una dispensatione solvitur vinculum legis multiplex seu quod renascitur, prout in lege jejunii et abstinentiæ. Tunc enim distingui potest dispensatio pro unico actu, vel in diem, vel in perpetuum (1). Dispensatio autem a parocho data peregrino ob causam actu existentem est dispensatio *in diem*, nisi expresse restringat illam ad actum unicum, et valet quamdiu perseverat hæc causa. Nam dispensatio quæ habet tractum successivum cessat vel certa ac totali cessatione causæ motivæ; vel iisdem modis quibus privilegium (2). Jamvero privilegium personale personam sequitur et nullo modo extinguitur resoluto jure concedentis nisi clausula contraria id statuatur.

Proinde, dispensatio a parocho legitime concessa peregrino per parœciam transeunti adhæret ossibus, et exstinguitur tantum exstincta ejus causa, ut itinere absoluto vel infirmitate transacta.

Huic opinioni opponitur *primo*, dispensationem quæ habet tractum successivum esse multiplicem, et cessare statim ac dispensatus subditus esse desiit; *secundo*, eam esse causam confusionis et discidii ob summam facilitatem adeundi alias parœcias (3).

---

(1) Maroto, *Institutiones juris canonici*, n. 308, p. 366; D'Annibale, *o. c.*, *l. c.*

(2) Cfr can. 86.

(3) Cfr Génicot-Salsmans, *o. c.*, I, 140.

At, primum non videtur stringens cum ex redactione canonis 1245, et fine hujus dispositionis appareat hanc potestatem parocho non esse ideo concessam, quia peregrinus per parœciam transiens fit subditus parochi. Nec alteri difficultati est attendendum, quantumvis utique his in rebus prudentia sit utendum, quia per se non apparet incongruum personam, quæ a duobus diversis superioribus dispensari potest, propter rationabilem causam ad unum potius quam ad alterum recurrere.

Conclusio: Vi canonis 1245, § 1 parochi aliique qui in jure veniunt nomine parochi, possunt dispensare in lege abstinentiæ aut jejunii, aut in utraque simul, et in lege de sacro audiendo aut de abstinendo a servilibus vel etiam in utraque simul Est potestas jurisdictionis, derivata sed ordinaria, et proinde delegabilis. Hanc exercere potest parochus intra vel extra sedem confessionalem *in* territorio suo erga *omnes*, extra territorium erga *suos;* modo agat semper ex justa causa, et hoc quidem ad validitatem, et nonnisi in casibus singularibus i. e. erga personam vel familiam (sensu explicato) determinatam, et non ultra quam exigit præsens causa. Dispensatio semel legitime concessa apud omnes, etiam peregrinos, effectum habet quousque durat causa ob quam fuit concessa.

J. Brys.

Acta SS. Congregationum.

E Supr. S. Congr. S. Officii.

AD R. D. MODERATOREM SUPREMUM SOCIETATIS PRESBYTERORUM A SANCTO SULPITIO CIRCA SUPRA RELATUM DAMNATIONIS DECRETUM (1).

EPISTOLA

Reverendissime Domine,

Iam pluribus ab annis multi conquerebantur de opere quod inscribitur « Manuel biblique ou Cours d'Ecriture Sainte à l'usage des Séminaires » a D. Vigouroux et D. Bacuez, Societatis S. Sulpitii presbyteris, primum quidem exarato, sed postmodum a D. Brassac, eiusdem Societatis sodali, funditus retractato. Ipsa Sancta Sedes iam animum ad rem converterat, quum Reverentia Tua, anno 1920, a Summo Pontifice supplicibus precibus petiit, ut totum opus Romæ examini subiiceretur eaque omnia, quæ forte inibi corrigenda essent, describerentur, ut in nova editione emendari possent. Cui petitioni, licet prorsus insolitæ, Summus Pontifex Benedictus f. m. Pp. XV benigne annuit atque huic Supremæ Congregationi volumina recognoscenda commisit.

Examine autem, pro rei momento, mature ac diligentissime peracto, manifestum apparuit opus laborare multis gravibusque vitiis, quæ illud ita pervadunt et inficiunt, ut prorsus impossibilis foret ipsius emendatio. Missis enim quamplurimis aliis erroribus, D. Brassac circa inspirationem Sacræ Scripturæ et eius inerrantiam, præsertim in rebus historicis, ubi inter substantiam narrationis et adiuncta distinguit, circa authenticitatem et

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 616 s.; vide decretum apud *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 90.

veritatem historicam plurium librorum inspiratorum, ea habet quæ decretis dogmaticis sacrorum Conciliorum Tridentini ac Vaticani ceterisque documentis magisterii ecclesiastici, ut ecce Litteris Encyclicis Leonis XIII ac Pii X, decretis S. Officii et Pontificiæ Commissionis de re biblica, necnon toti traditioni catholicæ evidenter adversantur.

Quod speciatim ad inerrantiam absolutam Sacræ Scripturæ attinet sufficiat in mentem revocare doctrinam Leonis XIII in Encyclica *Providentissimus:* « Nullatenus « toleranda est eorum ratio, qui falso arbitrantur, de « veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquiren- « dum quænam dixerit Deus, ut non magis perpendatur « quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque « integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos « recepit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto « dictante, conscripti sunt ; tantum vero abest ut divinæ « inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, « non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario « excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, « summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem « esse. Hæc est antiqua et constans fides Ecclesiæ, solemni « etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tri- « dentino ; confirmata denique atque expressius declarata « in Concilio Vaticano.... Quare nihil admodum refert, « Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam « instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem pri- « mario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi « elabi potuerit. Nam supernaturali Ipse virtute ita eos « ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus « adstitit, ut ea omnia eaque sola quæ ipse iuberet, et « recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, « et apte infallibili veritate exprimerent ; secus, non Ipse « esset auctor Sacræ Scripturæ.... Consequitur, ut qui in « locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi « contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam « divinæ inspirationis notionem pervertant aut Deum « ipsum erroris faciant auctorem ».

Eamdem doctrinam contra Modernistas defendit S. Officium damnando prop. XI in decreto *Lamentabili :* « Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam exten- « ditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore « præmuniat ».

Tandem, in decreto Pontificiæ Commissionis Biblicæ

diei 18 iunii 1915 edicitur, ex dogmate catholico de inspiratione et inerrantia Sacrarum Scripturarum consequi quod « omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, « insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinua- « tum a Spiritu Sancto ».

Falsa etiam D. Brassac utitur methodo, quum, neglecta nimis expositione positiva integræ doctrinæ catholicæ, animo specietenus indifferenti proponit ex una parte argumenta, quæ stant pro sententia traditionali, ex altera vero studiose effert rationes, quæ arte critica, quam vocant, ex indiciis internis accumulantur ad novas opiniones commendandas, quin harum rationum inefficaciam atque debilitatem verbo indicet. Et ita parvi facit monitum Leonis XIII : « Perperam et cum religionis « damno inductum est artificium, nomine honestatum « criticæ sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, « rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas « diiudicata emergant. Contra, perspicuum est, in quæ- « stionibus rei historicæ, cuiusmodi origo et conservatio « librorum, historiæ testimonia valere præ ceteris, eaque « esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda : « illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, « ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint « advocari ». Aliud etiam vetat Summus Pontifex in eadem Encyclica, scilicet ne in quæstionibus quæ ad eruditionem faciunt, « plus temporis tribuatur et operæ, « quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata « multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum plus in- « commodi afferat quam adiumenti ».

Non paucas habet Auctor interpretationes quæ sensui Ecclesiæ omnino refragantur. Lamentanda sane res, quum Concilium Tridentinum decreverit, « ut nemo, « suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum « ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, « Sacram Scripturam ad suos sensus detorquens, contra « eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater « Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpre- « tatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra « unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam « Sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi inter- « pretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ « forent ». Quam præscriptionem Patres Concilii Vaticani his verbis declararunt: « Quoniam vero quæ Sancta « Tridentina Synodus de interpretatione divinæ Scripturæ

« ad coërcenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a « quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos idem « decretum renovantes hanc illius mentem esse declara- « mus, ut in rebus fidei et morum ad ædificationem « doctrinæ christianæ pertinentium, is pro vero sensu « Sacræ Scripturæ habendus sit, quem tenuit et tenet « sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu « et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo « nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra « unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam « sacram interpretari ».

Generatim autem Auctor, licet sententias *scholæ largioris*, quas studiose proponit, non semper aperte amplectatur, ad eas tamen inclinat, et sæpius adhibet locutiones ambiguas et formulas captiosas, quæ utroque modo, tum orthodoxo tum opinionibus eiusdem *largioris scholæ* favente, intelligi possunt, immemor aureæ illius regulæ quam Pius X ab omnibus Sacram Scripturam prælegentibus stricte servari præcepit: « Doctor Sacræ Scripturæ « tradendæ sanctum habebit numquam a communi « doctrina ac traditione Ecclesiæ vel minimum discedere: « utique vera scientiæ huius incrementa, quæcumque « recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, « sed temeraria novatorum commentaria negliget; idem « eas dumtaxat quæstiones tractandas suscipiet, quarum « tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum « conducat; denique rationem magisterii sui ad eas nor- « mas diriget, prudentiæ plenas, quæ Litteris Encyclicis « *Providentissimus* continentur » (Litt. Apost. *Quoniam*, 27 martii 1906, § 13).

Nihil Auctor curat, ut parum dicamus, decisiones Pontificiæ Commissionis Biblicæ, de quibus Pius X edicit: « declaramus expresseque præcipimus universos omnes « conscientiæ obstringi officio sententiis Pontificalis « Consilii de Re Biblica, sive quæ adhuc sunt emissæ, « sive quæ posthac edentur, perinde ac Decretis Sacrarum « Congregationum, pertinentibus ad doctrinam probatis- « que a Pontifice, se subiiciendi ».

Quin D. Brassac hæc præcepta sancte servet, potius vim argumentorum quæ favent doctrinæ communiter receptæ enervat, dum e contrario fortiter difficultatibus ab adversariis allatis insistit; sæpe documenta magisterii ecclesiastici negligit vel eorum sensum ad propria placita pervertit; indolem præternaturalem vel miraculosam

plurium factorum ab hagiographis narratorum vel silentio premit vel ad minimum reducit; vaticiniis messianicis non raro omnem fere vim probandi adimit; in multis a recto tramite doctrinæ theologicæ deflectit; plus æquo tribuit auctoribus heterodoxis vel scriptoribus catholicis theoriis liberioribus imbutis, dum Leo XIII declarat, nimium dedecere « ut quis, egregiis operibus, quæ nostri « abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, hetero- « doxorum libros præoptet, ab eisque cum præsenti sanæ « doctrinæ periculo et non raro cum detrimento fidei, « explicationem locorum quærat, in quibus catholici « ingenia et labores suos iamdudum optimeque collo- « carint », nec incorruptum Sacrarum Litterarum sensum ab eis tradi posse, qui, « veræ fidei expertes, Scripturæ « non medullam attingunt, sed corticem rodunt. » Tandem quasi nihil habet quod pietatem fovere possit, ac ita spiritum, quo antiquum D. Vigouroux opus præstabat, penitus immutavit.

Quæ omnia eo graviora sunt quod agitur de « Manuali » quod in manibus versatur tot alumnorum sanctuarii, quorum institutioni Ecclesia materna cum sollicitudine invigilare debet. Ipsa enim vehementer cupit ut ii, qui in spem altaris succrescunt, reverentiam ac amorem altissimum erga Sacram Scripturam concipiant, ita ut, sacerdotio aucti et vineam Domini ingressi, experimento noscant quam sit « utilis omnis Scriptura divinitus inspirata « ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad « erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad « omne opus bonum instructus » (II *ad Tim.*, III, 16, 17).

Quare Emi ac Revmi DD. Cardinales una mecum Inquisitores Generales latum die 12 huius mensis præfati operis damnationis decretum edere sui muneris esse duxerunt, ac simul cetera nondum evulgata decimæquintæ editionis volumina operis « Manuel biblique » imprimi omnino prohibuerunt.

Hæc autem omnia SSmus Dominus Noster Pius PP. XI, suprema Sua auctoritate probata ac confirmata, tecum communicanda mandavit.

Et fausta cuncta atque felicia tibi adprecor.

Romæ, 22 decembris 1923.

R. Card. Merry del Val.

E Sacra Congr. Concilii

NAMURCEN. ET ALIARUM

Abstinentiæ (1).

Quæstio. — Litteris ad hanc Sacram Congregationem reverenter datis, exponebat nuper R. P. D. Episcopus Namurcensis, ex pontificia dispositione, in sua diœcesi, sicut in finitimis Belgii et Galliæ diœcesibus, omnino *teneri* christifideles ad abstinentiam servandam toto tempore Quadragesimæ, feria iv, loco sabbati. Cum autem controversia orta esset de peregrinis, an eodem iure tenerentur necne, ad eam rite dirimendam sententiam huius Sacri Consilii rogabat, coram quo ideo quæritur: « An, et qua die, tempore Quadragesimæ, peregrini « teneantur servare abstinentiam sabbati in locis ubi, ex « speciali dispositione Sanctæ Sedis, eadem abstinentia « debet servari feria iv ».

Animadversio. — Planum est in lege abstinentiæ distingui debere substantiam præcepti a modo quo observandum illud est in aliqua regione. Substantia præcepti, in casu, est, ut per Quadragesimam bis in hebdomada, præfinitis diebus, abstinentia servetur, eaque est lex generalis; modus vero, in casu, est, ut particulari lege hi dies præfiniantur feria iv et vi. Iamvero etiam peregrini, ad normam can. 14 § 1, 3°, tenentur observare *leges generales*, in loco ubi hæ vigent: haud itaque dubium, quin iidem et in diœcesi Namurcensi, aliisque de quibus in casu, teneantur substantia præcepti quæ ibidem plane viget; vicissim, ex n. 2° eiusdem paragraphi, peregrini non tenentur ad servandas leges *particulares* territorii in quo versantur, licet id libere possint; et ideo, in casu, per se non obligantur ad servandam abstinentiam feria iv loco sabbati, prout tenentur incolæ loci, licet id libere possint. Hinc prono fluit alveo, eos teneri quidem, præterquam feria vi, abstinere a carnibus, vel feria iv vel feria vi, prout maluerint, optione nempe eis permissa, in hoc, inter ius commune et ius particulare.

Quare, etc.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 94.

Resolutio. — In plenariis porro Comitiis S. Congregationis Concilii, habitis in Palatio Apostolico Vaticano die 9 mensis februarii, anno 1924, Emi Patres ad propositum dubium respondendum censuere: *Teneri alterutra die ad libitum, remoto tamen scandalo.*

Quam resolutionem, referente postmodum infrascripto S. C Secretario, Ssmus Dnus Noster Pius div. Provid. PP. XI approbare et confirmare dignatus est.

† Iulius, Episc. tit. Lampsacen., *Secretarius.*

Pontificia Commissio

AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS.

DUBIA

soluta in plenariis comitiis Emorum Patrum (1).

I.

De ministro confessionis (can. 883)

1° Utrum adverbium *obiter* can. 883, § 2, ita intelligendum sit, ut sacerdos rite præditus facultate, iuxta § 1 eiusdem canonis, audiendi Confessiones, possit, quoties navis in portu maneat, terram adire ibique in ecclesia vel sacello Confessiones excipere eorum, qui confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere, etiam a casibus Ordinario loci reservatis, per integrum diem, vel per integros duos vel tres dies, si tamdiu navis in portu maneat.

2° Utrum id possit per integrum diem, vel per integros duos vel tres dies dictus sacerdos, quoties ad idem iter prosequendum unam navem relinquere debeat ut alteram conscendat, si in portu hanc navem tamdiu expectare debeat.

3° Utrum in utroque casu idem possit dictus sacerdos etiam ultra triduum.

Resp.: Ad 1um et 2um *Affirmative.*

Ad 3um *Negative*, si loci Ordinarius facile adiri possit.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 114.

II.

De licentia assistendi matrimoniis (can. 1096, coll. cum cann. 465, 472-476).

1. Utrum vicarius œconomus legitime constitutus in parœcia vacante, ad normam cann. 472 et 473, possit licentiam assistendi matrimonio dare sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum.

2. Utrum id possit vicarius substitutus, de quo in can. 465, § 4, post Ordinarii approbationem, si nullam limitationem Ordinarius apposuerit.

3. Utrum vicarius parochi religiosi id possit post Ordinarii approbationem, sed ante approbationem Superioris religiosi.

4. Utrum vicarius, seu sacerdos supplens, de quo in cit. can. 465, § 5, id possit ante Ordinarii approbationem.

5. Utrum id possit vicarius adiutor parochi imparis suis muniis rite obeundis, legitime constitutus ad normam can. 475, § 1.

6. Utrum id possit vicarius cooperator, de quo in can. 476, inscio parocho.

Resp.:

Ad 1um *Affirmative.*

Ad 2um *Affirmative.*

Ad 3um *Affirmative.*

Ad 4um *Affirmative*, quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit.

Ad 5um provisum in cit. can. 475, § 2.

Ad 6um provisum in cit. can. 476, § 6.

III.

Circa assistentiam matrimoniis (can. 1096, § 1).

Utrum, ad normam can. 1096, § 1, sacerdos sit determinatus, si parochus Superiori monasterii in casu particulari declaret, se ad matrimonium proxima Dominica in ecclesia filiali celebrandum delegare aliquem sacerdotem religiosum, qui a Superiore sequentibus diebus ad Missam die Dominica ibi celebrandam deputabitur.

Resp.: *Negative.*

Fabriques d'églises.

Documents de jurisprudence administrative.

I.

VALEURS CONFIÉES PAR LES COMMUNES A LA BANQUE NATIONALE. — DÉPÔTS A DÉCOUVERT. — TITRES BÉNÉFICIANT DE CE RÉGIME. — CONDITIONS DU RETRAIT.

Circulaire ministérielle du 31 mars 1923.

Monsieur le Gouverneur,

M. le Ministre des finances me signale que des communes sollicitent fréquemment de son département l'autorisation de disposer de valeurs de toute espèce reposant sous leurs dossiers au service des dépôts à découvert à la Banque Nationale de Belgique.

Certaines de ces valeurs, acquises directement ou provenant de legs ou de donations, sont confiées par ces administrations à la Banque Nationale à la faveur d'une interprétation abusive des dispositions de l'arrêté royal du 15 octobre 1920; celui-ci n'admet, en effet, à la constitution de dépôts de l'espèce que les obligations de l'Etat pour lesquelles il n'est pas ouvert de grand-livre. Ne rentrent actuellement sous cette rubrique que les titres à 5 p. c. de l'emprunt intérieur à primes, ceux à 4 p. c. et à 5 p. c. de la Fédération des coopératives pour dommages de guerre ainsi que les bons du Trésor de toutes émissions à l'exclusion notamment des obligations émises par les villes et les communes, lesquelles d'ailleurs ne peuvent être possédées par les communes, et les établissements publics en vertu de l'article 70 de l'arrêté royal du 22 novembre 1875, portant règlement sur le service de la Dette publique.

Afin d'éviter les abus possibles, il conviendrait, Monsieur le Gouverneur, de rappeler les prescriptions susvisées à la députation permanente et aux administrations communales de votre province.

Il serait utile également de rappeler aux administrations communales qu'elles ne peuvent obtenir la restitution des valeurs déposées au service des dépôts à découvert à la Banque Nationale, ni faire procéder à l'encaissement des titres appelés au remboursement sans l'autorisation de la députation permanente, conformément au deuxième alinéa de l'arrêté royal précité du 15 octobre 1920.

Cette autorisation n'est toutefois pas requise lorsqu'il s'agit du remploi en valeurs autorisées de la contre-valeur de titres remboursables ou de l'encaissement de bons du Trésor acquis à titre de placement provisoire de l'encaisse disponible.

Je vous prie, Monsieur le Gouverneur, de bien vouloir appeler sur ces observations l'attention toute spéciale de la députation permanente et des administrations communales.

Le Ministre de l'intérieur et de l'hygiène publique,
PAUL BERRYER.

OBSERVATIONS. Cette circulaire s'adresse directement aux députations permanentes et aux administrations communales, mais, comme elle parle des établissements publics, nous croyons qu'elle est aussi applicable aux fabriques d'église.

D'après l'art. 70 de l'arrêté royal du 22 novembre 1875, et d'autres actes gouvernementaux, le trésorier des fabriques d'église ne pouvait convertir les capitaux provenant de ventes d'immeubles ou d'arbres, de remboursement de rentes, de dons ou legs, de fonds de réserve, etc., qu'en *inscriptions nominatives* de rentes sur l'État, ou en valeurs qui leur sont assimilées : annuités garanties par l'État, obligations de la société du crédit communal, obligations de la société des chemins de fer vicinaux (1).

L'arrêté royal du 15 octobre 1920 (2) autorisait les

(1) Cfr A. DE MEESTER, *La Sépulture et les Fabriques d'églises*, 1916, p. 341.
(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXI, p. 348.

établissements publics (telles les fabriques) à posséder des *obligations au porteur* des dettes consolidées de l'État pour lesquelles il n'est pas ouvert de Grand-Livre, à la condition que ces obligations soient déposées en leur nom au service des dépôts à découvert à la Banque Nationale de Belgique.

La circulaire précitée détermine quelles sont les obligations de l'État pour lesquelles il n'est pas ouvert de Grand-Livre, notamment : les titres à 5 % de l'emprunt intérieur à primes, les titres à 4 % et à 5 % de la Fédération des coopératives pour dommages de guerre, et les bons du Trésor de toutes émissions. Elle déclare ensuite que les fabriques ne peuvent pas posséder des obligations émises par les villes et les communes (1). Puis elle détermine dans quelles circonstances on ne doit pas remplir les formalités ordinaires requises pour la restitution et l'aliénation des valeurs déposées au service des dépôts à découvert à la Banque Nationale. La circulaire du 1er juin 1923 donne une explication ultérieure à ce sujet :

II.

PLACEMENT DE FONDS. — BONS DU TRÉSOR. — CONDITION DANS LESQUELLES ON PEUT EN DISPOSER. — BONS DE CAISSE DU CRÉDIT COMMUNAL.

Circulaire ministérielle du 1er juin 1923.

Monsieur le Gouverneur,

M. le Premier Ministre, Ministre des finances, signale que les dispositions de l'arrêté royal du 15 octobre 1920 visant les obligations de 5 p. c. de l'emprunt intérieur à primes acquises par les communes et les établissements publics, sont applicables non seulement aux emprunts de la Fédération des coopératives pour dommages de guerre, mais aussi aux Bons du Trésor de toutes émissions.

---

(1) L'opinion de M. de Corswarem d'après laquelle les fabriques pouvaient acheter des obligations de provinces ou de villes ne peut donc plus être soutenue ; cfr A. DE MEESTER, *o. c.*, p. 341, note 3.

Toutefois, les récépissés constatant le dépôt de ceux-ci ne doivent pas être revêtus de la mention réglementaire qui interdit d'en disposer sans l'intervention du département des finances. En effet, comme ils constituent des placements provisoires de l'encaisse disponible des communes et des établissements publics, il suffit au trésorier ou au receveur de ceux-ci d'une simple délibération des pouvoirs compétents pour leur permettre de disposer des Bons du Trésor en question.

M. le Ministre des finances croit devoir rappeler que les Bons de caisse de la Société du Crédit communal de Belgique acquis par les institutions en cause doivent être convertis en inscriptions nominatives au grand-livre de cette société et ne peuvent donc être acceptés en dépôt par le Service des dépôts à découvert de la Banque Nationale en Belgique.

Je vous saurais gré, Monsieur le Gouverneur, de bien vouloir attirer sur ce qui précède l'attention des administrations communales de votre province.

Le Ministre de l'intérieur et de l'hygiène,
PAUL BERRYER.

III.

A plusieurs reprises, Sa Grandeur Mgr l'Evêque a appelé l'attention de MM. les Curés et des supérieures de communautés religieuses sur les agissements de certains antiquaires, qui réussissent à se rendre acquéreurs, et cela presque toujours à vil prix, d'objets d'art ou de valeur historique ou archéologique appartenant aux églises et aux couvents.

En présence d'une nouvelle offensive de ces marchands peu scrupuleux, la Commission Royale des Monuments vient d'adresser à Sa Grandeur la lettre suivante :

Bruxelles, le 5 janvier 1924.

Monseigneur,

Nous avons l'honneur de vous faire connaître que des antiquaires continuent à rechercher, dans les églises de campagne, les objets d'art religieux qu'ils achètent à vil prix.

Nous vous saurions gré, Monseigneur, de vouloir bien mettre les membres du clergé en garde contre les agissements de ces mercantis et appeler spécialement leur attention sur les graves conséquences de toutes infractions aux prescriptions de l'arrêté royal du 16 août 1824 et de la circulaire de Monsieur le Ministre de Moreau d'Andoy en date du 16 avril 1887.

Veuillez agréer, Monseigneur, l'assurance de notre très haute considération.

Le Secrétaire, (Signé) HOUBART.

Le Président, (Signé) LAGASSE DE LOCHT.

OBSERVATIONS. Il sera utile avant de procéder à une aliénation d'un bien ecclésiastique de ce genre de se rappeler les formalités prescrites à ce sujet (1). En effet, non seulement MM. les Curés qui aliéneraient des objets de cette nature sans l'assentiment du Conseil de fabrique s'exposeraient à de graves désagréments de la part des autorités civiles; mais encore les prêtres et les religieuses, agissant sans l'assentiment de l'Ordinaire, encourraient des peines canoniques sévères, au cas où les objets aliénés atteigneraient une certaine valeur (can. 2347).

J. BRYS.

(1) Cfr A. DE MEESTER, *o. c.*, p. 338 et *Cod. jur. can.*, can. 534, § 1, et can. 1532 sqq.

Notæ Bibliographicæ

Cœlestinus a s. Joseph (Carm. disc.). *Tabulæ XII synopticæ Summæ theologicæ divi Thomæ* (44 × 34 cm.). Mariakerke prope Gandavum, D'Hont-D'Haenens, 1924. — Pr. 12,50 fr.

In recenti articulo de methodo in theologia morali (1), reverendissimus D. Episcopus, probata qua pollet auctoritate, scribit: « Ex his omnibus concludere licet librum manualem in scholis theologicis adhibendum, non inveniri meliorem Summa theologica divi Thomæ, rite explicata; quam cæterum ut textum adhibendam suprema sua auctoritate summi Ecclesiæ Pontifices commendarunt, et vel intra certos limites præscripserunt ». — Utilissimum itaque etiam opus perfecit R. P. Cœlestinus, collegii theologici gandavensis sui ordinis ex-magister, in hisce tabulis describendo universam theologiam, tam dogmaticam quam moralem, quam s. Thomas in sua Summa theologica pertractavit.

Pars prima Summæ, quæ agit de Deo, exhibetur in tab. I-III, respective de Deo uno, de Deo trino et de Deo creatore; pars secunda, quæ est de motu creaturæ rationalis in Deum, proponitur in tab. IV-IX, respective de divisione generali hujus materiæ, de actibus humanis, de virtutibus theologicis, de virtutibus moralis prudentiæ, fortitudinis et temperantiæ, de virtute morali justitiæ et tandem de specialibus statibus hominis; pars tertia, cum supplemento, quæ considerat Christum, nobis viam ad Deum, schematice exponitur in tab. X-XII, respective de Verbo incarnato, de sacramentis et de resurrectione.

Hisce tabulis quasi uno conspectu totum aliquem tractatum theologicum intueri licet et simul nexum inspicere, qui inter varias quæstiones inibi agitatas existit. Inde apparet quanto adjutorio opus R. P. esse possit iis omnibus, qui solidam scientiam theologicam, juxta genuinam s. Thomæ doctrinam acquirere cupiunt; multum itaque optandum est ut istæ tabulæ manibus omnium terantur.

Pesch Chr. (S. J.). *Prælectiones dogmaticæ.* T. I. *Institutiones propædeuticæ ad sacram theologiam.* Ed. 6 et 7. Frib. Brisg., Herder, 1924. — In 8, XXVI-482 p. — Pr. 15.50 fr. helv.

Brevem conspectum harum institutionum, in quibus cl. A. successive tractat de Christo legato, de Ecclesia et de locis theologicis, in recensione editionis quintæ exhibuimus (2); in hac nova editione R. P. sta-

(1) In period. *Ephemerides theol. lovan.*, I, p. 9 s., Brugis, Beyaert, 1924.
(2) *Collat. Brugen.*, XXII, p. 250 s.

tuta novi juris canonici, quibus nonnullæ quæstiones elucidantur, in usum etiam theologicum accessivit. — Dotes, quibus eminet hoc egregium opus, jam etiam laudavimus: in hisce institutionibus, traditionalem doctrinam clare expositam et valide comprobatam reperire est; controversiæ recentiores disputationi subjiciuntur et errores moderni considerationibus invictis excluduntur. Hæc rursum indicasse sufficiat ut opus R. P. Pesch omnino commendatum habeatur.

Reinstadler S. *Elementa philosophiæ scholasticæ.* Ed. 11 et 12. Frib. Brisg., Herder, 1923. — Vol. 2 in 12, XXVIII-552 et XIX-566 p. — Pr. 43,60 fr.

Jam pluries in hoc periodico (1) fuerunt celebrata merita hujus operis, universum cursum philosophicum complectentis: logicam scil. et criteriologiam, ontologiam et cosmologiam in primo volumine; anthropologiam (psychologiam), theologiam naturalem seu theodiceam, ethicam tam generalem quam specialem (individualem ac socialem) in in volumine secundo. Hæc omnia dilucide et concise, validis simul argumentis, exponuntur ac disputantur.

Opus conscriptum fuit in usum præsertim eorum qui philosophiæ incumbunt, ut ad studium sacræ theologiæ sese informent. Doctrinam itaque s. Thomæ, doctoris communis, præprimis proponendam merito censuit cl. A, neque tamen recentiores quæstiones obortas ignorat; exempli gratia sint: in cosmologia, novissima sententia de motu et spatio ab Einstein propugnata; in ethica, subversiva placita communismi et bolchevismi necnon quæstio de sociali unione gentium constituenda, juxta monita SS. Pii PP. XI in encyclica « de pace Christi in regno Christi quærenda ».

Jam usu quam plurimo hæc elementa comprobantur, quum editio nona et decima vix biennio hanc ultimam præcesserit. Non solum philosophiæ sed et theologiæ studiosis maximam utilitatem ex hisce voluminibus, typis etiam nitide excusis, haurire licebit.

H. Lamiroy.

Une journée chez les moines. 5e éd. Abbaye de Maredsous, 1922. — In 16, 144 p. — Pr. 7,50 fr.

Le beau talent littéraire de l'auteur anonyme qui tient ici la plume et le bon goût de l'artiste qui a illustré le texte de nombreuses vignettes et photogravures font de ce livre une œuvre pleine de charme. Sous ce décor la vie journalière des fils de s. Benoit, toute faite de paix, de prière, de travail, se déroule aux yeux du lecteur en un film séduisant. On sent que l'auteur a été plus qu'un simple spectateur: il a pénétré jusqu'à l'âme qui anime une journée de moine, grâce sans doute au zèle éclairé et à l'esprit religieux du Père hôtelier qui l'a piloté.

A. Legrand.

---

(1) *Collat. Brugen.*, XIII, p. 537 et XVII, p. 79.

Cocchi, G. *Commentarium in codicem juris canonici ad usum scholarum.* Lib. II. De personis. Taurinorum Augustæ, 1922. — Vol. 3 in 12, 243, 451 et 332 p. — Pr. 6.75, 11 et 8 fr.

Uti de primo volumine hujus commentarii notabamus, hoc opus eminet brevitate, claritate et vix non semper securitate propositæ doctrinæ, ita ut non parum utilitatis studentibus jus canonicum afferat. Analysis logica relativorum canonum omnibus, etiam professoribus et auctoribus, auxilio erit.

Fanfani (O.P.). *De jure parochorum ad normam codicis juris canonici.* Taurini, Marietti, 1924. — In 12, XXIII-462 p. Pr. 15 lib. ital.

Scopus hujus operis fuit omnia ad parochos spectantia e codice juris canonici excerpere, brevibus et ad praxim facientibus commentariis illustrare et in ordinem logicum colligere, ut parochi sua jura suasque obligationes prompte et secure cognoscere valeant. Quem intentum finem assecutum esse auctorem ultro libenterque fatemur. Innixus scientia juris haud communi amplaque cognitione jurisprudentiæ sacræ, R. P. Fanfani in opere suo congessit quæ in codice comprehenduntur circa parœciam, ecclesiam parœcialem, parochos, omnes partes officii parœcialis, vicarios, ecclesiarum rectores, demum cappellanos, agitando in numerosis dubiis quæstiones practici momenti, addendo formularum ad rem parœcialem spectantium pretiosam collectionem facilitatemque indicis analytici locupletissimi. Specialem laudem merentur quæ proponuntur circa residentiam parochorum, remotionem eorum ab officio, administrationem sacramentorum tum in genere tum in specie. Sit nobis venia addendi quasdam commentarii partes nimis coarctatas videri, notatim quæ pertinent ad negationem sepulturæ ecclesiasticæ et ad archivum parœciale, unam alteramve inveneri opinionem quæ sufficientibus caret argumentis, ita cum auctor defendat posse parochum delegare facultatem sibi concessam benedicendi sacram supellectilem.

Pistocchi, M. *De synodo diœcesana.* Codicis juris canonici libri II, partis I, sect. II, tituli VIII, caput III, commentarium breve. Taurini, Marietti, 1922. — In 12, 53 p. — Pr. 3,75 lib. ital.

Post quædam historica, sequitur commentarium sat completum can. 356-362 codicis juris canonici, attentis veteri jure, declarationibus romanis et interpretationibus auctorum, præsertim Benedicti XIV. Utiliter adderetur caput de modo celebrandi synodum.

Wynen, A. *Die päpstliche Diplomatie Geschichtlich und rechtlich dargestellt.* (Das Völkerrecht, 10. Heft). Freiburg-i-Br., Herder, 1922. — In 12, XVI-156 p.

L'auteur prépare un grand ouvrage sur l'activité diplomatique des Papes. Le livre que nous annonçons ici en est pour ainsi dire l'introduction historique et juridique. Nous sommes heureux d'en pouvoir louer le caractère scientifique qui s'allie à une grande clarté d'exposition. Il y est question en une série de chapitres, de la diplomatie en général et de la diplomatie religieuse en particulier, du droit des Papes de se faire représenter par des légats; de l'exercice de ce droit à travers l'histoire; du personnel de la diplomatie pontificale; du corps diplomatique accrédité auprès du Saint Siège; de l'objet et des principes de la diplomatie pontificale; de son style et de son cérémonial; de son utilité et de ses résultats.

Baur-Rieder. *Päpstliche Enzykliken und ihre Stellung zur Politik* (Schriften zur deutschen Politik, 5 Heft). Freiburg-i-Br., Herder, 1923. — In 12, 92 p.

Ce livre systématise les enseignements des grandes encycliques de Léon XIII, Pie X et Grégoire XV sur les questions fondamentales de la politique intérieure et internationale. Nous pouvons ajouter à ce dernier point de vue que Grégoire XV n'a pas seulement tracé les grandes lignes d'un programme de paix internationale, mais qu'il a condamné les atteintes portées pendant la guerre au droit naturel et au droit des gens, parmi lesquelles l'invasion de la Belgique par les Allemands a été la plus flagrante, et qu'il a également proclamé la nécessité de réparer les injustices commises. Et de cela, l'auteur ne dit mot.

Nouveau paroissien grégorien en notation grégorienne et clef de sol. Grenoble, Bureau grégorien, 22, rue du Lycée, 1923. — In 12, 8-XXXI-268-594 p. — Pr. 12 fr., relié toile.

Ce paroissien grégorien vraiment pratique et très bien imprimé présente la combinaison de la pure notation grégorienne avec la portée moderne de cinq lignes et la clef de sol. Ainsi se trouve grandement simplifiée l'étude du solfège. Ceux qui habitués au plain-chant à quatre lignes, connaissent le solfège moderne se familiariseront sans difficulté avec la notation nouvelle.

Les accidents sont réduits au strict minimum; un dièze ou un bémol. L'armature de transposition est indiquée pour l'accompagnateur et le maître de chœur.

Des épisèmes d'une seule espèce indiquent les *moræ vocis*.

Une traduction française littérale se trouve au dessous des textes latins. Des notions de chant grégorien, de psalmodie, d'exécution des chants de la messe, disposées de manière à en faire voir l'enchaînement logique, de brèves notices sur les temps de l'année liturgique, font du Paroissien un vrai manuel de la *Prière chantée*.

Il comprend: 1° Le Kyriale et la Messe des défunts avec l'Absoute; 2° les Messes des principales fêtes avec les textes des oraisons, Épîtres, Évangiles; 3° Le Psautier pour les Dimanches et le fêtes, avec vêpres entièrement notées du Dimanche, de la Vierge, du S. Sacrement, Complies et Antiennes; 4° les Antiennes, Hymnes et Versets pour toute l'année paroissiale; 5° les chants des Saluts, Confirmation, etc., contenant plus de cents pièces connues ou inédites.

Moissenet-Emmanuel. *La polyphonie sacrée*. Lyon, Janin, 1922. — In 12, 15 p. — Pr. 0,75 fr.

Excellents conseils sur l'exécution de la polyphonie classique dont la puissance expressive ne réside pas dans des nuances savamment graduées, non plus que dans des modifications du mouvement, mais dans l'activité propre à chaque partie, dans le dessin et l'organisation des voix séparées, produisant par leur ensemble l'effet voulu par le musicien créateur. Les indications fournies par les auteurs sur le timbre, la justesse et le calibre du son, sur le phrasé des périodes musicales et la superposition des consonnances sont des plus précieuses pour aborder l'exécution des chants sacrés polyphoniques.

Cantica sacra a P. Didaco Van Geyseghem, O. F. M. *concinnata*. Organum comitans. Fr. 7. — Melodia et textus. Fr. 2. Mechliniæ, Typographia Franciscana, 1922.

Illa collectio canticorum latinorum complectitur 27 cantica in honorum SS. Sacramenti et SS. Cordis Jesu, 21 in honorem B. M. V, 7 in honorem S. Joseph, 3 in honorem S. Antonii Patavini, *Adeste fideles*, *Parce Domine* et *Christus vincit*. Concinnata sunt pleraque ad 1 vocem, quædam tamen ad 2 et 3 voces. Commendantur stylo religioso, modulatione facili et suavi, comitante harmonia arte præcellenti. Cum non tantum cani possint a cantoribus aut a choro sed etiam a fidelibus, valde idonea sunt promovendæ participationi activæ populi christiani officiis sacris.

A. De Meester.

Opera ad redactionem missa (1).

L'alliance sacerdotale universelle des amis du Sacré-Cœur. Son origine, son esprit, son organisation. Turin, Marietti, 1923. — In 12, 54 p. — Pr. 2,25 fr.

Arts, J. (O. P.). *Sint Thomas, patroon der studeerende jeugd.* Veritas, Gent (1923). — In 8, 96 bl.

Astaes, C. *Vertellingen. — Uit moeders jeugd.* 2e druk. — Excelsior, Brugge, 1923. — In 8, 164 en 153 bl.

Au service de Jésus Prêtre. I. *Les voies de Dieu.* — Turin, Marietti, 1923. — In 12, 300 p. — Pr. 7 fr.

Cremers, V. (S. J.). *De verlossingsidee bij Athanasius den Groote.* Proeve eener wijsgeerig-theologische synthese. Turnhout, Brepols, (1921). — In 8, 232 bl.

Decorne, S. *Dans la chambre du malade.* (Préface de Mgr Baunard). 3e éd. Paris, Téqui, 1924. — Pr. 7 fr.

De Moreau, E. (S. J.). *Récitation du Canon de la Messe à voix basse.* Extrait de la Nouvelle revue théol., Janvier, 1924.

Les Épîtres de saint Paul, replacées dans le milieu historique des Actes des Apôtres et commentées par un moine bénédictin de la Congrégation de France. T. I (Thess., I Cor.). — Imprimerie S. Alphonse, Esschen, 1923. — In 8, 403 p.

Gezelle, C. *Zantekoorn van Guido Gezelle's dichtveld.* — Excelsior, Brugge, 1923. — In 8, 228 bl.

Id. *De Kruisweg.* Excelsior, Brugge, (1924). — In 8, 29 bl.

Kirsch, C. (S. J.). *Enchiridion fontium historiæ eccl. antiquæ.* Frib. Brisg., Herder, 1924. — In 8, XXXII-624 p. — Pr. 13,15 fr. helv.

Mothon, J. P. (O. P.). *Institutions canoniques.* Desclée, Bruges (Lille), 1924. — 3 vol. in 12, XVII-950, XIV-858, XXV-800 p. — Pr. 20 fr.

Valuy, B. (S. J.). *Le directoire du prêtre.* Paris, Téqui, 1923. — Pr. 3,50 fr.

Van den Bergh, E. (O. Præm.). *Eucharistisch Leven.* Baasrode, 1923. — In 8, 230 bl.

Verdoodt, A. *Meer geluk.* Excelsior, Brugge, 1924. — In 8, bl. 124.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc indicantur, in sequentibus fasciculis parebunt.

Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam. (1)

Tabula III.

Regnum Dei supernaturale, per peccatum turbatum, restauratur et perficitur per Verbum incarnatum Redemptorem.

Prævia.

II.

Altera tristissima scena agitur in paradiso terrestri. Audiamus narrationis libri Geneseos (2) breve commentarium.

Diabolus, princeps dæmonum, ut putamus, assumpsit corpus serpentis, animantis callidi quod tacite et perfide obrepit, instrumenti sane apti maligno spiritui; per serpentem seu in eo loquitur, quod curiositatem excitare natum erat, præsertim mulieris quam alloquitur, deceptu faciliorem quam virum, et sine periculo terroris injiciendi, cum ante lapsum dominium haberent protoparentes in omnia animantia, nec quidquam ab illis timendum. Attamen Eva facile perspexerit spiritum loqui in muto serpente, et suspicari debuit malum potius quam bonum spiritum hujusmodi instrumento uti. Nihilominus curiositati indulget et loquentem audit atque cum eo colloquitur. Primum jam, etsi non grave erratum. Quamquam habebant protoparentes in statu integro perfectum dominium suî, non tamen erant impeccabiles.

(1) Vide supra hoc tomo, pag. 97.
(2) Cap. III, 1 et sqq.

Malignus dæmon sermonem incipit insidiose interrogando: Numquid verum est Deum vobis præcepisse ut ne ab omnibus arboribus paradisi comedatis. Quod cæterum ambigue dictum. Mulier respondet explicando præceptum Domini, quo licebat de omnibus vesci, una excepta arbore scientiæ boni et mali. Jure quidem meritissimo voluit Deus hominis fidelitatem probare, priusquam eum in gratia confirmaret et postea suî visione bearet; et hoc fecit summa cum bonitate, dando positivum præceptum observatu facillimum et maxima gratitudine excipiendum atque observandum pro tot et tantis acceptis beneficiis, monendo præterea hominem expresse de gravissimis inobedientiæ sequelis.

Eva igitur explicando præceptum, jam videtur dubitare an serio excipiendæ sint divinæ comminationes: « Ne forte moriamur ». Alterum erratum gravius. Jam instat inobedientiæ peccatum.

Nunc diabolus præfracte negat eos morituros. Deumque mendacem affirmat et deceptorem invidum: « Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: et eritis sicut dii [sicut Deus], scientes bonum et malum ». Sicut Deus, ex seipsis absque præcepto aut prohibitione cognoscent quid faciendum aut vitandum sit. Profecto cognoscent bonum et malum, ast ipsi tristi experientia, peccando; quod quidem amare eis exprobrabit Deus: « Ecce Adam [i. e. homo] quasi unus ex nobis factus est [alloquitur Pater, Filium et Spiritum sanctum], sciens bonum et malum » (1).

Illa blasphematoria diaboli verba in Deum debuissent sane Evæ oculos tandem aperire, ne consentiret tentatori. Ast, ascenderat jam superbia et ambitio in cor ejus: Esse sicut Deus, et corde jam consummavit peccatum. Et en, illico integritas evanescit: « Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus et comedit ».

---

(1) *Gen.*, III, 22.

Ecce peccatum externe consummatum, cui addit peccatum scandali: « deditque viro suo, qui comedit (1). » Et sic completur quoque humani generis lapsus.

***

Sistamus hic paululum ut notemus discrimen modi agendi prioris Evæ, matris viventium secundum naturam, et novæ Evæ, beatissimæ Virginis Mariæ, matris omnium secundum gratiam.

Angelus Gabriël apparet Mariæ, quæ vocem ejus audit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Num curiositati indulgebit Maria? Num statim colloquetur cum angelo? Num verba tam blanda et laude plena superbiam vel vanitatem in corde ejus excitabunt? Minime: sibi cavet Virgo prudentissima. « Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio (2). » Non loquitur, exspectat divinam illustrationem. Prosequitur Angelus: Ne timeas, Maria: eique divinum nuntium patefacit se matrem eligi exspectati Salvatoris. Neque tunc ullus sensus vanæ gloriæ vel ambitionis in ea exsurgit, sed sui oblita unice sollicita est de honore Dei, cui virginitatem suam consecraverat; et nunc primum ad Angelum loquitur, ut cognoscat divinam voluntatem. Audito autem mysterio incarnationis Verbi, cujus mater erit et semper virgo permanebit, unico verbo cum omni summissione assensum præbet: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum ». O admiranda et celsissima virtus, quam postea in divino suo cantico « Magnificat » amplius manifestabit.

Contra superbam inobedientiam primæ Evæ stat humilis et perfecta obedientia Mariæ; contra principium lapsus humani generis, origo et initium instaurationis et

(1) *Gen.*, III, 6.
(2) *Luc.*, cap. I, quod lege totum.

salutis : statim enim cum consensu beatissimæ Virginis, Verbum caro factum est et habitavit in nobis (1). »

***

Itaque, consummato protoparentum peccato, illico infligitur pœna : morte morientur, status integritatis cum omnibus donis præternaturalibus evanescit ; quod gravius est, jam supernaturali vita, gratia sanctificante, omnibusque virtutibus et donis infusis privati, mortui sunt spiritaliter.

Præterea, cum hæc omnia a Deo concessa erant non protoparentibus ut privatis personis, sed naturæ humanæ in Adam, ut capite juridico totius generis, adeoque transmittenda cum natura ; peccatum Adæ non fuit solummodo *peccatum personale* sed *peccatum naturæ*, quod proin afficit omnes nascendo ex Adam ejusdem naturæ participes.

Hoc peccatum quod *originale* vocatur, et lingua nostra congrue *erfzonde*, peccatum hæreditarium, paucis explicandum est, vel eo opportunius quod ejus notio aliquando non recte vel non satis accurate exponitur.

Inprimis oportet distinguere *peccatum actuale* seu actum peccandi transeuntem inter et *habituale peccatum* seu statum et habitum peccati, qui est aversio a Deo, permanens donec peccatum non remittetur seu delebitur. In omni statu, etiam puræ naturæ, hujusmodi aversio habitualis a Deo post actum peccati remaneret, donec remissione non deletum foret, sed in ordine præsenti supernaturali, sicut conversio in Deum ut finem fit per dona gratiæ et virtutum, ita aversio a Deo, ut fine supernaturali ultimo ac unico, consistit in privatione illorum donorum, et hæc est peccati *macula*. Sedulo attende verbum *privatio :* non enim agitur de simplici *absentia* donorum gratiæ, quæ in ordine naturæ quoque non adfuissent, in quo homo conversus fuisset in Deum per

(1) *Joan.*, I, 14.

naturalia sua, quæ mansissent etiam in peccatore; sed nunc in præsenti ordine supernaturali, fuit *privata* natura humana donis gratiæ adeoque conversione in Deum et capacitate finem supernaturalem unicum prosequendi, quæ privatio intimam relationem dicit ad actum peccati Adæ, ut suam causam.

Ex his intelliges privationem quidem active sumptam ex parte Dei esse pœnam seu punitionem peccati, passive vero sumptam in homine, i. e. privatum esse, non tantum pœnam peccati esse sed illud constituere. Qua in re etiam attende nos privationem solorum donorum stricte supernaturalium ut formale peccatum originale constituentem indicasse, non vero, quæ etiam facta est, donorum præternaturalium, quia nempe sine his conversio est in Deum per illa, quorum solorum privatio facit aversionem a Deo (1).

Peccatum originis igitur in posteris quoque Adæ verum peccatum est, scilicet status peccati: quamquam enim peccatum esse nequit sine voluntario, et nascimur in peccato sine actu voluntatis propriæ, et quamquam etiam status peccati aliquem actum peccati præcedentem ponit, in casu actum peccaminosum Adæ, minime tamen necessario et ex natura rei actum voluntarium ipsius qui in peccati statu versatur, exigit iste status. Re quidem vera, privatio donorum supernaturalium in nobis habituale peccatum est, non quod ipsi actu peccavimus, neque quod Adam ut individua persona peccaverit: mere personalia enim ejus peccata post lapsum forte commissa ad nos non transeunt, sicuti nec cujusvis patris peccata imputantur filiis; neque tandem eo solum quod Adam stirps et pater naturalis omnium hominum est, sed quod Deus ex libero consilio statuendo supernaturalia dona concedere humanæ *naturæ* in Adam, ut cum natura per nativitatem ex ipso ad omnes posteros ejus transirent, eo

(1) Definitionem peccati originalis omni numero perfectam lege in Catechismo nostro Mechliniensi.

ipso Adam, natura stirpem et patrem omnium, in ordine morali quoque constituit caput juridicum totius generis humani. Qua talis, si in probatione stetisset, status justitiæ supernaturalis transisset cum natura ad omnes qui ex eo humanæ naturæ participes fuissent. Contra, cum lapsus sit, status peccati seu privatio justitiæ supernaturalis ad omnes posteros transiit.

Ex his intelliges quid censendum sit de effato, quod sæpe auditum et scriptum fuit: rationem nempe cur peccatum Adæ ad omnes posteros ejus transit et peccatum hæreditarium vocatur, in eo esse quod nostra voluntas continebatur in voluntate Adæ. Scilicet hoc dictum obscurum et inaccuratum vel nihil explicat, vel imo a veritate aberrat nisi cum supra dictis componatur.

Firmiter teneamus expositam doctrinam, quæ in re quæ mysterio non caret et momentosum dogma fidei constituit, quantum licet clarum et completum intellectum præbet, simulque responsum ad objectiones quas impii et ignari homines adversus hoc dogma afferunt, quibus refellendis immorari necesse non est.

Unam tamen refellere utile erit eo etiam quod profundiorem doctrinæ expositæ forte dabit intellectum.

Objiciunt nonnumquam impii hoc dogma repugnare divinis perfectionibus: nimirum justitiæ, sapientiæ et bonitati Dei, cum, ajunt, injustum, irrationabile et crudele sit ob peccatum unius omne genus humanum in exitium dejicere.

Quidam putant illos plene refelli, dicendo Deum omnino libere et gratuito supernaturalia dona concessisse Adamo ejusque posteris, sub conditione fidelitatis Adæ; conditione autem non impleta, potuisse Deum jure merito ea dona auferre. Et addunt, declarationis gratia, comparationem cum rege, qui ex mera liberalitate servum suum ad nobilitatem extollit cum jure transmissionis ad servi posteros, sub conditione fidelitatis servi. Qui si infidus fuerit, merito sibi et suis illum favorem amittit.

Atvero, unum quidem in his dictis verum est et

quadrat cum doctrina peccati originalis: scilicet Deum libere concessisse dona supernaturalia, supra exigentiam et vires et meritum naturæ; addamus, et ea proin concedere potuisse eo modo qui sibi placuerit. Reliqua vero in eodem dicto et addita comparatione nullo modo aptantur doctrinæ peccati originis.

Primo quidem, Deus ea dona ad posteros transmittenda Adamo nequaquam *sub conditione* ejus obedientiæ concessit, nec *vi cujuspiam conventionis* expressæ vel tacitæ cum Adamo, ut quidam somniarunt; sed ea concessit *absolute* absque conditione *naturæ humanæ* in Adamo, eoque ipso erant transmittenda cum natura ad posteros, ipseque Adam constitutus erat caput juridicum generis humani. Hoc fecit Deus et facere poterat Ipse solus, ut Creator et Dominus naturæ et omnipotens Arbiter suorum donorum. Decebat autem pro tanto beneficio Adamum probare qua caput juridicum generis humani, utrum nempe obediendo præcepto, cæteroquin natura sua et inspecto statu integritatis observatu facillimo, splendida dona Dei naturæ humanæ conservaret.

Si dona illa concessa fuissent sub conditione obedientiæ Adæ, juxta supra allegatum placitum, tunc transissent ad posteros, non ad modum a Deo electum quatenus naturæ humanæ concessa, sed unice dependenter ab obedientia Adæ, adeoque non fuisset, in casu inobedientiæ, proprie in posteris privatio, nec peccatum nec pœna peccati, sed accidentalis absentia donorum seu adversus casus, quemadmodum apud filios servi regis in comparatione citata, absentia nobilitatis non privatio nec pœna, ut in patre, sed solummodo infelix et adversus casus esset. Non ergo peccatum seu status peccati, nec pœna transissent, cum tamen fides expresse doceat omnes ex Adamo natos in statu peccati et damnationis nasci, ita ut omnes, etiam infantes in hoc statu e vita decedentes in æternum privandi sint beatifica Dei visione (1).

---

(1) Alias pœnas Deum non infligere iis infantibus qui sine peccato personali commisso moriuntur, sententia est sat communis theologo-

Aliud argumentum erroris in explicatione prædicta invenitur in consequentia ex ea pariter omnino erronea. Videlicet, si homo nascitur non in statu peccati et privationis vitæ supernaturalis, sed solum adverso casu absente illa vita, tum destinatio ad finem naturæ, viribus naturæ consequendum, ei remanere debet. Est autem veritas fidei certissima, homini in præsenti ordine præstitutum esse non alium finem quam supernaturalem, scilicet Dei visionem.

***

Nunc restat considerandam in causa lapsus Adami Dei judicium, quo transitus fiat ad explicandam hanc tertiam tabulam, quæ exhibebit restaurationem ordinis per peccatum turbati ejusque completionem ac perfectionem per Verbum incarnatum: sententia enim judicis justissima simul fuit, ut videbimus, et numquam satis admirandis sapientia atque bonitate ac misericordia plena.

Itaque Deus primum reos arripit ad quæstionem (1). Et primo loco Adam, in quo lapsus humani generis erat consummatus, interrogatur et respondet: « Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. » Agnoscit ergo culpam suam, sed ad vanam excusationem confugit: ex nimia indulgentia morem gessit sociæ a Deo datæ, adeoque obsequio et amore prosequendæ (2).

---

rum, eaque convenire videtur cum divina bonitate, quæ alias inferni pœnas reservat propria voluntate graviter peccantibus. Cui rei hic non est insistendum.

(1) V. de toto judicio *Gen.*, III, 9 et sqq.

(2) Multi interpretes alio modo intelligunt responsum Adæ. Culpam, ajunt, rejicit in uxorem; quod plus æquo nobis videtur dictum: culpam quidem memorat uxoris, non vero in verbis ejus apparet eum dedita opera eamdem velle accusare. Addunt porro quod pejus est Adamo: insinuat, inquiunt, Deum ipsum quodammodo in causa esse, qui talem sibi dederit sociam. Hoc autem minime admittimus: putamus Adamum simpliciter voluisse explicare quomodo lapsus sit ex nimia obsequentia erga sociam, a Deo datam adeoque cum omni bonitate tractandam, ut ut in textu diximus. Ratio nostræ interpretationis est, quia negari nequit Adamum quoque peccati sui remissionem accepisse, quod veram in eo pœnitentiam fuisse ponit. Ipsi vero tales sensus adscribere, quales

Eva deinde interrogata aperte et candide declarat veritatem : « Serpens decepit me, et comedi. »

Post quæstionem, Deus sententiam profert, primo in serpentem et diabolum qui eo usus erat. Hic erat prima peccati causa, nec interrogari debebat, quippe totus in maligno positus. Dein sententiam fert in Evam, quæ virum ad peccandum adduxerat, et tandem in Adamum, qui lapsum complevit.

Sed mirare mysterium divinorum consiliorum, et attende ad hæc : Dominus non incepit a sententia ferenda in Evam et Adam; cæterum, præcipua pœna, privatio donorum supernaturalium et præternaturalium, jam applicata erat primo Evæ personaliter — ejus enim peccatum erat personale nec transmittendum posteris, si Adam non peccasset — dein Adamo ut capiti juridico totius generis humani, cujus peccatum et ejus pœna, utpote peccatum naturæ, transire debebat ad omnes naturæ participes.

Igitur ante sententiam prolatam in protoparentes, maledicto serpente, damnat diabolum; sed eodem tempore, annuntiat futurum hominum Redemptorem, ita quidem ut, super omnia mirando consilio suæ omnipotentiæ, sapientiæ et bonitatis atque misericordissimi amoris, punitio diaboli foret salus hominum et perfectio regni supernaturalis, cui ipse diabolus inconscius cooperaturus esset.

Re quidem vera, audiamus quomodo sonat præsignis Dei sententia simul et promissio, quæ jure merito protoevangelium vocatur, utpote prima quædam et fundamentalis adumbratio et prænuntiatio evangelii, boni nuntii et historiæ Salvatoris ejusque operis gloriosi redemptionis. Sic loquitur Deus (1) : « Inimicitias ponam inter te [serpentem, diabolum] et mulierem, et semen

---

dicti interpretes, potius sinceram pœnitentiam excluderet, quod profecto non licet nec legitime ex ejus responso deducitur. Et certe nostra interpretatio non est coacta, et imo plane videtur rationabilior.

(1) *Gen.*, III, 15.

tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. »

Inimicitias: verbum hebraïcum significat odium capitale et implacabile.

Ponam, ergo a Deo ipso supernaturaliter positum odium.

Inter te (diabolum) *et* (*τὴν*) *mulierem.* Quænam est *hæc* mulier? Non alia quam Virgo Maria, quæ immaculate concepta, a primo instanti suæ existentiæ, meritis Salvatoris, immunis a culpa originali et plenitudine gratiæ ornata, ne per momentum quidem sub servitute diaboli fuit, nec unquam cum illo ullo modo communicavit, sed perfectum et implacabile odium inter eam et diabolum semper exstitit.

Et semen tuum et semen illius. Semen diaboli metaphorice significat sequaces diaboli, malignos spiritus, jure merito consortes ejus punitionis.

Semen mulieris Christus est, filius Mariæ, Salvator hominum, qui potestatem diaboli fregit. Ipse solus inter homines potest vocari semen mulieris, utpote conceptus de Spiritu sancto, sine semine virili, natus ex Maria Virgine perpetua.

Ipsa (in textu hebræo legitur *Ipse* (1), nempe filius seu semen) *conteret caput tuum*, i. e. plane confringet potestatem tuam, *et tu insidiaberis calcaneo ejus*, nempe parti inferiori seu corpori Verbi incarnati lethale vulnus infliges: dictum per figuram a serpente desumptam, qui insidiose mordet calcaneum, a quo vicissim conteritur et occiditur. Sic Satan inconscius suam ruinam præparaturus erat: Christum morti tradens, quod mortis vulnus brevi sanandum erat gloriosa resurrectione, sed quo

---

(1) Vera lectio, ait s. Hieronymus, est *Ipse* (sicut habetur in versione LXX et syriaca) et sic legebatur in pluribus antiquis manuscriptis Vulgatæ latinæ. Ignarus copista non attendens *ipse* referri ad *semen*, filium, cum « semen » neutrale peteret *ipsum*, corrigere voluit *ipse* in *ipsa*, hoc intelligendo de muliere. Cæterum illæ duæ lectiones non invicem, re ipsa, repugnant: Maria caput serpentis contrivit per Filium suum.

redimendus erat mundus. Si hoc prævidissent Satan ejusque asseclæ, si secretum consilium divinæ sapientiæ novissent « numquam, ait s. Paulus (1), Dominum gloriæ crucifixissent. »

Igitur, ut supra jam vidimus, dum angelorum lapsus irreparabilis erat, non eadem de causa hominis etsi « ineffabiliter grande peccatum », ut loquitur Augustinus, erat irremissibile. Putabat quidem diabolus de omnipotentia Dei se referre victoriam, quoniam nulla creatura Deo satisfacere poterat, sine autem satisfactione ipsi videbatur divina justitia infringi, sed et sapientia Dei obstare videbatur ne reficeret opus suum, ac si non omnia prævidisset. Atvero nequaquam decebat Deum a diabolo vinci; ignorabat hic Dei consilium summæ pietatis, triumphum divini amoris et misericordiæ, cui nec divina sapientia obstaret, cum ex præviso et statuto æterno consilio non restauraretur tantummodo turbatus ordo, sed magnifice perficeretur per incarnationem Verbi Redemptoris; nec justitia divina obesset, cum illi abundans satisfactio per eumdem Salvatorem præberetur; et natura humana lapsa, lapsa quidem manebit et pœnam subibit, sed vi meritorum Salvatoris unusquisque homo sibi hæc merita applicans gloriosius reparabitur. Sic ergo in fastigio totius ordinis seu regni Dei sistitur Verbum incarnatum, Christus Jesus, qui patenter ratio est totius operationis Dei ad extra, et ad quem omnia diriguntur ut ad finem.

Itaque cum promissione Redemptoris incipit novus quodammodo ordo in regno Dei, nempe ordo reparationis, qui ducet ad completionem et perfectionem ejusdem regni Dei in Verbo incarnato et per Ipsum. Et sic accedimus ad nostram tabulam tertiam jam explicandam, post longum ast necessarium præambulum.

† G. J., Episc. Brugen.

---

(1) 1 *Cor.*, II, 8.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis januarii propositas.

—

I.

In Matthæum, XXIII, 33-39.

Q. *Sermonis Jesu contra Pharisæos et Scribas, qui refertur apud Matthæum, XXIII, 1-39* [v. supra, pp. 138 ss.], *interpretare epilogum*, vv. 33-39.

R. Iteratis *væ* in lucem posuit Jesus quomodo Pharisæi et Scribæ ruinæ spirituali populi judaici allaborent, et jam in epilogo sui sermonis (1) sententiam pronuntiat et punitionem prædicit tum contra ipsos Pharisæos et Scribas (vv. 33-36), tum contra integram nationem judaicam, cujus civitas Jerusalem quasi locum tenens nominatur (vv. 37-39).

I. Pharisæos et Scribas — *serpentes*, insidiatores et simulatores aliisque nocivos, et *genimina viperarum*, talium patrum dignam sobolem — minatur *judicium gehennæ*, sententiam qua ad infernum damnabuntur. —

---

(1) Divisio quam in hisce vv. 33-39 introducimus in eo fundatur quod hinc vv. 33-36, inde vv. 37-39 locis omnino separatis leguntur in Evangelio Lucæ (XI, 49-51 et XIII, 34-35) et adjunctis perfecte aliis respondent. — Cæteroquin ipse textus Matthæi innuit hanc distinctionem: v. 33 alloquitur *serpentes genimina viperarum* qui post omnia præcedentia alii esse nequeunt quam Pharisæi et Scribæ, — et cum iis præcedentibus indivulse cohærent reliqua usque ad v. 36; contrà v. 37 alloquitur civitatem *Jerusalem* in eaque gentem judaicam. — Tandem, ut ex commentario apparebit, utraque parte epilogi diversa intimatur punitio, una temporalis, spiritualis altera.

Missa hac punitione futura et æterna (1), jam etiam temporalem et instantem prædicit. Implebunt enim mensuram criminum quam patres implere incœperunt (v. 32): ecce enim Christus mittet illis Apostolos aliosque ministros (2) Evangelii (v. 34[a]), quos variis modis (3) indigne tractabunt (v. 34[b]); imo, ut per acerbam ironiam dicitur, *ideo* seu in hunc quoque finem mittet ministros suos Christus ut valeant novis criminibus mensuram patrum implere, *ut* (4) nimirum nunc tandem de omnibus criminibus hucusque admissis vindictam sumere valeat: omnis sanguis justus (5), punitio omnium illorum homi-

---

(1) V. 33, qui loco parallelo *Lc.*, XI, 47 ss. deest, revera videtur interrumpere progressum logicum idearum; vv. 34 ss. enim bene cum v. 32 cohærent. — Cfr *Mt.*, III, 7.

(2) *Prophetæ, sapientes, scribæ*: tria erant nomina notissima quibus Judæi suos divinæ voluntatis nuntios designabant; eisdem et Christus suos ministros designat, — et hoc eo majori jure quod variis donis charismaticis sibi concessis hujusmodi muneribus exercendis aptissimi essent.

(3) Judæi ipsi *crucis supplicium* non inferebant; facerent tamen suis denuntiationibus coram tribunalibus ethnicorum.

(4) *Ideo* melius, ut videtur, refertur ad v. 32: Ut valeatis implere mensuram... dabo vobis occasionem quam in pravitate vestra concupiscitis. — Sane finis directus et princeps a Christo in mittendo ministros Evangelii intentus ille erat ut Judæi per illos sinerent se converti; ast novit pessimas eorum dispositiones, prævidetque eos etiamnum fore contumaces criminaque esse ad culmen impleturos. Et quidem in pœnam resistentiæ hucusque ostensæ statuit permittere hanc eorum extremam malitiam ut valeat nunc tandem punitionem inferre.

(5) Quæstionis jam a sæculis agitatæ de illo Zacharia filio Barachiæ, quomodo nimirum in hac designatione salvetur s. Scripturæ Jesuque inerrantia, varias videre est apud auctores solutiones, quarum nulla, ut videtur, certa dici potest. — Nobis quidem certum videtur Zachariam illum neque a Jesu neque ab evangelista primi evangelii — sive aramaici sive græci — fuisse intellectum sive Zachariam, patrem Joannis Baptistæ, sive eum qui fuit inter minores prophetas undecimus, sive illum Zachariam, filium alicujus Baruchi (vel Bariscaï) quem Flavius Josephus (*De bello jud.*, IV, v, 4) refert in medio templi a Zelotis circa a. 68 trucidatum, — sed eum Zachariam qui, juxta imperium regis, in atrio domus Domini lapidatus fuit, uti narratur *II Paral.*, XXIV, 20 ss. — Quod autem ille fuerit *filius Joïadæ*, dum hic apud Mt. ut filius *Barachiæ nominatur*, videtur melius posse explicari

cidiorum innocentibus illatorum (1), veniet super hanc generationem præsentem: nationem judaicam tam criminosam Deus per tot sæcula patienter sustinuit: tempus instat quo patientiæ valedicens, eamdem nationem puniturus est (2). — Hisce prædici merito autumant auctores ruinam civitati sanctæ nationique judaicæ a Romanis post breve tempus inferendam. Digna hæc erit punitio Pharisæis Scribisque aliisque ejusmodi inferenda.

II. Jam latius spectans, non Pharisæos tantum et Scribas, ast ipsam civitatem Jerusalem, in eaque ipsum populum judaicum interpellat, et amare conqueritur eos hucusque tam tenaciter restitisse omnibus tam amorosis et sollicitis conatibus ab ipso Christo pro eorum conversione spirituali tentatis (v. 37). Et pœnam horrendam pronuntiat: populus judaicus a Christo et Deo derelinquetur, a salute messianica (3), quam tam indigne reje-

---

per errorem alicujus copistæ antiquissimi, qui vel proprio marte nomen patris indebitum adjecerit, vel nomen genuinum quod aderat corruperit. Pro qua hypothesi militare videtur tum insufficientia aliarum hypotheseum quæ fuere propositæ, tum quædam, quamvis utique perpauca nec de se adeo firma indicia criticæ textualis, nimirum : Lucam loc. paral. XI, 51 nomini Zachariæ nullam adjecisse patris mentionem; Hieronymum testari: In evangelio quo utuntur Nazareni (sec. Hebræos) pro filio Barachiæ filium Joiadæ reperimus scriptum; cod. Aleph h. l. Matthæi mentionem patris omittere, etc. Cfr LAGRANGE, *Ev. selon s. Matthieu*, h. l.

(1) Crimina a majoribus admissa quasi per sua duo extrema enumerantur, cædem Abel, quæ primo loco narratur in Scriptura quam Judæi legebant, et cædem Zachariæ quæ in iisdem libris hebræis ultima narrabatur (*II Paral.*, XXIV, 20 ss.). — Cæteroquin ad utramque hanc cædem notatur sanguinem eorum ad cœlum clamasse pro vindicta. (*Gen.*, IV, 10; *II Paral.*, XXIV, 22).

(2) Hisce intelligis sensum quo præsens generatio crimina majorum luere debet, — minime ergo quasi ultra meritum proprium puniendi essent.

(3) Melius videtur vv. 38 sq. intelligere, non de eodem excidio civitatis et nationis judaicæ, sed de rejectione a salute messianica. Revera v. 37 conqueritur Jesus omnes suos conatus, sane ad populum convertendum, irritos fuisse effectos ex mala Judæorum voluntate. Nonne obvio sensu v. 38: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* intelligitur Jesum jam ab his conatibus suis cessaturum? Idem innuit v. 39a: quod Judæorum domus relinquetur deserta (v. 38) illud demonstratur

cerunt, ipsi sunt rejecti (v. 38). A modo, ab hoc tempore, jam non videbunt Christum (1), jam non erunt sicut hucusque objectum sollicitudinis illius (v. 39[a]). — Hanc tamen horrendam sententiam mitigat Jesus: veniet enim tempus, in fine nimirum mundi, in quo se ad Jesum convertent, eumque ad judicium venientem acclamabunt tamquam Messiam (2). A. VANDER HEEREN.

II.

De ideis divinis.

Q. *Quid intelligitur per rerum ideas, quæ in mente divina existunt? Explica quomodo ponere plures ideas in Deo simplicitati divinæ non repugnet.*

R. — 1/ Vox *idea* derivatur a vocabulo græco εἶδος (εἴδω = video, aspicio), quod significat primo aspectum rei visibilem seu formam aspectabilem; deinde generatim omnem formam.

Unde, uti notat s. Thomas (3), assumi potest ad significandum exemplar seu *formam exemplarem*, formam scil. ab eo cujus existit forma separatam, ad cujus imitationem aliquid constituitur et quidem ex inten-

---

exinde quod Jesum jam non videbunt: jamvero an Jesum viderant impedientem ruinam temporalem? nonne potius prædicantem et miracula patrantem?

(1) Jesus post paucos dies moriturus est et a Judæis dispariturus: ministerium ipsius, quo prædicando et miracula patrando populum judaicum ad se convertere conatus fuerat, finem accipiet, neque postea reassumetur. — Huic non obstat Apostolos aliosque ministros post ascensionem Jesu reincœpisse prædicationem evangelii apud Judæos; etenim non obstante hoc ministerio et non obstante quorumdam conversione, vere dici debet populum judaicum ut sic a salute messianica mansisse exclusum, meritoque poterit Paulus in ep. ad Rom. problema rejectionis Israël tractandum assumere.

(2) De conversione populi judaici ut sic hic agi omnino communius et merito tenent auctores: Jesum, dum iterum eum videbunt, nimirum in altero suo adventu in fine sæculorum, his verbis *Ps.* CXVII, 26: *Benedictus qui venit...*, ab omnibus Judæis qua acclamatione in honorem Messiæ habitis, acclamabunt. — De eadem hac conversione populi judaici v. *Rom.*, XI.

(3) *Quæst. disp. de verit.*, q. 3, a. 1, c. et *Sum. theol.*, I, q. 15, a. 1, c.

tione alicujus agentis sibimet finem determinantis (1).

Porro forma exemplaris potest esse vel extra vel intra agentem, sed ideam stricto sensu dicere consuevimus formam exemplarem intra agentem existentem, et intelligimus agentem per intellectum et voluntatem, ut ex ipsa ratione formæ exemplaris apparet ; forma exemplaris, quæ est idea, *in mente agentis* consistit et artifex secundum ipsam seu ad imitationem ipsius operatur.

Jamvero sicuti in mente nostra existunt ideæ rerum omnium, quas facimus aut facere intendimus, ita et in mente divina sunt formæ exemplares, secundum quas Deus facit omnia esse, quippe quum Deus sit causa omnium rerum per intellectum et voluntatem, et quidem causa, non entis in communi, sed uniuscujusque entis in singulari, ex quibus omnibus entibus distincte in quocumque tempore existentibus, resultat ordo totius universi a Deo proprie intentus (2).

Ex dictis sequitur ideas divinas presse sumptas respicere solum ea quæ fuere, sunt aut erunt et quæ *objectum scientiæ visionis* constituunt (3).

2/ Quomodo ponere *plures* ideas in Deo « divinæ simplicitati non repugnet, facile est videre, si quis consideret

---

(1) S. Thomas, *De verit.*, *l. c.*, explicat ulterius formam exemplarem ; cfr etiam *Collat. Brugen.*, IX, p. 160 s.

(2) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 15, a. 1 et 2, c. ; q. 44, a. 3, c. ; q. 47, a. 1, c. ; I-II, q. 93, a. 1, ad 1; *De verit.*, q. 3. a. 2 et a. 8, c.; *Quodlib.* IV, q. 1, a. 1 et VIII, q. 1, a. 2 ; ILLUST. AC REV. Waffelaert, *Medit. theol.*, apud *Collat. Brugen.*, IV, p. 441 s. et Van der Meersch, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 391 s., p. 322 s.

(3) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 15, a. 3, c. et ad 2 ; *De verit.*, q. 3 et a. 6, c. ; *De potentia*, q. 1, a. 5, ad 11. — Unde, quum Deus non sit operabilis, jam patet non esse loquendum de idea divina relate ad ipsum Deum, uti notat s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 15, a. 1, ad 2 et in eadem quæstione, a. 3, ad 2, observat : « eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt [objectum *scientiæ simplicis intelligentiæ*], Deus non habet practicam cognitionem, nisi in virtute tantum. Unde respectu eorum non est idea in Deo secundum quod significat exemplar, sed solum secundum quod significat rationem », seu rei similitudinem intentionalem mente excogitatam et non per voluntatem ad opus ordinatam, adeoque imperfecte dictam, sicut ulterius explanatur in *De potentia*, q. 1, a. 5, ad 11.

ideam operati esse in mente operantis sicut *quod* intelligitur ; non autem sicut species [scil. impressa] *qua* intelligitur » (1).

Deus omnia quæ intelligit, per suam essentiam, quasi per unam speciem intelligibilem, intelligit et sic unam existere ideam in Deo dicendum esset. Verum, « idea non habet rationem ejus quo primo aliquid intelligitur [seu species intelligibilis], sed habet rationem intellecti [rei scil. intellectæ] in intellectu existentis » (2) et « non est contra simplicitatem divini intellectus quod multa intelligat ; sed contra simplicitatem ejus esset, si per plures species ejus intellectus formaretur » (3).

Revera hæc omnia, quamquam multiplicia, intelligit Deus intelligendo suam essentiam « secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis » (4) ; unde ideæ divinæ « non sunt realiter aliud a divina essentia », sed sunt ipsa una essentia divina intellecta « prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode (5). H. LAMIROY.

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 15, a. 2, c.

(2) *De verit.*, q. 3, a. 2, ad 9.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 15, a. 2, c.

(4) *Ibidem* et cfr *Contra gentes*, I, 54. — Inde apparet quomodo differat scientia divina ab ideis divinis ; scientia dicitur de ipsa operatione intellectiva ; ideæ vero sunt rationes intellectæ seu rerum similitudines intentionales, quæ considerantur ut quasi terminus objectivus cognitionis divinæ, uti exponit s. THOMAS, *Sum. theol.*, I, q. 15, a. 2, c. Deinde causalitas scientiæ reducenda est ad causalitatem *efficientem* (*Sum. theol.*, I, q. 14, a. 8, c.), dum causalitas idearum reducitur ad causalitatem *formalem*, uti ex præmissis satis apparet et cfr ILLUST. AC REV. WAFFELAERT, *l. c.* et VAN DER MEERSCH, *o. c.*, n. 394, p. 323 atque *Collat. Brugen.*, IX, p. 160 s.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 44, a, 3, c. et cfr q. 15, a. 1, ad 3 necnon *De verit.*, q. 3, a. 2, c. — Non multiplicantur itaque nisi respectus unius essentiæ divinæ ad res multas ; respectus utique non in rebus sed in intellectu divino existentes (*Sum. theol.*, I, q. 15, a. 2, ad 4) ; qui respectus etiam « non causantur a rebus, sed ab intellectu divino comparante essentiam suam ad res » (ad 3) ; nihilominus « quamvis respectus intellecti a Deo sint multi, in quibus pluralitas idearum consistit, quia tamen illos omnes [respectus] per suam essentiam intelligit, intellectus ejus non est multiplex sed unus » (*De verit.*, q. 3, a. 2, ad 9).

III-IV.

De contractibus in genere VIII.

Q. *Summatim expone* a/ *quale jus acquiratur et qualis obligatio exsequendi oriatur ex contractu ;* b/ *inter quasnam personas contractus vim habeat.*

R. I/ *Contractus debite initus instar legis habetur inter contrahentes* (1). Profecto non est lex proprie dicta, cum jam ad privatam utilitatem conventiones ineantur; sed inter paciscentes contractus vim legis habere dicitur quod ad obligationem attinet exsequendi : adstringit nimirum partes sicut lex adigit subditos, nec per se fas est alteri paciscenti a conventione recedere nisi de consensu alterius (2).

In foro proinde conscientiœ, cum lex illa contractus sit stricti juris (contractus enim definitur : conventio juris stricti), jus et correlative obligatio quæ inde nascuntur pertinent profecto ad justitiam commutativam, et constituunt materiam in genere suo gravem. Species autem infima tum juris tum obligationis istius a varia specie contractuum pendet, nec hic refert inter generales hujus responsi notiones.

In foro autem externo, eadem conventio legaliter inita, seu conditiones præ se ferens a lege positiva requisitas,

---

(1) Cf. art. 1134 et 1135 Codicis civilis : « Les conventions légalement formées tiennent lieu de loi à ceux qui les ont faites. Elles ne peuvent être révoquées que de leur consentement mutuel, ou pour les causes que la loi autorise. Elles doivent être exécutées de bonne foi. — Les conventions obligent non seulement à ce qui y est exprimé, mais encore à toutes les suites que l'équité, l'usage ou la loi donnent à l'obligation d'après sa nature ».

(2) Cf. Planiol, *Droit civil*, II, n. 1167 : « Non seulement la partie ne peut pas révoquer le contrat par sa seule volonté, mais elle ne peut pas en obtenir la révocation ni même la simple modification par le juge, s'il n'y a pas quelque cause d'annulation ou de résolution prévue par la loi..... Néanmoins, il n'est pas rare de voir les tribunaux profiter des circonstances de fait pour modifier les clauses d'un contrat sous prétexte de les interpréter ».

parit obligationem juris etiam civilis, dans nempe regulariter loquendo actionem creditori contra debitorem, ad urgendam si opus fuerit exsecutionem conventorum (1). Aliquando tamen fit ut lex civilis, ob motivum boni communis, actionem deneget certis contractibus etiam legaliter initis, immutato interim manente jure naturæ: sic generatim pro contractibus ludi et sponsionis non concedit ut coram judice devictum cogat ad solvendum pactum pretium (art. 1965-1967). Quandoque etiam irritat lex solum instrumentum contractus, utpote legalibus formis destitutum (cf. exempli gratia art. 1325); unde negatio actionis sponte sequitur ob defectum probationis coram tribunali requisitæ.

II/ *Contractus est exsequendus bona fide.* Principium istud generale magni practice momenti est ad rite definiendum ambitum jurium et obligationum quæ ex contractu oriuntur. Cum enim ob multitudinem et varietatem circumstantiarum difficile sit paciscentibus omnia sic in ipso contractu explicite determinare ut nihil utilium omittatur, nihil ambiguum unquam relinquatur, oportet ut aliunde quam ex ipsis verbis id suppleri valeat quod claritati forsitan deest. Igitur non est sic intelligendum istud principium quasi solummodo significaret arcenda esse a convèntionibus dolum et fraudem injustam, quod profecto per se patet; sed ita ut doceat jam tolli sub Jure moderno antiquam Juris Romani distinctionem inter contractus stricti juris et bonæ fidei; sub qua olim distinctione conventiones prioris speciei non obligabant nisi ad strictam mensuram verborum adhibitorum. Contra, omnes nunc generatim (2) contractus dicuntur

---

(1) « Creditor potest exigere obligationis exsecutionem, duplici quidem via: vel, ut gallice dicitur, *par voie d'exécution parée,* vel per viam simplicis actionis. Prior locum habet quoad actus authenticos, qui exsecutioni possunt mandari quin opus sit ullo judicio...; posterior vero in aliis actibus, qui exsecutionem non recipiunt nisi postquam lata est judicis sententia ». CARRIÈRE, *De Contractibus*, I, n. 262.

(2) In ipso Codice civili remanent tamen quædam vestigia antiquorum contractuum *stricti juris*; cf. v. g. art. 1514.

bonæ fidei : seu per se obligant non tantum ad illa quæ expresse determinantur, sed insuper ad ea etiam quæ æquitas, usus vigentes in loco, et leges civiles imponunt in singulo casu. « Quæ æquitate (tantum) postulantur, ex *æquitate* et non ex stricta justitia servanda sunt, quia æquitas non in stricto mutuo contrahentium *jure* definiendo versatur (1).... Sed quæ *lege* aut legitima *consuetudine* ad mutua contrahentium *jura* definienda constituta fuerunt, propter *tacitum contrahentium pactum* non tantum ex justitia legali sed etiam *ex stricta justitia* servanda sunt. Etenim uterque contrahens, nisi expresse contrarium stipuletur, alterum contrahentem ad illa juris placita servanda *contractu* obligare intendit, uti ex communi hominum æstimatione et agendi ratione patet, et proinde pari modo seipsum erga alterum contrahentem *contractu* obligat. Unde illud juris principium : ea veniunt in contractibus quæ sunt juris et consuetudinis.

Qui igitur rem emit, pro solutione pretii ex stricta justitia propter tacitum contractum servare debet *tempus* solvendi *usu* definitum, nisi aliud fuerit pactum. Qui rem vendidit, ex tacito contractu et proinde ex stricta justitia emptorem *contra evictionem* præstare debet, uti *lex* illud decernit » (2).

Et hæc proinde jura illæque obligationes per se conventioni insunt Patet tamen liberum manere partibus ut *expressa clausula* aliter decernant, v. g. contra consuetudines in loco vigentes; et sane illa quæ explicite conventa sunt, ante omnia instar legis observanda veniunt (3).

---

(1) « Ainsi, le vendeur doit remettre à l'acheteur non seulement les titres de propriété de la chose vendue (quod lex imponit, art. 1165), mais encore (ex æquitate) ceux qui constateraient certaines circonstances, certains souvenirs historiques qui pourraient donner une nouvelle valeur à la chose ». THIRY, *Droit civil*, II, n. 619.

(2) MARRES, *De Justitia*, II, n. 182.

(3) Quæ obligationes vi *legis* implicite continentur in contractu, non sunt ultra mentem legislatoris extendendæ : sic obligatio civilis *præstandi damna* occasione contractus requirit sententiam judicis, adeoque deficiente formali injuria non stricte existit ante hanc senten-

Interpretatio autem ipsarum clausularum contractus, juxta intentionem partium et subjectam materiam, apte exponitur facienda in ipso Codice civili (1).

III/ *Nequit per se contractus nisi mutuo partium consensu revocari, salvis tamen causis a lege admissis.* Sane cum paciscentium mutua voluntas novam quasi legem inter illos instituerit, per se manet lex illa in vigore suo, donec mutuo consensu nova rursus lex opposita priorem dissolvat; secus enim sponte violatur jus acquisitum alterius partis, dum altera proprio marte a consilio recedit

Porro, dissoluta communi sententia conventione, liberantur quidem partes ab obligationibus nondum exsecutioni mandatis; sed ideo non semper aboletur illud omne quod jam peractum est: ut si post emptionem cujusdam agri novus dominus hypotheca gravaret hunc fundum, revocata postea venditione mutuo partium consensu maneret gravatus ager, cum relate ad novum creditorem hypothecarium contractus rescissionis esset res inter alios acta, ut infra dicetur.

Nunc autem, sufficit quandoque voluntas unius ad solvendum legitime contractum. Et hoc quidem de jure naturæ, quoties sic agendo nulla injuria infertur alteri parti: ita donatario fas est, salva profecto justitia, ut acceptum donum postea proprio motu donatori reddat; cum enim nullam obligationem strictam erga donatorem

---

tiam; nec sane intenderunt implicite contrahentes se obligare ultra leges vigentes. Insuper videndum est in certis casibus utrum *usus* non sit oppositus quominus censeantur contrahentes se tacito justitiæ contractu stricte ligare ad normam quarumdam legum. « Solent quidem homines *tacite* in contractum assumere eas conditiones, quæ in loco contractus universim assumuntur; non autem contrahentes *tacite* secundum omnes legis stipulationes contractum inire intendent eo ipso quod in foro judiciali ita fecisse *reputantur*. Et in his valet legis interpretatio consuetudinalis. Verum quidem est legem sancire quæ usus jam habet et usum mox sequi legem, ast id non semper nec statim nec in omnibus obtinet ». KEULLER, *Compendium de Justitia*, p. 3. — Vide applicationem aliquam dictorum apud ILLmum WAFFELAERT, *De Justitia*, I, n. 644 necnon cf. SALSMANS, *Rechtelijke plichtenleer*, n. 206.

(1) Cf. art. 1156-1164.

ipse susceperit, nullam proinde, solvendo contractum, injuriam committit.

Insuper de jure civili: hinc quidem prohibet lex ne contractus de regimine matrimoniali post celebratum hymen etiam mutuo consensu immutetur; hinc vero pro nonnullis conventionibus et sub certis conditionibus revocationem permittit voluntati unius partis, nempe pro contractu societatis (art. 1865-1873) et mandati (art. 2003-2010), necnon locationis absque limitatione temporis initæ (art. 1736). Hisce adde plures præterea casus a lege provisos, in quibus cum variis effectibus ad unius votum rescinditur ipso jure vel post sententiam judicis conventio, propter culpam alterius contrahentis vel propter circumstantias fortuitas: cf. art. 953 s. de revocatione donorum inter vivos; art. 1184 de conditione resolutoria inde nascente quod altera pars obligationes suas ex contractu synallagmatico non adimplet; art. 1674 de rescindibilitate venditionis immobilium ob determinatam læsionem in pretio; etc. (1).

IV/ *Contractus, per se loquendo, inter partes tantum vim habet* (cf. art. 1165), inter quas nempe lex particularis lata est. Verum, partibus assimilandæ sunt tum personæ in contractu forsan *repræsentatæ*, seu quarum nomine egit contrahens v. g. mandatarius aut tutor; tum etiam vario gradu personæ *causam habentes* paciscentium (leurs ayants cause), quæ nimirum ratione successionis vel posterioris contractus vel crediti, effectus utiles aut nocivos experiuntur conventionum ab auctore vel debitore suo initarum.

Et quidem creditoribus primum, cum tota debitoris fortuna sit ipsis quasi generale pignus crediti sui, sponte prosunt aut nocent omnes contractus hujusmodi. Quare etiam lex ipsis permittit (art. 1166) ut in casu incuriæ

---

(1) Cf. etiam legem 29 Oct. 1919 de rescindibilitate per sententiam judicis, ad unius partis petitionem, quorumdam contractuum commercialium, ob immutatas fortuito circumstantias propter bellum.

debitoris exerceant ipsius nomine actiones necessarias ad tuenda jura quæ ipse ex contractu acquisivit, exceptis tamen juribus mere personalibus seu annexis personæ ipsius (1); necnon ut in casu fraudis ab ipso commissæ (art. 1167), proprio tunc nomine actionem Paulianam instituant seu revocatoriam actuum ejus fraudulentorum et creditoribus damnosorum (2).

Quoad alios causam habentes (cf. art. 1122), distinguendum est inter illos qui universaliter aut titulo universali succedunt paciscentibus, et illos quibus titulo particulari tantum transmittantur eorum jura sive obligationes. Primi quidem omnibus juribus necnon obligationibus

---

(1) « La seule chose permise aux créanciers (vi art. 1166) est donc une poursuite dirigée par eux contre un tiers, en exerçant, sous la forme d'une action, un droit appartenant à leur débiteur. On suppose que le débiteur aurait une action à exercer (une créance à recouvrer, un bien à revendiquer, un rapport à succession ou une réduction à demander contre un donataire, une indemnité à obtenir pour un préjudice subi, etc.); on suppose, en outre, que cette action est en danger de se perdre, soit par l'effet de la prescription, soit par la déconfiture prochaine de celui qui en est tenu, et que le débiteur, muni de cette action, ne l'exerce pas et va la laisser périr; ses créanciers agiront à sa place et exerceront son droit *de son chef* ». PLANIOL, *o. c*, n. 282.

(2) « Tout acte qui a pour résultat l'appauvrissement du débiteur peut donner lieu à l'action révocatoire. Le plus souvent, l'action est dirigée contre une *aliénation* (vente, donation, etc.) par laquelle le débiteur a cherché à faire disparaître son actif.... Mais il faut se garder de croire que l'action Paulinienne ne sert que contre les aliénations frauduleuses. On doit au contraire généraliser: un acte juridique quelconque, s'il est frauduleux (ex. gr. repudiatio cujusdam successionis aut legati, a debitore conscio damni quod sic creditoribus infert), peut être attaqué par cette voie quand il a appauvri le débiteur, sauf l'exception unique qui va être indiquée (à savoir le payement intégral de dettes non commerciales, fait par un débiteur insolvable à l'un des créanciers au détriment des autres). » PLANIOL, *o. c.*, n. 305. — Nota *fraudulentos* dici actus debitoris hujusmodi, quoties nocumentum inde pro creditoribus secuturum debitor perspexit, quamvis forte intentionem formaliter nocendi non habuerit. Creditores vero coram judice demonstrare debent tum proprium sibi nocumentum inde accidisse, tum debitorem dicto modo fraudulenter egisse; et hoc sufficit si agatur de actu seu contractu gratuito revocando. Quodsi de contractu oneroso hujusmodi agatur, demonstrent oportet utrumque contrahentem egisse fraudulenter.

auctoris ex contractu ortis per se succedunt; nisi tamen aliter in conventione fuerit explicite actum vel implicite dispositum ex ipsa ejus natura: sic contractus locationis domus, patre mortuo, ad filios sponte transit, nisi expresse aliter fuerit dispositum a paciscentibus; contra contractus laboris cum patre initus nequit transmitti ad heredes, attenta natura conventionis. Vide alia exempla in art. 617, 625, 1514, 1795, 1865, 2003.

Reliqui vero causam habentes, nempe particulares, ut puta legatarii particulares, donatarii, emptores etc. non transeunt in *jura* e contractu auctoris orta, nisi ipsis ab auctore expresse transmittantur vel rei transmissæ annexa sint; nec magis in *obligationes* transeunt e contractu auctoris ortas, nisi rursus ipsi rei annexæ sint (cogita legatum domus hypotheca gravatæ), vel etiam nisi hoc onus ipsis explicite fuerit impositum: sic donator potest donatario debita sua expresse transmittere solvenda (cf. art. 945), modo utique creditores etiam in hanc clausulam consentiant (1).

Denique, relate ad ceteras personas omnes, contractus inter partes a fortiori ipsas non tangunt, cum sint res inter alios actæ. Generatim tamen dico: quia et hic ab ipsa lege excipiuntur plures casus in quibus *prodesse* possunt tertio: ut casus stipulationis pro alio legaliter factæ (art. 1121), puta si domum meam Titio donem ea conditione ut ipsam gratis locet Petro; pariter casus substitutionis permissæ (art. 897-899), necnon casus novationis aut condonationis quoad debitores in solidum vel fidejussores (art. 1281 et 1287).

---

(1) « Obligationes susceptæ in alium *contractu* transferri non possunt, nisi consentiente creditore, quia illius quam maxime interest a quonam res ex contractu illi debeatur ». MARRES, *o. c.*, n. 180. Insuper, regulæ de non transmissione obligationum causam habentibus titulo particulari exceptio datur ex art. 1743 casu locatoris qui domum locatam tertio vendit; etenim lex imponit tunc emptori *obligationem* qua locator erga locatarium tenebitur, ita ut non possit emptor locatarium expellere ante finitam locationem, nisi oppositum in contractu locationis fuerit explicite cautum.

Tandem, casu foricessionis, si major pars creditorum debitori concedat concordatum, ut aiunt (cf. art. 512 Cod. comm., et Legem 29 Junii 1887): illa conventio vim habet etiam erga reliquos creditores omnes, et sic ipsis vi legis *nocere* potest. E. HOSTEN.

V.

De hæreticis relate ad leges ecclesiasticas.

Q. *An hæretici tenentur legibus Ecclesiæ?*

R. Quæstio hæc, ut olim inde a pseudo-reformatione apud AA. erat agitata, non ex professo in Codice solvitur. Variis tamen in canonibus quædam habentur quæ ad solutionem faciunt, ita ut merito de novo doctrina hucusque proposita examinetur.

Ut igitur certo ab incertis sejungamus, quæstioni propositæ respondemus ut sequitur:

I/ Nullum est dubium quin hæretici aliique acatholici baptizati *per se* teneantur legibus Ecclesiæ (1).

Ecclesia enim potest et generatim vult hæreticos suis legibus ligare, non tantum pure præceptivis sed etiam pœnalibus et irritantibus. Quod *posset* ex eo liquet, quod in hæreticis perdurat fundamentum subjectionis, nempe character baptismalis. Etenim: « baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum juribus et *officiis*, nisi ad jura quod attinet, obstet obex, ecclesiasticæ communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura ». Ita canon 87; ex quo etiam apparret *officia* seu obligationes posse subsistere,

(1) In medio-ævo hæresis tanquam crimen ab utraque potestate erat castigata; sed exorta pseudo-reformatione mox sectæ hæreticæ multis in locis pleno jure civili erant receptæ, imo, vi famosi principii « cujus regio illius religio », integræ nationes ita a religione defecerunt ut Ecclesia illas vix attingere potuerit. Tunc orta est quæstio utrum de facto Ecclesia adhuc erga hæreticos hujusmodi regionum suam jurisdictionem exercere voluerit.

quando jura cessant, qui casus pro hæreticis verificatur. Hæretici enim ut *membra* Ecclesiæ non habentur, quippe qui segregati sint ab unitate fidei et confessionis catholicæ, ideoque priventur communione sacramentorum et bonorum spiritualium; sed latius patet notio subditi quam membri Ecclesiæ : hæretici subditi manent, obstricti *officiis*, quamvis juribus membri, obstante obice, priventur (1).

Quod Ecclesia velit hæreticos manere subjectos suis legibus liquet tum ex jure superiore (2), tum ex jure novo (3) notatim ex textu canonis 12, qui principium generale ponit, necnon ex ipsis canonibus quibus hæretici eximuntur a quibusdam obligationibus (vide infra), nam exceptio firmat regulam in iis quæ non excipiuntur.

II/ At, in tuto posito principio de subjectione hæreticorum legibus ecclesiasticis atque vindicata generali hujus principii applicatione, oritur quæstio : utrum Ecclesia velit *semper* hæreticos obligare. Jamvero hic :

1°) Imprimis certum est hæreticos exemptos esse a quibusdam legibus, quatenus vel expresse dispensantur vel quosdam actus ponere prohibentur a quibusdam legibus præscriptos (4).

Ita decretum S. C. C. *Ne Temere*, 2 Aug. 1907, exemit ab impedimento clandestinitatis « acatholicos sive baptizatos sive non baptizatos, si inter se contrahunt ». Quod principium a Codice confirmatum est, hoc tamen cauto quod non extendatur ad illos qui in catholica Ecclesia

---

(1) Cfr Lamiroy, *De membris Ecclesiæ*, apud *Collat. Brugen.*, t. XXIII p. 114 s. Vanden Berghe, *De Legibus*, 1904², n° 105.

(2) Cfr textus allatos apud Vanden Berghe, *l. c.*

(3) Cfr can. 167, § 1, n. 4 ; c. 731, § 2 ; c. 765. n. 2 ; c. 795, n. 2 ; c. 985, n. 1 ; c. 1240, § 1, n. 1 ; c. 2314.

(4) Nonnulli tamen olim DD. inter quos Schmalzgrueber et Laymann tanquam satis probabilem habuerunt sententiam tenentem hæreticos Germaniæ, ex tacita concessione Ecclesiæ vel saltem ex consuetudine, in re matrimoniali a legibus ecclesiasticis exemptos esse. Cfr De Becker, *De sponsalibus et Matrimonio*, 1903², p. 34.

baptizati vel ad eam conversi ab eadem postea defecerint (c. 1099). Itêm eximuntur hæretici, extra Ecclesiam catholicam baptizati et ad eandem nondum conversi, ab impedimento disparitatis cultus (c. 1070). Neque tenentur saltem directe, lege annuæ confessionis et communionis paschalis, nam « vetitum est sacramenta Ecclesiæ ministrare hæreticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus rejectis, Ecclesiæ reconciliati fuerint » (c. 731, § 2).

2° Utrum vero extra prædictos casus, hæretici eximantur à quibusdam legibus ecclesiasticis, eo quod serio conjici potest Ecclesiam ipsos obligare non intendisse, controvertitur. Controversia tamen nunc, post Codicem, aliquatenus restringitur. Ita :

a/ Quæstio non movetur de iis, qui recenti apostasia ad castra acatholica transierunt vel incredulitatem professi sunt, de iis nempe hæreticis vel schismaticis qui in Ecclesia catholica nati et educati vel ad ipsam conversi, postea personali delicto ab ea defecerunt. Sane hujusmodi ex rebellione sua beneficium exemptionis reportare non possunt. Cæteroquin patet Ecclesiam recenter apostatas obligatos velle, siquidem illos excludit a privilegio generalis exemptionis a forma matrimonii expresse statutæ in can. 1099, § 2, pro acatholicis inter se contrahentibus.

b/ Etiam extra controversiam ponuntur leges de matrimonii forma et conditionibus. Jam vidimus duplicem hic haberi expressam exceptionem ; sed quia hæ exceptiones tam accuratim statuuntur, ideo clare patet alias leges ligare hæreticos. At largior etiam conclusio hic sumi potest et, cum sententia ante codicem jam communiori, tanquam certum haberi : hæreticos teneri omnibus illis legibus quæ directe tendunt ad societatis christianæ incolumitatem et ordinem publicum tuendum (1).

c/ Sed quid de legibus, quæ non directe tendunt ad

(1) Cfr VANDEN BERGHE, *o. c.*, p. 97 et AA. ibi citatos.

ordinem publicum tuendum sed potius sanctificationem singularum personarum immediate intendunt, ut v. gr. sunt præcepta et prohibitiones de observatione festorum, de jejunio, de abstinentia, de libris edendis et legendis, etc.

Multi recentiores AA. docebant ante Codicem et adhuc docent hæreticos illis legibus non teneri *ex dispensatione quadam generali, rationabiliter præsumpta.* « Non est præsumendum, ait Cavagnis (1), Ecclesiam velle hæreticos et alios heterodoxos (natos et educatos in heterodoxia), obligare ad suas leges cum certa prævisione transgressionis absque necessitate aliqua (etenim esset occasionem præbere multiplicandis peccatis, quod etsi liceat ex gravi causa, non licet ex charitate absque ea), hinc communiter et cum veritate respondetur huic quæstioni Ecclesiam non urgere leges suas quando diriguntur primario ad sanctificationem individui ».

Sed contra hanc sententiam est, quod neque in jure superiori, neque in codice ullum indicium positivum hujusmodi de obligationis invenitur. Imo mentem Ecclesiæ potius contrariam esse non immerito eruitur ex canone 87, supra allato, nec non ex can. 12 qui nullam distinctionem inducit quoad obligationem omnium baptizatorum. Motivum autem quo innititur sententia benignior, non videtur stringens: generalis enim dispensatio non est necessaria ad parcendum multis peccatis; ignorantia enim seu persuasione immunitatis excusantur a formali peccato non ii tantum qui bona fide sectæ hæreticæ adhærent, sed etiam, saltem per se, alii qui dubia vel mala fide in secta acatholica permanent.

His igitur omnibus perpensis præferenda videtur sententia quæ tenet hæreticos aliosque acatholicos baptizatos, salva positiva exemptione, legibus Ecclesiæ teneri (2). Sententia tamen benignior, siquidem non fuit

---

(1) *Institutiones Juris publici ecclesiastici*, 1898[3], n. 564.

(2) Ita merito R. P. VERMEERSCH S. J. in sua *Theologia Fundamentali*, 1922, n. 280 necnon in *Epitome Juris Can.* t. I, 1924[2] A. VAN HOVE, *in cursu autographo* ad can. 12.

à Codice expresse reprobata et a probatis auctoribus adhuc nunc sustinetur (1), probabilitate non caret; eam in praxi admitti posse censemus (2).

R. De Schepper.

VI.

Quid sit Titularis et Patronus.

Q. *Quid intelligitur nomine* Titularis ecclesiæ *et quid nomine* Patroni loci?

I. Titularis seu — ut sæpius dicitur in rubricis — Titulus ecclesiæ is est sub cujus nomine et invocatione ecclesia (vel oratorium) fuit fundata et benedicta aut consecrata.

1. Solebant antiqui Romani frontem domus suæ munire lapide qui inscriptum habebat fundatoris aut possessoris nomen. Qui *titulus* — ita enim vocabatur lapis — exhibebat et possessionis signum et ipsius domus nomen (3). Sæculo III et præsertim IV et V domus hujusmodi nonnullæ transierunt in dominium ecclesiasticum: in eis residebat clerus animarum ministerio addictus, ita tamen ut domus pars præcipua converteretur in ecclesiam, quæ

---

(1) Notatim a Génicot-Salsmans, *Theol. Mor.*, 1919 n.94 et a Maroto, *Institutiones Juris canon.*, 1919, t. I, n. 196.

(2) Ideoque in praxi, ex doctrina probabili, licebit habere hæreticos exemptos ab obligatione confitendi transgressiones præceptorum Ecclesiæ circa observationem festorum, jejunium, abstinentiam etc. atque catholicis permittitur cooperatio cum hæreticis in infringendis his præceptis. Omnes tamen patroni benignioris sententiæ monent esse catholicis vetitum ut acatholicos ad agendum contra legem inducant, violationem suadendo vel injungendo. Cfr Noldin, *De principiis Theol. Mor.*, 1922, t. I, n. 147.

Sed in altera sententia, quam amplectimur, praxis non erit ita differens. « Cum acatholicis, ait P. Vermeersch, *l. c.*, quorum matrimonium invalidum esse norint propter impedimentum juris ecclesiastici, tanquam cum putativis conjugibus, in regionibus ubi acatholici omni jure civili fruuntur, catholici agent; ac facile præstabunt quæ hæretici cupiant contra legem positivam ab ipsis ignoratam, eos tamen ad violanda ista præcepta non inducent ».

(3) Ad hunc usum pulcherrime contra Donatistas alludit S. Augustinus, *Enarrat. in Psalmos*, in Ps. XXI, Enarr. II, 31.

servato titulo antiquo denominari solebat, v. g. titulus Cæciliæ, Pudentis, Equitii. A sæculo autem quinto et sexto, ab translatas eodem reliquias alicujus Sancti aut ob specialem eidem ibi exhibitum cultum, antiquæ denominationi substitutum est nomen Sancti præfati; inde dicebatur: titulus (vel ecclesia) S. Cæciliæ, S. Pudentianæ, S. Silvestri. Et invaluit usus, qui in legem transiit, ut singulæ ecclesiæ novæ fundarentur et dedicarentur sub nomine et invocatione alicujus Sancti vel Mysterii ibidem speciali cultu recolendi: ecclesia dicebatur dicata *Titulo* seu *Titulari* « in cujus honorem ac nomen erat fundata » (1).

2. Hodierno jure, unaquæque *ecclesia* « vel sollemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui dedicanda » est (can. 1165). Ad oratoria vero quod attinet: *publica* (can. 1188) ad publicum Dei cultum perpetuo per benedictionem solemnem vel consecrationem dedicanda sunt (can. 1191, § 2 et dec. n. 4025, 2); *privata seu domestica* (can. 1188) « nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum » (can 1196, § 1); *semi-publica* tandem consecrari vel solemniter benedici non debent (can. 1196, § 2), sed solemni benedictione dedicari possunt, ut apparet ex decr. gen. 4025, 5 (cf. n. 4110), dummodo ita sint constituta ut ad cultum Dei perpetuo destinentur, destinatione non immutanda.

3. « Unaquæque ecclesia consecrata vel benedicta *suum habeat titulum*, qui peracta ecclesiæ dedicatione mutari nequit (2) » (can. 1168, § 1). Et idem valet de quovis oratorio saltem solemniter benedicto.

Jus est Episcopi eligere ecclesiæ Titularem (decr. 3296, 1). Titularis designatur jam in benedictione pri-

---

(1) Cf. J. P. Kirsch, *Die römischen Titelkirchen im Altertum*, Paderborn, 1918, p. 3.

(2) Manet idem Titularis quoadusque ecclesia non amiserit suam benedictionem aut consecrationem (n. 2853). Si autem ecclesia fuerit diruta quoad majorem saltem partem vel ab Ordinario ad usus profanos redacta (can. 1170), in nova benedictione aut consecratione novus Titularis assignari potest (nn. 402; 2453).

marii lapidis, sed proprie constituitur tantum in solemni benedictione vel consecratione (1). Si ecclesia prius benedicta postea consecretur, potest Episcopus in actu consecrationis priori Titulari novum non substituere sed adjungere. Postea autem hujusmodi additio fieri nequit nisi obtenta auctoritate S. Sedis (nn. 2619, 3; 2853).

Unde *plures* constitui possunt Titulares (n. 3417) unico aut pluribus actibus. Omnes sunt æque principales.

4. Constitutio Titularis, ut ex notione patet, ordinatur ad cultum publicum ipsi exhibendum. In Titularem igitur eligi potest is qui cultu publico in Ecclesia dignus habetur: SS. Trinitas aut una ex personis divinis aut Christus prout colitur in mysteriis vel in rebus sacris ad ipsum pertinentibus v. g. SS. Corde, Sanguine, cruce, clavibus, etc.; B. Maria Virgo sub multiplici invocatione; Angeli omnes aut quos singulos Ecclesia veneratur; Sancti quotquot in Martyrologio vel in supplemento diœceseos aut Ordinis reperiuntur (n. 3876, 5). Sed « ecclesiæ dedicari Beatis nequeunt sine Sedis apostolicæ indulto » (can. 1168, 3; cf. nn. 2353; 2809).

II. **Patronus loci** sensu liturgico est ille Sanctus qui, sive usu a majoribus accepto, sive legitima facta electione, ab universo clero et populo alicujus loci colitur ut specialis apud Deum intercessor in necessitatibus opem ferat.

1. Jam in *Martyrio S. Polycarpi* a. 155 legimus: « Martyres tanquam Domini discipulos et imitatores merito diligimus propter eximiam eorum erga regem et magistrum suum benevolentiam » (c. XVII, 3). Ex antiquis inscriptionibus permultis novimus fideles se suosque et sua « commendasse » Sanctis ut se « in mente haberent » et a Deo « peterent » sibi suisque omnimoda bona (2). Assumebant in baptismate nomina Sanctorum inter alia

(1) In trium horum benedictionum orationibus et Litaniis nominatur et invocatur Titularis.

(2) P. DÖRFLER, *Die Anfänge der Heiligenverehrung*. München, 1913, p. 105 ss.

motiva « ut cum fiducia coram Deo apparere possent » et « securitatem ac patrocinium obtinerent » (1).

Pari modo fidelium communitates, civitates, oppida, pagi, inter cœlicolas in singularem sibi solebant constituere Sanctum determinatum (aut plures), qui v. g. regionis fuerat apostolus, cujus possidebant reliquias, quem speciali cultu prosequebantur aut cui dicata erat ecclesia princeps. « Unaquæque civitas credebat in suis Sanctis se habere custodes et patronos et in eorum corporum possessione potentissimum præsidium contra belli pericula (2).

2. Ita fere ubique locorum constituti sunt et solemni festo celebrati (3) quos liturgice vocamus *patronos loci*. Quo nomine *loci* venire potest regnum, provincia, civitas, oppidum aut pagus, aut diœcesis, cum respectivo territorio et incolis.

Sicut plures erant tituli ob quos eligebantur patroni, sic etiam erant varii honorum gradus et ritus quibus colebantur. Unde generatim, quando plures erant patroni, solebat tamen unus (vel duo qui eadem die simul colebantur), ut patronus *principalis* eminere inter ceteros qui erant patroni *secundarii*. Priori soli competit cultus liturgicus patrono proprius.

3. Ad constituendos locorum patronos nulla olim erat præscripta forma determinata: unde multi sunt quorum tantum ex traditione nomen novimus et cultum patronalem. His in possessione manentibus, jussit tandem, Urbanus VIII, decreto generali S. R. C. 23 mart. 1630 (n. 526), ut deinceps patroni vere non constituerentur

---

(1) S. Chrysostomus, *In Genes. hom.* 21, 3; Theodoretus, *De græc. affect. curat.* sermo 8, citati ap. Thalhofer-Eisenhofer, *Handbuch der Kathol. Liturgik*, § 50.

(2) P. Dörfler, *o. c.*, p. 130. Sic scribit S. Victricius, *De laude Sanctorum*. (MPL, XX, 443-458): « Curat Ephesi Joannes Evangelista, curat Bononiæ Proculus, curat Placentiæ Antoninus ». Cf. S. Leo Magnus, *Sermo* 82, c. 7 (MPL, LIV, 428), de patrocinio S. Petri.

(3) *Micrologus*, c. 43.

nisi electione, et iis quidem conditionibus ut *a*) nonnisi Sancti canonizati eligerentur ; *b*) ut electio fieret a populo, mediante consilio generali per vota secreta, accedente consensu episcopi et cleri ; *c*) ut electio approbaretur a S. Rit. Congregatione.

4. In hac materia solet apud auctores tam antiquos quam modernos etiam optimæ notæ e. g. De Herdt, magnam occurrere confusionem, cujus vestigia non desunt etiam in dubiis a S. R. C. solutis. Luculenter tamen ostendit P. Piacenza (1) nec nomine nec re confundi posse Titularem ecclesiæ et Patronum loci, inter quos *non unum intercedit discrimen.*

1° Diversimode, ut vidimus, constituuntur.

2° Quum Patronus loci eligatur ut causam nostram agat apud Deum, apparet non ipsum Deum sed Sanctum vel Angelum utpote Deo inferiorem posse in Patronum eligi. Quæ restrictio ut patet non valet pro Titulari ecclesiæ.

3° Patronus loci directe respicit locum seu territorium cum incolis suæ protectioni commissum sine respectu ad quamvis ecclesiam. Titularis autem directe respicit ecclesiam. Manet ergo Patronus loci etiamsi novæ in territorio erigantur ecclesiæ aut parochiæ.

C. Callewaert.

(1) *De officio divino*, cap. XXXIV, Romæ, 1909.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis februarii propositas.

—

I.

In Matthæum, XXVI, 6-13.

Q. *Interpretare narrationem s. Matthæi (XXVI, 6-13) de unctione Jesu in Bethania.*

R. Tamquam indubium hîc assumimus quod infra (1) latius demonstrabitur unam eamdemque esse unctionem quæ refertur hinc apud *Mt.*, l. c. et *Mc.*, XIV, 3-9, hinc apud *Jo.*, XII, 1-8; — contrà hanc unctionem esse omnino distinguendam ab ea quæ refertur apud *Lc.*, VII, 36-50. — Unde narrationum parallelarum quales apud *Mc.* et apud *Jo.* occurrunt, ad intelligendum *Mt.* eumque complendum, ratio habenda erit.

Tempus indicatur a *Jo.*: ante sex dies Paschæ, i. e. *sex dies ante Pascha*, illudque pridie, die ergo sabbati, ante ingressum triumphalem in Jerusalem (cfr *Jo.*, vv. 1 et 12). *Mt.* et *Mc.* tempus explicite non indicant; dicunt enim formula omnino indeterminata: « *Cum Jesus esset in Bethania* », adeoque non obstant quominus admittatur tempus a *Jo.* notatum ex memoria personali factorum et accuratione chronologica, imo forte, ut sæpius facit, ex scopo ne quis synopticorum relationem male intelligeret. Quod autem *Mt.* et *Mc.* unctionem hanc narraverint postquam retulerant Jesum biduo ante Pascha passionem et mortem suam prædixisse, minime demonstrat eos intendisse affirmare unctionem illam infra hoc biduum

(1) Vide responsum ad Iam qu. in proximo fasciculo.

contigisse; sæpius enim fit eos in ordinanda variorum factorum narratione, non ordini chronologico, sed potius logico inhæsisse; porro in casu optimam habebant rationem narrationem unctionis, utpote quæ tam manifeste alludebat ad instantem mortem et sepulturam Jesu, prædictioni Jesu in vv. præcedentibus relatæ adjungendi (1).

Locum habet unctio *Bethaniæ*, prope Jerusalem, ubi Lazarus fuerat mortuus quem suscitavit Jesus, — *in domo* alicujus *Simonis* (2) — quod nomen valde frequens erat, et ideo addit *Mt.*: — *leprosi:* cognomen illud acceperit ob lepram qua unus alterve ex suis majoribus, vel probabilius qua ipse olim laboraverat, et a qua nunc (forte per Jesum) sanatus existebat (3).

Mulier quædam accedit ad Jesum, quam ex *Jo.* novimus esse *Mariam*, sororem Lazari. — Habet *alabastrum* unguenti, i. e. vasculum unguentarium, cum collo longo et angusto, confectum ex alabastrite lapide, vel potius ex onyce orientali quod vulgo alabastrum vocabatur. — *Unguentum* istud ne cogitetur pingue et oleosum, quod maculasset corpus et vestes, sed liquidum potius, tenue et fluidum, ad modum nostrarum aquarum odoriferarum. — *Pretiosum* erat: erat enim *nardus* (*Mc. Jo.*), expressum nempe ex planta quadam aromatica ex India et magni pretii ab antiquis æstimatum: ipse Judas illud æstimabit plus quam trecentis denariis (*Mc. Jo.*); et quidem erat nardus *pisticus (Jo. Mc.)*, i. e. genuinus, purus, non adulteratus (4).

---

(1) Nec aliquid objici potest ex eo quod sequens narratio a *Mt.*, v. 14, introducitur: *Tunc* abiit unus de duodecim..; hæc enim narratio manifeste cum vv. 1-5 cohæret.

(2) Simon ille fuerit juxta traditionem quamdam antiquam pater Lazari, — juxta aliam vir Marthæ.

(3) Cœnam non fuisse paratam in domo Lazari, Joannes non explicite quidem dicit, sed manifeste supponit: notat enim Lazarum esse unum ex discumbentibus cum Jesu, quod supervacaneum esset dicere si in domo Lazari ageretur.

(4) Pisticus, gr. πιστικός a πίστις: Hæc interpretatio aliis probabilior videtur. — Quod habet *Mc.* v. 3: *Spicati* (Vulg.), græce idem est vocabulum πιστικός.

Mulier unguentum *effundit super caput Jesu*, aiunt *Mt.* et *Mc.*; — *super pedes ejus*, ait *Jo.*, qui et ait Mariam ulterius pedes Jesu capillis suis extersisse. — Res nullam facit difficultatem: utrumque fecerit Maria (1); unxerit caput Jesu, prout in solemnioribus adjunctis in signum reverentiæ præcipuis invitatis fieri solebat; et hoc referunt *Mt.* et *Mc.*; *Jo*, vero, sicut sæpe, synopticos notos supponens, unctionem capitis silentio prætermittit, et, sicut iterum sæpe facit, Synopticos complere intendens, unctionem pedum quam *Mt.* et *Mc.* omiserant adjungit. — Unctio pedum facile fieri poterat, quum solerent convivæ non assidere, sed accumbere mensæ, pedibus post se porrectis, iisque nudis.

Discipuli (cum art. *oi*, *Mt.*), *quidam* (*Mc.*) indignantur suamque indignationem mutuo (2) edicunt, verbis sensa iræ suæ manifestantes. Juxta *Jo.* vero dixit *unus ex discipulis ejus*, *Judas Iscariotes*, *qui erat eum traditurus*. — Possibile est etiam alios Apostolos, sive omnes sive quosdam, quamvis utique non pessimo illo animo quo Judas, actum mulieris reprehendisse: tam enim assueti erant tum simplicitati et humilitati quam Jesus in tota vita sua ostentabat, tum doctrinæ de misericordia exhibenda pauperibus quam proponere solebat! — Attamen probabilius habemus *Mt.* et *Mc.* hîc, ut alibi eos facere contingit, plurali generico usos esse pro singulari (3), et revera solum Judam ita fuisse affectum et locutum (4): pro more suo, Joannes in suo evangelio, cavere voluerit

---

(1) Quod caput unctum fuerit confirmari potest vel ex eo quod hæc unctio omnino erat solita (cfr *Lc.*, VII, 38); — quod et *pedes*, ex eo quod quantitas unguenti, libra integra, excessiva fuisset pro unctione solius capitis. Porro totam massam fuisse adhibitam habetur ex *Mc.* v. 3, ubi in hunc finem alabastrum fractum fuisse refertur.

(2) Quod dicit *Mc.*: *intra semetipsos*, juxta gr. intelligendum est: *inter se*.

(3) Cfr *Mt.*, II, 20; XXVII, 44; XXVIII, 9.

(4) Revera Joannes verba etiam a Synopticis relata: *Ut quid....* exponit fuisse edicta ex animo venali, — quem sane animum aliis Apostolis tribuere haud possumus.

ne aliquis Synopticos male intelligeret, et quod isti indeterminate de Apostolis dixerant, ipse accuratione historica de solo Juda factum esse enarrat.

Jesus sciens — sive scientia præternaturali sive probabilius ex Judæ verbis — *mulieris causam defendit. Sinite* (1) *eam* facere (*Mc.*), sic ait. Quare molestias facitis huic mulieri, sic publice coram omnibus eam reprehendendo? Opus enim bonum operata est in me, eo quod ad sepeliendum me fecit, seu, juxta gr., eo quod corpus meum ad funus composuit (2). Jamvero, dum semper pauperes habebitis quibus cum volueritis benefacere poteritis, contra opportunitatem faciendi illud quod ipsa mihi fecit jam non diu habebitis; jamvero inter duo opera bona illud primo est faciendum quod, remissum, jam fieri non posset (3).

Tandem prophetice prospiciens tempora futura gravi sermone prædicit, quod eventus probavit, cum ipsa annuntiatione Evangelii salutis indivulse, per omnia loca omniaque tempora memoriam hujus operis mulieris fore connexam. A. Vander Heeren.

---

(1) Etiam hîc habet *Jo.* (gr.) verbum in singulari: *sine*, ad solum Judam directum.

(2) Revera compositio cadaveris ad funus fieri solebat adhibitis aromatibus et unguentis. Cfr *Jo.*, xix, 40.

(3) Num Maria ipsa de hac præparatione corporis Jesu ad futuram sepulturam cogitavit? Negant plerique, dicuntque: Maria quidem opus bonum operata est, quatenus, pro more solemniorum conviviorum, Jesu exhibuit reverentiam et amorem; Jesus vero ulterius specialem quamdam et symbolicam significationem, a Maria ignotam sed a divina Providentia intentam, in eodem ipsius actu elevat. — Videtur tamen narratio parallela *Mc.* aliud indicare: *Quod habuit hæc, fecit*, ait Jesus, i. e. Maria fecit quod facere potuit: *prævenit ungere corpus meum in sepulturam*; quod obvie significat in hoc esse præcise ipsius opus bonum: novit — sive ex illuminatione Spiritus sancti, sive ex ipsius Jesu prædictionibus — Jesum morte crucis esse interimendum; nescit vel valde dubitat num horrendis illis adjunctis possibile futurum sit modo debito corpus Jesu perungere; ideo, majori attentione majorique amore quam Apostoli, fecit quod potuit: in prævisione illius mortis, jam nunc corpus Jesu inungere voluit. Cfr Lagrange, in h. l. *Mc.*

II.

De necessitate in volitione divina.

Q. *Paucis explica hanc propositionem: Deus vult suam bonitatem ex necessitate; alia vero a se non necessario.*

R. — 1/ Uti in alia responsione jam explicavimus (1), *necessarium* dicitur « id quod non potest non esse » (2) et hoc primo et primario verificatur in iis quæ naturam ipsam rei constituunt vel ad eamdem naturam consequuntur et in eadem causam habent ita voluntas necessario appetit bonum, seu *naturaliter* tendit in bonum tanquam in objectum sibimet proprium. Hæc *necessitas* merito *naturalis* vocatur (3).

Agedum « sicut humana voluntas naturaliter appetit beatitudinem, et respectu hujus voliti necessitatem habet, cum in ipsum tendat per modum naturæ » (4), ita « voluntas divina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quæ est proprium ejus objectum » (5) et in hoc objectum fertur *secundum suam naturam*, itaque Deus suam bonitatem *ex necessitate* velle dicitur.

2/ Attamen « voluntas [humana] non ex necessitate vult quæcumque vult. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod sicut intellectus naturaliter et ex necessitate inhæret primis principiis, ita voluntas ultimo fini, ut jam dictum est. Sunt autem quædam intelligibilia quæ non habent necessariam connexionem ad prima principia, sicut contingentes propositiones, ad quarum remotionem non sequitur remotio primorum principiorum; et talibus non ex necessitate assentit intellectus....

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 139 s.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 41, a. 2, ad 5; q. 82, a. 1, c.

(3) *Ibidem*, q. 82, a. 1, c.; I-II, q. 10, a. 1, c.; II-II, q. 88, a. 2, c.; III, q. 14, a. 2, c.; *Contra gentes*, II, 30.

(4) *Quæst. disp. de verit.*, q. 23, a. 4, c.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 19, a. 3, c.; *Contra gentes*, I, 80; *De verit.*, *l. c.*

Similiter etiam ex parte voluntatis. Sunt enim quædam particularia bona quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus; et hujusmodi bonis voluntas non de necessitate inhæret » (1); itaque « ea quæ sunt ad finem, non ex necessitate volumus volentes [etiam] finem [ex necessitate], nisi talia sine quibus finis esse non potest » (2).

Sic autem Deus alia a se, quæ sane ad bonitatem ipsius tanquam ad finem ordinantur, non eum tamen finem « qui efficiatur ex his quæ sunt ad finem; sed magis quo efficiuntur et perficiuntur ea quæ ad ipsum ordinantur » (3), hæc omnia *non necessario* velle dicitur (4).

Quum vero voluntas divina sit immutabilis, « supposito quod [Deus] velit, non potest non velle » (5), et sic ea quæ non necessario vult, eadem tamen velle *ex necessitate hypothetica* seu *immutabilitatis* quandoque dicitur (6).

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 82, a. 2, c., ubi additur: « sunt autem quædam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhæret, in quo solo vera beatitudo consistit. Sed tamen, antequam per certitudinem divinæ visionis necessitas hujusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhæret, nec his quæ Dei sunt ».

(2) *Ibidem*, I, q. 19, a. 3, c. et *Contra gentes*, I, 81. — Sumus itaque liberi, libertate *arbitrii*, eligentes ea quæ sunt ad finem (*Sum. theol.*, I, q. 62, a. 8, ad 3; q. 83, a. 3 et a. 4, c.; I-II, q. 8, a. 3, c. etc.), et hæc libertas supponit necessitatem naturalem: « necesse est quod sicut intellectus inhæret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhæreat ultimo fini, qui est beatitudo » (*Sum. theol.*, I, q. 82, a. 2 c.); volentes media libere, volumus ea ex ordine ad finem (*Ibidem*, I-II, q. 8, a. 2 et a. 3, c.).

(3) *De verit.*, *l. c.*; *Contra gentes*, I, 81.

(4) Sic etiam in Deo liberum arbitrium est admittendum « respectu illorum quæ non ex necessitate vult » (*Sum. theol.*, I, q. 19, a. 10, c. et cfr *Contra gentes*, I, 88 necnon *De verit.*, q. 23, a. 4, ad 6). — Ea porro quæ Deus ita vult, constituunt volita *secundaria*, volita ex ordine ad divinam bonitatem et propter eamdem; dum ipsa bonitas divina dici potest volitum *primarium*, quia ratio volendi alia, uti explicat s. Thomas, *De verit.*, q. 23, a. 4, c. et *Contra gentes*, I, 80, 81; cfr etiam illust. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, apud *Collat. Brugen.*, V, p. 100 et Van der Meersch, *De Deo uno et trino*, n. 453, p. 352 s.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 19, a. 3, c.

(6) *De verit.*, q. 23, a. 4, ad 1.

In fine, cum s. Thoma, notare juvat quænam ex hac parte intercedat differentia inter scire et velle divinum : « Deus omnia quæcumque scit, ex necessitate scit; non autem quæcumque vult, ex necessitate vult » (1).

Ratio hujus differentiæ desumitur ex ipso discrimine inter scientiam et voluntatem : « quod intelligens intelligat aliquid ex hoc est quod *intellectus* se habet quodammodo; ex hoc enim quod aliquid actu intelligitur, est ejus similitudo in intelligente. Sed quod volens aliquid velit, ex hoc est quod *volitum* aliquo modo se habet; volumus enim aliquid, vel quia est finis, vel quia ad finem ordinatur » (2); aliis verbis : « scientia habetur de rebus secundum quod sunt *in sciente ;* voluntas autem comparatur ad res secundum quod sunt in *seipsis* » (3).

Unde « omnia alia [a Deo] habent esse necessarium secundum quod sunt *in Deo* [*sciente ea*]; non autem secundum quod sunt *in seipsis*,.... ita quod sint per seipsa necessaria » (4).

Solus Deus est ens necessarium, suum esse et sua bonitas, adeoque Deus *suam bonitatem* vult *ex necessitate*, tanquam finem et rationem volendi quæcumque alia; hæc vero *alia a Deo*, ad Deum ordinata tamquam ad finem, neque tamen ad bonitatem divinam necessaria, etiam *nec necesse* habet Deus ut eadem velit (5).

H. Lamiroy.

---

(1) *Sum. theol.*, *l. c.*, ad 6 et cfr ILLUST. AC REV. WAFFELAERT, *l. c.*, p. 101.

(2) *Contra gentes*, I, 81.

(3) *Sum. theol.*, *l. c.* — Per intellectum rem concipimus intentionaliter in nobis; per voluntatem tendimus in rem uti bonam.

(4) *Ibidem.*

(5) Inde facile solvitur difficultas sic proposita : Deus debet omnia velle necessario, quia ejus velle est ejus esse necessarium (cfr *Sum. theol.*, I, q. 19, a. 3, ad 6 et *De potentia*, q. 3, a. 15, c. et ad 6); liquet etiam hanc voluntatem divinam non necessariam non arguere imperfectionem in Deo (*Contra gentes*, I, 81).

III-IV.

De contractibus in genere IX.

Q. *Cum ex contractu non debite servato oriatur* obligatio compensandi damna, *expone et pro foro conscientiæ applica hunc effectum* indirectum: *tum casu culpæ aut moræ juridicæ tantum, tum casu culpæ theologicæ.*

R. *Prænota.* Effectus *directus* contractuum est quidem vel dominii translatio, ad quam sponte sequitur obligatio tradendi rem alienatam, vel est cujusdam obligationis strictæ productio, mutatio aut exstinctio. Primum a lege civili vocatur obligatio dandi; alterum autem, quantum ad susceptam a contrahente obligationem attinet, vocatur obligatio faciendi aut omittendi.

Porro, ubi contractus non servatur prout oportet, oritur insuper sed *indirecte* obligatio quædam compensandi damna, de qua obligatione hic agitur. Oritur scilicet dicta obligatio, quoties debitor in *culpa* fuerit aut in *mora*. In culpa quidem versatur quoties in faciendo vel omittendo vel in dando rem ex contractu, sive in eam interim conservando, debitam diligentiam omiserit, et sic cum damno creditoris contractum non rite adimpleverit; in mora autem dicitur quando imputabiliter contractus exsecutionem distulerit.

Jamvero hæc omissio aut vitiosa exsecutio sive dilatio potest in conscientia formaliter culpabilis esse, ut si debitor voluntarie et sine sufficienti ratione obligationes suas violaverit; sed etiam potest esse coram Deo a culpa immunis dum tamen civiliter seu juridice debitor obnoxius habetur: ut si ipse ob involuntariam oblivionem omiserit præstare debita. Unde pro cura animarum duplicem casum distinguere oportet, separatim considerando quænam sit debitoris in conscientia obligatio compensandi quoties in culpa aut in mora tantum juridica fuerit, quænam vero quoties culpa adfuerit theologica.

A/ **Casu culpæ aut moræ juridicæ tantum.**

1/ *Culpa juridica* generatim adest in materia contractuum (1), quoties debitor obligationibus suis adimplendis illam non adhibuerit curam quam suis rebus impendit bonus paterfamilias. Quo loquendi modo, in art. 1137, valedixit Codex civilis antiquæ distinctioni culparum in levissimas, leves et graves: dum enim generatim vigilantiam boni patrisfamilias imponit, negligentias levissimas jam non inculpat, sed ceteras tantum; imo in certis contractibus culpas leves etiam absolvit aut saltem mollius damnat, in quibus nempe gratuitum servitium debitor præstat ex contractu (cf. art. 804, 1374, 1927 et 1928, 1992). Ceterum, ubi lis quædam ad judicem defertur, ipsius est practice ponderare utrum necne debita cura in singulo casu fuerit omissa (2).

Verum, propter bonum commune, non admittit lex, secus ac jus naturæ, excusationem ex oblivione aut inadvertentia debitoris: sed ejusmodi culpæ imputabilitatem plane declarat, quæ tunc utique culpa est juridica tantum. Quodsi mala fide debitor suis obligationibus se subtraxerit, dolum proclamat jus civile, adestque simul culpa theologica.

Itaque, supposito sane damno creditoris (3), respondet

---

(1) Severior est lex quoad culpam juridicam in materia delictorum (a. 1382).

(2) « Lorsque les deux parties sont en faute, le débiteur est déchargé de toute responsabilité. Arg. art. 1599. Cependant l'application de cette règle paraît devoir être abandonnée au pouvoir discrétionnaire du juge, notamment dans le cas où la faute du créancier n'a été que la suite de celle du débiteur ». AUBRY et RAU, par. 308, apud ILLmum WAFFELAERT, *De Justitia*, I, n. 446.

(3) « Il se peut en effet que l'exécution réelle n'eût procuré aucun avantage au créancier. On cite comme exemple le cas du notaire qui omet de faire inscrire l'hypothèque de son client: il échappe à toute responsabilité, s'il peut établir que l'hypothèque non inscrite était primée par d'autres qui absorbaient la totalité du prix de l'immeuble, de sorte que son client, même inscrit, n'eût rien obtenu du tout. Quant au cas de simple retard, il arrive très souvent que le créancier n'en éprouve aucun dommage appréciable ». PLANIOL, *Droit civil*, II, n. 228.

debitor de suis obligationibus omissis sive dilatis sive vitiose adimpletis (1): nisi demonstret se nullatenus in culpa fuisse, verum aliunde fuisse impeditum a contractu servando, propter casum quemdam fortuitum sibi non imputabilem, aut (quod in idem recidit) propter casum extrinsecæ vis prævalentis (force majeure); art. 1147 et 1148 (2). Imo casus etiam fortuitos præstat sibi non imputabiles, si illos ex contractu explicite aut implicite in se susceperit (3); pariterque si jam tunc ex jure civili in mora fuerit.

Tamen, ut præstatio ejus coram judice reposci liceat, *per se* requiritur ut in mora juridica fuerit constitutus, prout nunc addimus.

2/ *Mora juridica* dicitur imputabilis dilatio exsequendæ obligationis ex contractu. Hæc quidem nondum generatim incipit, ad normam legis, a die præteriti termini usu aut conventione statuti, adeoque per se mora juridica

---

— Notetur ipsum creditorem coram judice suum dammum demonstrandum habere, præter casum dilatæ solutionis pecuniariæ de qua infra, necnon casum conventionis expressæ circa præstationem certæ summæ si debitor in culpa fuerit aut in mora.

(1) « On admet en principe que le débiteur peut, par une clause formelle de la convention, s'exonérer des conséquences de ses fautes.... Mais il a été jugé que cette clause d'exonération n'est pas valable pour la faute lourde.... En effet, celle-ci est traditionnellement assimilée au dol...., et par suite on doit en être responsable d'une manière tout aussi absolue ». PLANIOL, *ib.*, n. 245.

(2) « Les clauses qui suppriment la responsabilité du débiteur sont les mêmes, qu'il s'agisse d'un simple retard ou d'une inexécution définitive : les évènements fortuits ou de force majeure peuvent produire tout aussi bien un simple retard qu'une impossibilité définitive d'exécuter. Ainsi des vents contraires, le brouillard ou le verglas retardent la marche d'un navire, d'un train ou d'une voiture; un blocus ou une grève empêchent pour un temps l'exécution d'un marché de charbons ou d'autres marchandises, etc. » PLANIOL, *ib.*, n. 231. — Practice excusatio fortuiti casus relinquitur æstimationi judicis.

(3) Nec tunc tamen præstat, ut videtur, casus omnino insolitos et extraordinarios, nisi hi etiam clare exprimantur. Contra in commodato, ad normam art. 1883, lex ipsa casum fortuitum per se imponit debitori.

non est simplex mora: quia quamdiu tacet creditor, debitori sæpius ex lege fas est supponere ipsum in dilationem consentire vel saltem nullum inde subire damnum. Itaque principium est moram juridicam solummodo incipere a die reclamationis seu exactionis creditoris, et quidem debitis sub formis effectæ: nempe per ministerium apparitoris (sommation par huissier), vel per actum æquivalentem; art. 1139 (1).

Per accidens tamen debitorem ipso jure in mora juridica constitutum habet Codex: tum si violaverit obligationem non faciendi, art 1145; tum si explicite aut implicite ita convenerint contrahentes pro tempore elapsi termini. De explicita ejus modi conventione agit art. 1139 in fine; de implicita vero art. 1146: quoties nempe talis fuerit natura contractus ut non potuerit utiliter adimpleri nisi certo tempore quod debitor siverit præterire (2). Insuper eodem modo disponit lex pro certis contractibus specialibus: cf. art. 455 et 456, 474, 1378, 1440 etc., necnon legem 12 Februarii 1913 de qua infra.

Effectus autem moræ juridicæ est: tum ut a debitore præstatio damni jam inde coram tribunali exposci possit;

(1 « Il y a un acte qui a spécialement pour objet de mettre le débiteur en demeure; c'est la *sommation*, qui est un exploit d'huissier et qui peut être faite par tout créancier. Mais l'effet de mise en demeure attaché à la sommation se produit, en outre, à la suite de deux autres actes: le *commandement*, qui est une sommation particulière, qui ne peut être faite qu'en vertu d'un titre exécutoire et qui est le préliminaire obligé de la saisie; la *demande en justice*, c'est-à-dire l'exercice de l'action.... En matière commerciale, la mise en demeure peut se faire par une simple lettre missive, par un télégramme, et même verbalement ». PLANIOL, *ib.*, n. 169. — Cf. decisionem *Cass. belg.*, 7 maii 1880, in materia non commerciali: « A défaut d'une sommation, la preuve de la mise en demeure du débiteur ne peut être établie que par une *reconnaissance* de celui-ci, ou par un acte contenant une interpellation dont il a dû nécessairement induire qu'il était mis en demeure ».

(2) « Ex. gr. opifex qui mercatori merces quasdam in *nundinis* vendendas tradere debebat, in mora constituitur præterlapso ipso nundinarum die, quin aliud quidquam opus fuerit ». MARRES, *De Justitia*, II, n. 200.

tum ut ipse de periculo rei jam per se teneatur necnon de casu fortuito; tum etiam ut creditor, præter compensationem damnorum, actionem intentare valeat in conventionis rescissionem.

Porro, missis casibus in quibus ex lege vel conventione mora juridica absque interventione creditoris incipit, in reliquis semper prærequiritur ejus interpellatio ad debitorem si agatur de damnis *moratoriis*, nempe ob ipsam dilationem exigendis; ubi vero de *compensatoriis* agitur, nempe ob inexsecutionem vel exsecutionem vitiosam, idem etiam principium statuit art. 1146. Verum non una est apud jurisperitos et ipsam jurisprudentiam interpretatio hujus articuli; et dicendum videtur tunc tantum prærequiri interpellationem creditoris si debitor obligationem suam adhuc adimplere valeat, non vero si jam non valeat, aut si eam vitiose jam adimpleverit (1).

3/ *In quo consistat hæc compensatio.* Compensatio semper pecunia computatur, art. 1142: judicialiter quidem aut extrajudicialiter seu ex ipsa præcedenti conventione.

Si judicialiter seu a tribunali, supputatur in singulo casu lucrum cessans et damnum emergens (2), ad normam

---

(1) Si enim vitiose contractum jam adimpleverit, culpam commisit et conventionem jam violavit. Si autem contractum jam non adimplere valeat, et quidem culpa sua, rursus responsabilis est cum inutilis jam sit monitio; si vero propter casum fortuitum, tunc per se de damno non respondet, nisi tamen jam ante hunc eventum constitutus fuerit in mora juridica, vel nisi casus fortuitos in se susceperit. Cf. PLANIOL, *ib.*, n. 227.

(2) « Par exemple si un chanteur engagé pour un concert manque à sa parole de façon que le concert ne puisse avoir lieu, l'artiste devra indemniser l'entrepreneur de spectacles avec lequel il avait traité: 1° des déboursés déjà faits pour les préparatifs du concert (location d'une salle, affiches et insertions dans les journaux, etc.); 2° du bénéfice net qui serait resté à l'impresario après le concert, tel que ce bénéfice pourra être estimé ». PLANIOL, *ib.*, n. 247. — Damna quidem *indirecta* non sunt compensanda: « exemple le cas d'un marchand qui a vendu sciemment une vache malade; la contagion a été communiquée aux bœufs de l'acheteur et l'a empêché de cultiver ses terres. Le vendeur devra certainement l'indemniser du prix des bestiaux morts par l'effet de la contagion, mais non des dommages résultant du défaut de culture,

art. 1150 et 1151. Nempe non sunt a debitore solvenda nisi directa damna, illa scilicet quorum culpa ejus fuerit causa immediata, ita ut aliam simul causam non habuerint; insuper nonnisi damna ab ipso prævisa vel saltem quæ prævidere poterat. In casu tamen doli damnari potest etiam ad non prævisa, modo directa sint (1).

Si vero ex conventione, secundum art. 1152, summa solvenda casu culpæ aut moræ juridicæ fuerit statuta, huic standum est: nec ad probandum suum damnum tenetur tunc creditor, quia ex hac parte contractus est aleatorius. Nec etiam in casu judici liceret mutare determinatam summam, nisi tamen partialiter jam obligatio exsecutioni mandata fuisset (art. 1231).

Verum, in casu violatæ obligationis *circa summam pecuniæ præstandam*, ut si distulerit debitor pretium rei emptæ solvere, aut locationis domus etc.: speciales

---

qui ne sont qu'une suite éloignée et indirecte de son dol; les terres n'étant pas cultivées, l'acheteur s'est trouvé privé de son revenu; il n'a pas pu payer ses créanciers; ceux-ci ont saisi ses biens, etc..... On peut développer à volonté la série des conséquences. Tous ces évènements ne sont pas la suite *nécessaire* de la vente d'une vache malade; ils auraient pu être évités: l'acheteur pouvait louer ses terres ou se procurer d'autres animaux pour faire ses labours ». PLANIOL, *ib.*, n. 249.

(1) « La question de savoir si les dommages survenus ont été ou ont pu être prévus lors de la conclusion du contrat, est une difficulté de fait, pour laquelle on ne peut donner aucune règle générale. Les tribunaux la résolvent d'après les circonstances. Les transports par chemins de fer en fournissent des exemples remarquables: une malle s'égare; elle contient des objets d'une valeur exceptionnelle, par exemple les manuscrits d'un opéra sur lequel l'auteur comptait beaucoup. En pareil cas les tribunaux modèrent l'indemnité en se réglant sur la valeur habituelle des bagages que les voyageurs transportent avec eux ». PLANIOL, *ib.*, n. 250. — Cf. *Cassat. belg.*, 23 Apr. 1880: « L'Etat, exploitant le chemin de fer, peut valablement stipuler qu'en cas de perte de marchandise, dont le transport lui est confié, il ne sera tenu qu'à une somme déterminée de dommages-intérêts ».

Quoad pecuniariam compensationem damni *moralis* aliquando causati per contractus violationem, videtur jurisprudentia, quæ hujusmodi reparationem in materia delictorum plane concedit, jam magis ac magis in eumdem sensum etiam propendere ad conventiones quod attinet. Cf. PLANIOL, *ib.*, n. 252.

dantur regulæ legis. Ab ipsa enim lege generatim (1) taxatur tunc solvendum fœnus, quod dicitur interesse legale, et est apud nos 5 1/2 aut 4 1/2 prout materia agitur commercii sive secus (cf. legem 20 Dec. 1890). Nec enim judex lucrum cessans aut damnum emergens supputandum habet in casu, quia generatim valet creditor, si pecunia indigeat, hanc aliunde sub eodem fœnore sibi procurare; nec etiam ipse creditor tunc suum damnum demonstrare debet, quia in hodiernis adjunctis pecunia jam est res fructifera. Casu tamen doli, damnari potest debitor ultra legalem taxationem, si nimirum majus fuerit damnum creditoris (cf. mutatum art 1153). Insuper liberum manet partibus ut supra vel infra legale fœnus explicite determinent pecuniam moratoriam solvendam (cf. legem 5 Maii 1865).

Verumtamen, præsupponitur hic etiam mora juridica, nisi diserte convenerint contrahentes simplicem jam moram sufficere. Et quidem usque ad hos ultimos annos non sufficiebat generatim ad moram juridicam in hac materia interpellatio ut supra, sed petitio judiciaria requirebatur; nunc autem apud nos attendenda venit lex 12 Februarii 1913 mutans art. 1153 (2) et indicens jam hic etiam sufficere ordinariam interpellationem, imo specialiter disponens circa pecuniam operariis debitam necnon mercatoribus et artificibus. Pro debitis scilicet erga

---

(1) « Sauf les règles particulières au commerce et au cautionnement » (cf. antiquum art. 1153 et art. 2028); salvisque etiam aliis quibusdam prævisis exceptionibus: cf. v. g. art. 1846.

(2) Sic jam habet ille art.: « Dans les obligations qui se bornent au payement d'une certaine somme, les dommages et intérêts résultant du retard dans l'exécution ne consistent jamais que dans les intérêts légaux; sauf les exceptions établies par la loi, les dommages et intérêts sont dus sans que le créancier soit tenu de justifier d'aucune perte. Ils sont dus à partir du jour de la sommation de payer, excepté dans le cas où la loi les fait courir de plein droit. S'il y a dol du débiteur, les dommages et intérêts peuvent dépasser les intérêts légaux ». — Parallelo modo jam mutantur in duobus sequentibus art. verba: *demande judiciaire*, in: *sommation*.

famulos et operarios, sufficit juridice simplex mora 8 dierum inde a die quo jus habuerint ad solutionem; pro mercatoribus autem et artificibus, sufficit ut jam a tribus mensibus rationem crediti et debiti (le compte) miserint, aut etiam ut annus in quo debitum fuit contractum jam tribus mensibus præteritus sit. Sub illis conditionibus, pleno jure concedit illis lex interesse moratorium.

In fine expositorum notetur insuper jure civili etiam permitti *anatocismum*, seu productionem fœnoris ab ipso fœnore jam debito et non soluto, modo de fœnore agatur pro toto jam anno debito (art. 1154), et simul præcesserit vel conventio hujusmodi vel secus debita interpellatio. Imo in certis casibus non prærequiritur fœnebre debitum totius jam anni (a. 1155).

Applicatio pro foro conscientiæ.

Casu culpæ aut moræ juridicæ tantum, obligatur sane debitor in conscientia *post sententiam judicis*, fatentibus omnibus. Justa est enim lex quæ acuendo vigilantiam et providendo securitati contrahentium, providet simul et bono publico; nec irrita dicatur sententia judicis utpote fundata in falsa præsumptione culpæ theologicæ: fundatur enim hic in præsumptione periculi universalis.

Unde sequitur etiam *ex caritate* quandoque solvenda esse damna hujusmodi jam ante sententiam, ne scilicet inutiles expensæ creditori imponantur: modo velit ipse jus suum prosequi illudque jam privatim a debitore expetat, simulque certa sit a priori condemnatio debitoris necnon solvenda summa.

Verum, utrum *ex justitia* insuper teneatur talis debitor, nempe ex tacito contractu jam *ante sententiam*, non una est sententia AA. præsertim antiquorum. Severior sententia affirmative respondet, quia consentur contrahentes secundum leges vigentes se obligare, adeoque eam stricte promittere diligentiam quam Codex requirit: unde logice sequitur stricta obligatio statim præstandi damna ex culpa aut mora juridica secuta. Mitior vero sententia

contradicit : quia leges nunc vigentes certam quidem diligentiam imponunt, sed simul non imponunt præstationem damni nisi mediante sententia judicis, coram quo creditor suum damnum legali modo demonstrandum generatim habet; adeoque non censendi sunt contrahentes se ultra leges obligare velle, nisi hoc in quodam casu clare evincatur. Verum est in quibusdam casibus probationem damni de jure non requiri, imo legem quandoque edicere pleno jure deberi moratorium fœnus: sed præterquam quod valde dubium est num intentio fuerit legislatoris damnandi tunc debitorem in conscientia inculpatum ante omnem sententiam, ipsum sic obligando ad sese sine vera culpa puniendum, usualis insuper et communis interpretatio hominum certe mitius procedit (1), nec bono communi necessaria apparet strictior interpretatio. Quamobrem tuta est practice sententia benignior; imo attenta interpretatione usuali, probabilius censemus ipsam judicis sententiam non ex stricta justitia sed tantum ex justitia legali obligare in

---

(1) « Secluso speciali contractu, universalis consuetudo leges civiles de restitutione post sententiam judicis facienda interpretatur ». GÉNICOT SALSMANS, *Theol. mor.*, I, n. 518. — Cf. SALSMANS, *Rechtelijke plichtenleer*, n. 206: « De kontraktanten willen doorgaans hun verbintenis *volgens de bestaande gewoonten* en bijgevolg ook *volgens de bestaande rechtmatige wetten* omlijnen, tenzij ze uitdrukkelijk het tegenovergestelde bepalen.... Dit geldt zeker voor bepalingen die *noodwendig* zijn tot regeling der kontrakten, b. v. omtrent het oogenblik waarop een koop voltrokken wordt (a. 1583), omtrent waarborg wegens uitwinning (a. 1626), enz. Omtrent *bijkomende* rechtsbepalingen die bijna even goed zouden kunnen wegblijven, moet niet al te licht besloten dat de kontraktanten zich daartoe hebben willen verbinden, en bijgevolg, indien er geen vrij duidelijke overeenkomst daaromtrent getroffen is, zou een partij desverkiezend zich, voor 't geweten, van die bepaling vrij mogen achten, *zoolang er geen rechterlijke uitspraak tusschen beide gekomen is.* Dit is het geval b. v. met art. 2000, omtrent schadeloosstelling wegens het nadeel, hetwelk de lasthebber, niettegenstaande zijn voorzichtigheid, mocht geleden hebben. Deze en dergelijke bepalingen zijn niet door het natuurrecht opgelegd, noch blijkt het doorgaans duidelijk, dat de kontraktanten zich daartoe buiten alle rechterlijke tusschenkomst willen verplichten ».

casu. Et eadem de anatocismo in conscientia dicenda sunt quæ de damno compensando.

Attamen aliud est quoties expresse convenerint contrahentes vel moram simplicem, vel moram aut culpam juridicam jam ad obligationem compensandi sufficere : tun enim in conscientia statim et stricte tenentur, modo utique hoc sensu rem intellexerint quod non requiratur in casu sententia judicis. Quodsi rem ut post sententiam intellexerint, tunc sane post sententiam tantum incipit obligatio ex justitia stricta.

Tandem, in conscientia juste tenere potest creditor summam sibi a conventione vel a judice attributam, etiamsi minus aut nullum damnum subierit: quoties scilicet conventio justa fuerit (1) vel tribunal hanc pecuniam ipsi concesserit quasi fœnus ex mutuo, prout revera est ubi a debitore dilata fuit solutio pecuniæ ex contractu solvendæ. Quid vero si creditor in casu majus dammum accipiat? Certe conventioni standum, si exstet, nam est quoad hoc contractus aleatorius; nec magis sententiæ judicis quidquam in conscientia supplendum venit, nam nec ibi censendi sunt contrahentes pro sola culpa aut mora juridica se ultra leges obligare velle.

B/ **Casu culpæ theologicæ.**

Jure naturæ cum contractus instar legis inter contrahentes habeatur, patet ex violata conventione stricta oriri strictam obligationem reparandi damnum, modo tum efficaciter seu causaliter debitor ipsum induxerit, tum injuste seu materialiter lædendo jus strictum alterius partis, tum etiam culpabiliter in conscientia seu formaliter injuste (2). Jamvero deficit prima conditio si damnum nullum fuerit aut saltem non vere causatum ; deficit

---

(1) Aliud est si « in conventione adfuerit dolus aliave injustitia creditoris, puta si abusus fuerit necessitate debitoris ad stipulandam compensationem immodicam ». Illus Waffelaert, *ib.*, n. 455.

(2) « Nullum etiam damnum theologice culpabile esse potest quin, saltem in confuso, prævisum fuerit ». Génicot-Salsmans, *ib.*, n. 518.

altera casu causæ sufficienter excusantis in conscientia, v. g. moralis impossibilitatis (1); deficit vero tertia præsertim casu ignorantiæ, oblivionis aut inadvertentiæ circa contractus obligationes sive circa damnum inferendum.

Ubi vero debitæ conditiones verificantur, *ante omnem sententiam judicis* jam veniunt stricto jure naturæ reparanda damna (2) vere causata et a debitore saltem in confuso prævisa. « Compensatio a debitore pro læso contractu debita generatim comprehendit 1°/ damnum ex non servato contractu creditori emergens, quo damno etiam intelliguntur expensæ a creditore factæ, et 2°/ lucrum ex eadem causa cessans; nam æqualitas rei ad rem ex stricta justitia aut servanda aut restitutione reparanda postulat ut creditoris res, quantum fieri potest, in eodem statu reponatur ac si jus illius læsum non fuisset » (3).

Ita si auriga quidam voluntaria negligentia clientem suum ad stationem viæ ferreæ tardius vehat, statim in conscientia de damnis vere causatis tenebitur saltem in confuso prævisis (de pretio v. g. mittendi telegrammati, de expensis transigendæ noctis in taberna etc.), non autem de minime prævisis, ut si cliens 1000 f. insuper perdat eo quod culpa aurigæ non potuerit contractum aliquem inire; nec a fortiori de non causatis ab ipso, quorum tamen occasio fuit, ut si sequenti die idem cliens brachium perdat in clade viæ ferreæ, cui non interfuisset si auriga contractum suum debite adimplevisset.

Pari modo si culpabiliter in conscientia fecerit debitor illud quod ex contractu omittere debebat, statim ad

---

(1) Quodsi tamen debitor casus fortuitos in se susceperit, ex ipso tunc contractu damnum solvere debet, non vero propter theologicam culpam.

(2) Nisi utique creditor juri suo renuntiet.

(3) Marres, *ib.*, n. 205. Excipitur tamen casus justæ conventionis summam determinantis a culpabili debitore solvendam; tunc enim compensatio damni nec major nec minor jure naturæ fieri debet.

damna tenetur sensu explicato; similiter si formaliter injuste rem faciendam male confecerit, aut tradendam male interim servaverit cum damno creditoris.

Item si præstationem pecuniæ ex contractu debitæ culpabiliter et injuste distulerit, illico damnum ut supra præstare debet: quod erit communiter interesse legale, vel quandoque aliud inferius aut superius, si nempe usualis taxatio minor aut major sit fœnore legali.

In hoc tamen casu dilationis in persolvenda obligatione pecuniaria sive alia, difficultas quædam oritur circa tempus quo injusta incipiat esse mora debitoris. Certe injustitia adest ubi voluntarie mora protrahitur ultra terminum pro ipsa obligatione statutum in contractu, explicite vel implicite; sed hoc ipsum non semper ita patet. Porro, præter casum indubium in quo diserte exprimitur inde a certo die moræ statim deberi summam determinatam per modum compensationis, ipsa quandoque subjecta materia terminum apponit ultra quem obligatio jam non possit utiliter impleri: unde tunc voluntaria dilatio major, nulla sufficienti ratione excusante, evidenter injustitiam parit formalem. Quandoque etiam spatium temporis determinatur intra quod expresse debitor se adstringit ad præstandam obligationem suam, ita ut pro utraque parte clarum sit agi de conscientiæ obligatione taliter suscepta: quo casu idem est respondendum. Quandoque vero res quasi in incerto manet: sive quia terminus non est appositus, v. g. pro domo quadam construenda; sive quia significatio appositi termini non est ita patens. Et tunc censent quidam AA (1) requiri ad injustam dilationem aliquam monitionem seu interpellationem saltem privatam creditoris ad debitorem: quia contrahentes censentur se obligare secundum leges vigentes, quæ hic utique « sommationem » requirunt.

---

(1) Cf. MARRES, *l. c.*, n. 196 s.; KEULLER, *De Justitia*, n. 111 et 115. Ipse nimirum Marres censet insuper jam sufficere ad juridicam moram monitionem qualemcumque, dum ad juridicam tantum *probationem* moræ requiritur, ut ait, interpellatio per apparitorem.

Verumtamen rectius dicendum videtur rem tunc ex usu vigente pendere; usualis enim interpretatio contractuum, in defectu expressæ et claræ stipulationis, normam præbet secundum quam contrahentes censendi sunt secundum leges se obligare. Sic sane tenetur quis ex justitia ad solvenda sua debita infra tempus sive expresse et clare statutum sive usibus determinatum; secus injusta per se incipit esse voluntaria dilatio, etiam nulla præcedente monitione creditoris, nisi rursus usibus sit consecrata hujusmodi monitio: ut si communiter in quadam regione non se tenerent obligatos ad solvendum nisi præmissa a creditore ratione crediti et debiti (le compte).

Sed utique sufficit et quandoque requiritur monitio etiam non juridica ad bonam fidem evertendam debitoris, qui secus nimiæ dilationi ex oblivione indulgeret, ita ut certis casibus tunc tantum incipiat formalis injustitia ejus. Pariter eadem sufficiet monitio, v. g. in casu pecuniæ solvendæ, ut in conscientia jam teneatur debitor de damnis antea ab ipso non prævisis, etiam ultra legalem taxationem: ut si per accidens in commercio suo creditor magnum pateretur detrimentum nisi alter tempestive solvat, debitor semel de hoc monitus et injuste solutionem retardans, jam coram Deo de toto damno a se causato responsabilis foret.

E. Hosten.

V.

De reformanda conscientia vincibiliter erronea.

Q. *An et cur conscientia vincibiliter erronea est regula legitima operationum?*

R. Lex naturalis, seu mandatum Dei mandans servare ordinem essentialem inter facultates nostras naturales, sancit dictamen conscientiæ nostræ, dummodo hæc sit et ab agente secure apprehendatur ut sincera expressio voluntatis legislatoris, vel, si non sit vera, saltem invin-

cibiliter censeatur talis (1). Aliis verbis, modo conscientia sit et agenti appareat vera, aut si erronea, invincibiliter talis sit, Deus sancit ipsius dictamen respective voluntate antecedenti, aut voluntate consequenti (2), ita ut homo

1. bene agat coram Deo, qui sive facit sive omittit id quod talis conscientia permittit (3);

2. obligetur coram Deo ad faciendum aut omittendum id quod talis conscientia præcipit aut prohibet;

3. jus habeat absolutum id faciendi aut omittendi quod conscientia *vera* dictat faciendum aut omittendum (4).

Sed quæritur utrum lex naturalis — seu Deus — eodem modo sanciat dictamen conscientiæ hominis qui, incurius voluntatis legislatoris, eam negligit pro posse inquirere, atque ex hac voluntaria negligentia judicat sibi permissum facere aut respective omittere quod est a Deo prohibitum aut respective præceptum, aut imo qui præceptum æstimat quod est prohibitum, prohibitum quod est præceptum, aliis verbis an lex naturalis sanciat dictamen conscientiæ vincibiliter et culpabiliter erroneæ, ita ut hæc conscientia dici possit regula legitima operationis.

---

(1) Non eodem modo lex naturalis sancit conscientiam veram et conscientiam falsam: illam scilicet sancit lex naturæ directa et absoluta, hanc vero lex naturalis quasi-hypothetica seu dictamen naturæ reflexum. Cfr Ill. ac Rev. Waffelaert, *De dubio solvendo*, p. 71, n. 89, 3°, coll. p. 47. Aliis verbis sola conscientia vera ac certa est regula operationum simpliciter et absolute legitima. Conscientia vero invincibiliter erronea est legitima tantum per accidens et secundum quid.

(2) Cfr V. Frins, S. J., *De actibus humanis*, t. III, *De formanda conscientia*, p. 124 ss. Lege *De dubio solvendo*, p. 153 ss., n. 187 sq., p. 186 ss., n. 228. Cfr J. Salsmans, S. J., *Institutiones theologiæ moralis*, ed. 1919, t. I, p. 63, n. 74.

(3) Obiter nota neminem proprie agere *contra* conscientiam nisi hæc sit præcipiens aut prohibens. Si enim sit permittens aut consulens, *juxta* eam agit tum qui actum ponit tum qui eum omittit, quum talis conscientia duo simul dicat: nimirum, licet aut imo perfectius est id facere, licet tamen id omittere.

(4) Quum jus necessario radicetur in veritate objectiva, conscientia erronee præcipiens aut prohibens imponit quidem obligationem, jus autem non confert. Cfr Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, ed. 3a, p. 518, nota 5.

Ex terminis ipsis hujus quæstionis jam statim apparet responsum negativum esse dandum : qui contrà affirmative responderet, ille simul implicite autonomiam rationis humanæ doceret, quatenus hæc pro lubitu leges Dei ignorare adeoque solvere, ac sibi ipsi practice regulam morum effingere posset.

A. Id quidem luce clarius patet de errore formali seu directe, in se voluntario (1). « Actus qui fit ex ignorantia affectata per se a directe voluntario nil differt » (2). Seu violatio legis in confuso prævisa quæ ex errore intento sequitur, est et ipsa implicite directe voluntaria seu est ex dolo (3) : minus tamen voluntaria dicenda est adeoque minus culpabilis quam transgressio frigide deliberata legis distincte cognitæ (4). Sed et talis error ex ignorantia affectata sive legis sive solius pœnæ oriundus a nullis pœnis latæ sententiæ excusat, etiamsi lex pœnam statuat in eum tantum qui *præsumpserit*, *ausus fuerit*, *scienter*, *studiose*, *temerarie*, *consulto* egerit (5).

Quodsi violatio legis nec in confuso fuerit prævisa, ipsa tamen hæc voluntas deliberata ignorandi atque errandi constituit peccatum internum malitiæ, quod facile grave erit, maxime si procedat ex contemptu.

B. Si error non sit voluntarius in se, sed sit effectus tantum alicujus voluntariæ negligentiæ in inquirenda veritate, an conscientia erronea semper est dicenda regula illegitima operationum ?

1. Si conscientia est *actu quidem invincibiliter erronea*, *antecedenter* vero fuit *vincibiliter et culpabiliter erronea*,

---

(1) Vide supra p. 127.

(2) Th. Meyer, *Institutiones juris naturalis*, t. I, p. 93.

(3) Can. 2200, § 1 « Dolus heic intelligitur deliberata voluntas violandi legem ». Cfr Can. 2203, § 1. Adverte autem talem prævisionem in confuso sufficere ad peccatum grave constituendum, modo agens ad eam plene advertat.

(4) Disputant Aa. quonam sensu ignorantia affectata, adeoque et error formalis, dici possit augere voluntarium. Cfr Bouquillon, *o. c.*, p. 632, H. Vandenberghe, *De legibus*, p. 125, coll. p. 120.

(5) Can. 2229, § 1 et 2.

a/ est regula legitima quoad actum præsentem, ita ut actus iste difformis a lege objectiva non sit *in se* formaliter malus, sed contra formaliter bonus, uti supra diximus de conscientia invincibiliter erronea. *b*/ Quodsi actus præsens fuit olim, in confuso saltem, prævisus ex errore certo aut probabiliter secuturus, momento scilicet quo quis debitam diligentiam voluntarie et culpabiliter omisit, hoc ipso momento agenti in culpam imputatus fuit tamquam voluntarius in causa, quæ culpa perseverat donec retractetur ac reparetur, sicut statim sub c/ dicimus (1). *c*/ Si autem nullo modo prævisus adeoque nullo modo imputatus fuit actus præsens, ipsa tamen negligentia olim voluntaria tamquam peccatum habituale conscientiam gravat donec per congruam pœnitentiam retractata et per requisitam diligentiam reparata fuerit (2). Ratio dictorum patebit statim ex dicendis ad 2um.

2. Si autem conscientia est *actu vincibiliter et culpabiliter* erronea, talis nimirum quæ implicite continet judicium reflexum certo obligans ad inquirendum circa legem contrariam in confuso apprehensam, est regula illegitima agendi, seu non licet juxta eam operari cum periculo violandi legem illam oppositam. Legislator enim dum legem aliquam promulgat, subditis suis imponit obligationem non tantum servandi suam legem, sed ante omnia eam legem cognoscendi seu eam debito modo inquirendi ideo ne eam violent. Unde non ille tantum legem aliquam violat qui *directe* legem cognitam servare

---

(1) Adverte formalem malitiam effectus illius prævisi imputari momento quo ponitur causa, sive postea ille effectus sequatur, sive non. Item adverte hanc culpam toties multiplicari quoties quis tales effectus prævidet. De qualitate et quantitate hujus culpæ sicut et negligentiæ de qua sub c/, in proximo responso dicemus.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIII, p. 455; Bouquillon, *o. c.*, p. 631 et p. 520: hoc ultimo loco additur hæc animadversio notanda: « Atque hinc vera etiam ratio patet, cur in casu magis reus sit, qui agit contra conscientiam, quam qui juxta. Nam hic [habitualem] tantummodo ignorantiæ reatum habet, ille vero præter hunc addit alium nunc reatum [actualem] actionis contra conscientiam positæ ».

negat, sed et ille qui negligit eam inquirere suspicans probabilem ejus transgressionem inde secuturam: hic enim in voluntaria sua negligentia tamquam in causa *indirecte* vult legem transgredi: ipsi imputatur tamquam voluntaria in causa probabilis transgressio legis, quam debet inquirendo vitare et cui, non inquirendo, temerarie sese exponit (1).

Nota. Quodsi agatur de conscientia vincibiliter erronea præcipiente id quod est et apprehenditur ut prohibitum, aut respective prohibente id quod est præceptum, peccat agens sive *juxta* sive *contra* eam agit (2). Primum apparet ex supradictis; alterum patet ex hac generali ratione quod qui agit contra conscientiam præcipientem aut prohibentem, directe vult id quod judicat aut æstimat (3) contrarium voluntati Dei.

Quæstio ulterior poni potest quodnam sit majus peccatum, in hoc ultimo casu, agere juxta an agere contra talem conscientiam. — Respondendum videtur hoc modo: a/ *sub ratione voluntarietatis,* violatio legis est magis imputabilis ei qui agit contra, quam ei qui agit juxta: in primo enim casu violatio est directe voluntaria, in altero vero est indirecte tantum voluntaria; b/ *sub ratione gravitatis peccati commissi*, examinanda est respectiva gravitas legum quæ in alterutro casu infringuntur, hinc scilicet legis falso existimatæ quam directe

---

(1) Cfr *Collat. Brug.*, t. VII, p. 445 ss., p. 583 ss. Nota et rudes talem deordinationem apprehendere. Ita si famulus dubitat utrum aliquid sibi sit præceptum, vel prohibitum, et negligit inquirere voluntatem heri, omnes pronuntiabunt ipsum interpretative, implicite contemnere voluntatem heri, seu censeri eam nolle servare. *L. c.*, p. 585.

(2) Non tamen potest dici talis status conscientiæ conscientia simpliciter perplexa, ut exposuimus supra p. 79 ss.

(3) Adverte 1. primum judicium conscientiæ vincibiliter erroneæ non esse absolutum, sed adnexam habere suspicionem de contrario; 2. si conscientia erronee præcipiat sub levi id quod est et quod apprehenditur præceptum sub gravi, aut similiter prohibeat sub levi id quod est et quod agens suspicatur prohibitum sub gravi, qui agit contra eam contrahit culpam formalem juxta severiorem partem dictaminis conscientiæ, id est graviter peccat.

violat qui contra hanc conscientiam agit, inde vero legis merito suspicatæ quam negligit, adeoque indirecte contemnit, qui juxta hanc conscientiam operatur (1).

3. Tandem si conscientia est *vincibiliter* sed *non culpabiliter erronea*, talis nimirum quæ resolvitur in judicium reflexum certum de liceitate agendi juxta talem conscientiam, absente omni periculo peccandi ex temeritate, est regula operandi actu legitima, quum sit de facto conscientia practice certa de honestate actionis (2). Unde talis conscientia nullam imponit obligationem hic et nunc inquirendi ante actionem de qua deliberatur. Aliunde tamen, seu ad præcavenda pro futuro peccata formalia ex falsa conscientia, existit pro subjecto tali modo errante obligatio generalis veram sibi conscientiam efformandi, seu veram cognitionem obligationum suarum acquirendi, quam obligationem ipsi in mentem revocat ipsa præsens suspicio erroris adeoque ignorantiæ circa veras suas obligationes (3).

A. Legrand.

---

(1) Ergo, *ceteris paribus*, gravius est peccatum agere contra quam agere juxta, sæpe tamen lex suspicata multo gravior est et apprehenditur quam lex falso existimata: unde tunc gravius est peccatum juxta quam contra hanc conscientiam operari. Sic si quis æstimat se sub levi obligari ex caritate ad pejerandum in favorem amici, suspicans tamen id sibi sub gravi interdici ex virtute religionis, venialiter peccat agendo contra, scilicet non pejerando, mortaliter vero si agat juxta, seu perjurium faciendo. Cfr V. Frins, S. J., *De actibus humanis*, t. III, p. 119.

(2) Ad rite intelligendum præsens responsum constanter præ oculis habendæ sunt notiones supra expositæ, p. 127 ss.

(3) Quæstio de conscientia vincibiliter erronea est materia in cujus intelligentia magnum et legitimum progressum admittere cogetur quisquis dicta veterum scholasticorum cum recentiorum explicationibus contulerit, ut ait Bouquillon, *o. c.*, p. 247. Circa hunc progressum lege etiam Ill. ac Rev. Waffelaert, *De dubio solvendo*, p. 49 ss.; *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, v° Probabilisme, partie historique (J. De Blic).

VI.

De piis fundationibus.

Q. *Determina obligationes parochorum circa pias fundationes.*

R. Secundum codicem juris canonici *fundatio* est « *bonum temporale* alicui personæ morali in Ecclesia quoquo modo datum, *cum onere* in perpetuum vel in diuturnum tempus *ex reditibus annuis* aliquas missas celebrandi, vel alias præfinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi » (1).

Igitur in præcitato textu, et in aliis canonibus codicis, fundatio sumitur *objective*, pro bono temporali quod datur ut onera expleantur ; non sumitur subjective pro actione dandi vel statuendi.

Porro, loquendo de fundatione in sensu objectivo, obligationes parochorum ad tria capita reduci possunt :

1° ad acceptationem et conservationem boni temporalis ;

2° ad exsecutionem onerum ;

3° ad reparationem si alterutri ex prædictis obligationibus non fuerit satisfactum.

Ad conspectum completum tradendum oporteret ad invicem conferre præscriptiones juris tum canonici, tum civilis (2); siquidem in nostra regione, uti notum est, plures præscriptiones juris civilis in hac materia ecclesiastica ser-

---

(1) Can. 1544.

(2) Ita determinat *Conc. Mechlin.*, tit. XV, n. 236 : « In iis quæ administrationis temporalis sunt bonorum ecclesiasticorum, formæ et leges civiles apud nos vigentes serventur ». — « In omnibus quæ ad administrationem piarum fundationum spectant, sicut et in cæteris, parochus munera consilii fabricæ ne prætereat, nec ejus jura sibi exclusive vindicet ». *Ibid.*, n. 238.

vandæ sunt. Ab his tamen pro momento abstrahimus (1).

1° *Quoad acceptationem et conservationem fundationis.*

a/ Fundationes debent *acceptari* ab iis quorum interest, scil. ab administratoribus instituti cui applicantur, obtento *prævio* consensu Ordinarii loci, in scriptis dato.

Ut autem Ordinarius possit consensum suum præbere, oportet prius legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum antiquis jam susceptis satisfacere posse, et constiterit ipsi « reditus omnino respondere oneribus adjunctis secundum diœcesis morem » (2).

Inde parochi in petendo consensu accurate determinare debent: α/ quænam bona mobilia vel immobilia constituant fundationem; β/ quinam prævideantur ejus annui reditus; γ/ quænam sint onera ex voluntate fundatoris adnexa.

b/ Cum hæc bona, ratione finis cui inservire debent, sint *conservanda*, parochus, dum petit consensum Ordinarii pro fundationis acceptatione, simul indicabit modum quo intendit pecuniam et bona mobilia, dotationis nomine assignata, in loco tuto collocare. Nam et ipse modus conservandi illa bona ab Ordinario loci est determinandus vel saltem approbandus (3).

c/ Parochus tenetur sese conformare regulis de fructibus fundationum rite distribuendis ab episcopo statutis (4).

2° *Quoad exsecutionem onerum.*

Parocho competit jus incumbitque officium exonerandi fundationes, quæ in ecclesia parœciali existunt (5).

Circa hanc exonerationem varia attendenda veniunt :

---

(1) Cfr A. De Meester, *Compendium juris canonici*, ed. 8ª, II, n. 888, p. 266. — Formalités à observer par les fabriques d'églises pour recevoir des fondations dans: *La sépulture et les fabriques d'églises*, n. 216, p. 322.

(2) Can. 1546.

(3) Can. 1547.

(4) Can. 1545.

(5) Nisi ex voluntate fundatoris alius sacerdos pro exoneratione fuerit indicatus.

a/ Onera exsequenda sunt *ex reditibus annuis* fundationis *cui inhærent;* non ex aliis pecuniis, *sive* quæ offeruntur (zegenpenningen, schalen), quia oblata semper adhiberi debent secundum intentionem offerentium (1), *sive* quæ ad alias fundationes pertinent, quia singulæ fundationes ad propria onera *exclusive* inservire debent.

b/ Onera omnia et singula, non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, qualia fuerunt et a fundatore determinata, et a persona morali ecclesiastica acceptata, accurate exsequenda sunt, secundum omnia adjuncta temporis, loci et cæremoniarum, salvis tamen rubricis. Nec aliquid circa illa potest parochus immutare (2).

c/ Ut fundationes rite serventur, et simul de adimpletione onerum apprime constet, tenetur parochus :

α/ Conficere tabellam in qua accurate describantur tum *fundationes singulæ*, h. e. bona temporalia (sive mobilia, sive immobilia), tum *annui reditus* singularum fundationum, tum *onera* inhærentia fundationibus. Alterum illius tabellæ exemplar ad curiam episcopalem est transmittendum (3).

β/ Conficere alteram tabellam omnium onerum in ecclesia parœciali ex fundationibus incumbentium. Hæc servari debet apud rectorem (4).

---

(1) Notandum est omnino oblata, ad *diversos* scopos facta, distincte esse servanda, et semper adhibenda secundum intentionem dantium, nec posse misceri in unum thesaurum ad bona opera in genere.

(2) Si modus a fundatore præscriptus sine gravi incommodo servari nequeat, potest episcopus potestate sua ordinaria indulgere ut modus quoad *altare, horam* et *diem* exonerationis immutetur, dummodo indulgentia sit incommodo proportionata tunc enim voluntas fundatoris potius *interpretatur,* quam in ea dispensat. Cfr A. Demeester, *o. c.*, II, n. 890.

(3) Can. 1548. De *jure particulari* insuper statuitur obligatio conficiendi registrum fundationum in quo *tituli originales* singularum fundationum fideliter sunt describendi et *reductiones*, si quæ factæ sint, in extenso adnotandæ. Cfr *Decret. VIII Congr. Prosyn.*, a. 1910, apud *Collat. Brugen.*, XV, p. 326.

(4) Can. 1549, § 2. De *jure particulari* imponitur parochis obligatio *in sacristia* affigendi elenchum onerum fundationum annue exoneran-

γ/ Retinere et apud se servare librum (præter librum de missis manualibus, de quo can. 843, § 1), in quo singula onera perpetua et temporaria, eorumque *implementum*, et *eleemosynæ* adnotentur (1).

δ/ De hac exoneratione, simul ac de fundationum recta administratione, singulis annis exactam rationem reddere Ordinario loci (2).

3° *Quoad reparationem si alterutri ex prædictis obligationibus non fuerit satisfactum:*

a/ Si parochus detegit omnia vel quædam onera fundationis non fuisse executioni mandata, tenetur ad illa exsequenda; non enim cessant solo lapsu temporis, nec præscriptione, quia vetat naturalis æquitas quominus præscriptio currat contra non valentem agere (3).

b/ Si bonum temporale, quod est fundatio, fuerit omissum absque ulla culpa aut negligentia illorum quibus incumbit administratio fundationum, nec recuperari possit, tunc cessat obligatio onerum exsequendorum. Sed si bonum illud adhibitum fuerit in alios usus, v. g. in constructionem ecclesiæ, tunc aliud « capitale » est constituendum ut ex ejus annuis reditibus onera executioni mandentur (4).

---

dorum, cum die singulis oneribus assignata. Cfr *Collect. epist. past.*, I, p. 168.

(1) Can. 1549, § 1.

(2) Can. 1525 et 1549, § 2.

(3) Cfr Wernz, III, n. 206. — A. De Meester, *o. c.*, n. 892. Super his omissionibus tamen a R. Pontifice posset obtineri condonatio.

(4) Juvat hic quædam notabilia addere *de reductione onerum* inhærentium fundationibus, quæ hodie sæpe sæpius necessaria evadit. (Non recte dicitur reductio fundationum).

Episcopi Belgii, die 14ª decembris 1919, a S. Pontifice acceperunt pro uno quinquennio facultatem reducendi onera missarum legatis aut piis fundationibus inhærentium (cfr *Collat. Brugen.*, XX, p. 129). Illa igitur facultas valet usque ad 14ªm decembris 1924. Præterea inter facultates quinquennales concessas Episcopo Brugensi, die 16ª septembris 1923, habetur etiam facultas ad quinquennium duratura, « ut episcopus ipsa missarum onera in expositis adjunctis, et quoties nemo sit qui ad eleemosynæ supplementum de jure teneatur et utiliter cogi

c/ Si parochus detegit fundationem culpabili prædecessoris sui negligentia periisse, tenetur, salvo recursu suo ad eos quorum interesse possit, curare pro posse ut novum « capitale » constituatur ad onera prædictæ fundationis exsequenda.

In dubio autem aut casu difficiliori consulatur Ordinarius, ne incuria nostra bona ecclesiastica depereant, et fideles defuncti frustrentur beneficio piarum voluntatum suarum.

J. Brys.

---

queat, per quinquennium reducere valeat ad rationem eleemosynæ in diœcesi legitime vigentis, sub lege ut de Missarum sic reductarum adimplemento curiam quotannis docere singuli teneantur indultarii ».

Practice ideo, si agatur *de reductione* obtinenda, tota res est episcopo exponenda. Parochus hanc petens debet indicare, quantum fieri potest, *onera et annuos reditus uniuscujusque fundationis*, nam reductio onerum determinari debet secundum illos reditus. Si reditus adaucti sunt, quod sæpe accidit heic post bellum quando fundationes sunt bona immobilia, tunc sæpe non datur ratio sufficiens reductionis, sed onera conservanda sunt, aucta taxa secundum novum tariffum. Non igitur sufficit ut indicetur summa, quæ hucusque solvebatur ad exsequenda onera. Requiritur semper ut tariffus approbatus sit priusquam statuatur reductio.

Servandum est etiam *genus* onerum v. g. quando agitur de missis fundatis lectis, servandæ sunt missæ lectæ, nec illis substitui potest numerus minor missarum cantatarum. Quando missæ fundatæ sunt cantandæ absque *assistentibus* (diacono et subdiacono) non potest illis substitui numerus missarum cum assistentibus.

De oratione deprecativa in Breviario.

PRÆNOTANDA.

Sicut in conventibus quos in synagogis celebrabant Judæi, ita etiam in cœtibus liturgicis quos pluries in hebdomada habere solebant primi christiani, cantabantur psalmi, instituebantur lectiones et recitabantur orationes. Agens de facto quod accidit « in ecclesia inter dominica sollemnia » scribit Tertullianus: « prout scripturæ *leguntur*, aut *psalmi canuntur*, aut allocutiones proferuntur, aut *petitiones* deleguntur » (1). Et Didascalia Syriaca sœc. III hortatur fideles ut in nocte Paschatis vigilent totam noctem *precantes et orantes* et *legentes* Prophetas et Evangelium et *Psalmos* » (2). Unde Nicetas, episcopus in Remesiana, vertente sæculo IV laudat vigilias « *orationibus*, *hymnis*, *lectionibus* fecundas » (3). « Quid hac utilitate commodius, quid hac delectatione jucundius? Nam et *psalmis* delectamur, et *orationibus* rigamur et interpositis *lectionibus* pascimur... Auditori quidem *oratio* ipsa fit pinguior, dum mens recenti *lectione* saginata per divinarum rerum quas nuper audivit imagines currit » (4). Quam vere et quam pulchre dictum!

Psalmodia, lectio, deprecatio: tria hæc elementa hodiedum servata nobis sunt, non solum in missa catechumenorum (ubi et allocutio seu homilia fit) sed etiam in officio canonico quotidiano, cujus exstant partes consti-

---

(1) *De anima*, 9.

(2) Didasc. V, XIX, 1, ap. X. FUNK, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum*, Paderborn, 1896, t. I, p. 288.

(3) *De vigiliis*, I, ed. C. H. Turner, (ap. Journal of theological studies, XXII (1921) p. 206).

(4) *De psalmodiæ bono* seu *de utilitate hymnorum*, ed. C. H. Turner (Ibid., XXIV (1923) p. 239) cf. n. XIII.

tutivæ. Qualemcumque enim horam inspiciamus — si a minoribus quibusdam recentioribusque additamentis abstrahamus — apparet universim 1° cantandam esse seriem psalmorum cum suis antiphonis, 2° legendas esse (cum suis responsoriis) lectiones vel longiores in matutino, vel breviores seu capitula per diem; 3° recitandas esse diversas orationes deprecativas.

Sed psalmi, eisque adjuncta cantica et hymni, si universim spectentur, celebrant potissimum Deum, ejusque infinitam excellentiam, divinaque attributa, opera et beneficia erga homines, adeo ut præprimis ordinentur, sicut nomen psalmorum hebraicum (Tehellim = laudes) indicat, ordinentur *ad laudem Dei;* lectiones vero sacræ et piæ natura sua tendunt *ad nostram instructionem* ut doceant nos veritates fidei et inculcent præcepta vitæ christianæ et perfectæ; orationes tandem strictiori sensu seu deprecativæ petunt et obtinent nobis *gratiam divinam* ut Deum digne laudare valeamus et vitam ducere sanctam.

Deum laudare, Deo servire, et ad hoc Dei auxilium efflagitare: nonne in his tribus habemus plenissimam ordinationem vitæ vere christianæ imo et perfectæ? Et hæc omnia continuo ad manum habemus in nostro breviario. Verissime dicunt auctores ascetici: « parvo pondere magna vehis ». Sed eheu! illa omnia tam imperfecte intelligimus, quia solemus tam parum attendere! Qua de re perbelle scribit S. Joannes Chrysostomus de psalmo 140 qui quotidie recitabatur ad vesperas: « Vos qui ab ineunte ætate ad extremam usque senectutem psalmum hunc meditamini, nihil aliud quam verba perpetuo tenetis, et *absconso thesauro assidetis,* et *obsignatam crumenam* [bursam] *circumfertis* et nec curiositate incitatus est quispiam ut disceret quid est quod dicitur » (1)! Non inutile igitur erit paucis indigitare sensum eorum quæ in officio quotidiano *ad orationem* pertinent.

---

(1) *Expositio in psalmum* 140, n. 1.

Oratio prout sumitur sensu consueto, ut est deprecativa et definiri solet petitio decentium a Deo, etiam in psalmodia et inter lectiones identidem occurrit, v. g. in quibusdam psalmis et antiphonis, in benedictionibus et nonnullis responsoriis. Locus tamen proprius in quo ad singulas horas colliguntur orationes deprecativæ solet esse: a) *ad initium horarum,* ad petendam gratiam pie persolvendi Deo horam subsequentem; b) potissimum *in fine horarum* ut ex officio recitato fructus colligamus quibus Deo fideliter servire valeamus.

§ I. Preces introductoriæ.

Omnis sufficientia nostra etiam ad orandum ex Deo est. Merito ergo ante orationem publicam docet et jubet nos Ecclesia petere *gratiam bene orandi.*

Invaluit universim pius usus ex libera devótione recitandi, *ante* officium proprie canonicum, pulcherrimam orationem *Aperi Domine,* quam Revd^mus^ D. Episcopus nuper commendavit et commentatus est (1) et in qua petimus dispositiones ad sancte orandum.

Præscripsit Pius V in reformatione breviarii ut ad initium horarum recitaretur *Pater* et *Ave*, vel et *Credo*, juxta usum qui antea paulatim invaluerat et cujus priora testimonia occurrunt sæc. octavo, saltem quoad orationem dominicam et Symbolum.

Sed ab antiquis, ad initium cujusque horæ, dicebatur versus: *Deus in adjutorium meum intende.* R. *Domine ad adjuvandum me festina.* Hanc invocationis formulam antiqui maximi faciebant; fusam et eximiam præ ceteris habet Cassianus hujus orationis commendationem, quam celebrat ut orationem jaculatoriam ad praxim « orationis perpetuæ » diu noctuque adhibendam, in omni tentatione aut periculo, in quibusvis lætis aut

(1) In oratione prosynodali anni 1922, ap. *Collat. Brugen.*, XXII, 269.

tristibus vitæ adjunctis et signanter ante omne opus aut orationis exercitium (1).

Ingens fuit Cassiani librorum influxus in monachos Occidentis. Unde, ait Cassiodorus, « quidquid monachi assumpserint, sine *hujus versiculi trina iteratione* non inchoent » (2). Et hæc praxis nobis asservata est ad Primam, in officio capituli. Hodiedum enim, ad initium precum quæ recitantur ad petendum auxilium divinum in opera diei, ter repetitur versiculus *Deus in adjutorium* (3).

Eamdem invocationem præscribit S. Benedictus in Regulæ suæ capite XVIII, dicendam ad initium diversarum horarum, ita tamen ut ad Matutinum videatur locum cedere alii versui: *Domine, labia mea aperies...* ter etiam repetendo. Exinde, ut videtur, transiit in officia alia, notatim in Romanum (4), in quo usque in hodiernum diem recitamus eumdem versum ad initium singularum horarum ut cum Dei adjutorio digne attente ac devote subsequentem horam recitare valeamus (5).

Est autem illa invocatio versiculus initialis psalmi LXIX, qui totus est oratio fiducialis ad Deum, ad obtinendam

---

(1) « Hic namque versiculus non immerito de toto scripturarum excerptus est instrumento. Recipit enim omnes affectus quicumque inferri humanæ possunt naturæ, et ad omnem statum atque universos incursus proprie satis et competenter aptatur ». J. Cassianus, *Collatione X, de oratione*, n. 10 (MPL, t. 49, c. 842).

(2) *In psalm. 69.*

(3) Ad hunc versum alludit S. Cæsarius qui incipit suam Regulam « *cum Dei adjutorio* psallite sapienter », quique hanc locutionem sæpissime adhibet in suis sermonibus. Regula S. Columbani injungit eamdem invocationem ter in silentio repetendam post singulos psalmos nocturnos (*Reg.* c. 10).

(4) Cf. v. g. fragmenta scriptoris Anonymi a Gerberto edita, apud P. Batiffol, *Hist. du Bréviaire*, p. 174 (s. viii); Amalarius, *De eccl. off.* IV, c. 11. Non videntur tamen hi scriptores admittere prædictum versum ad matutinum.

(5) Huic versui similis est alius: V. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* R. *Qui fecit cœlum et terram.* Frequens est etiam hujus versus usus ad initium alicujus ritus specialis, v. g. ante *Confiteor* tum in missa quam in precibus Primæ aut in Completorio; ad initium benedictionum, etc.; de quibus vide *Collat. Brugen.* t. XVI, 216-221.

liberationem a malis innumeris quæ ab inimicis inferuntur. Unde factum est ut sæc. VIII, in quibusdam ecclesiis, v. g. juxta regulam S. Chrodegangi, c. 14, recitaretur psalmus integer ante Matutinum. Hunc fuisse usum primitivum censent quidam, ut olim Grancolas et hodie Ill. D. Batiffol. Sed huic hypothesi obstare nobis videntur textus supra citati, e quibus elucet sæculis anterioribus præcipuum rei momentum positum fuisse in prælaudato versiculo initiali.

Huic orationi qua petitur gratia bene orandi, subjungitur doxologia consueta minor *Gloria Patri*... ut tota recitatio horæ subsequentis recta intentione dirigatur in finem operis, in glorificationem SS Trinitatis. Paucis igitur verbis tam concinne exprimitur et inculcatur duplex animi dispositio maxime necessaria : humilis petitio gratiæ, simplex directio intentionis in Deum!

Ad initium matutini, utrique formulæ præmittitur V. *Domine, labia mea aperies;* R. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.* Ob gratiam specialem quam petit, dicitur ille *versus apertionis* (1), quia rumpebat magnum silentium quod per totam noctem in monasteriis strictius erat servandum, quodque inductum fuerat in fine completorii diei præcedentis per ultimum versum, qui dicebatur *versus clusor* (2). « Quando pridie in nocte conventi fuimus, ait Amalarius (3), commendavimus nos Domino et conclusimus ora, atque post singuli quasi quodammodo in singulis sepulcris quievimus et soli Domino mente astitimus, cui non sunt verba necessaria quia omnes cogitationes novit; at nunc, quia iterum convenimus ad confitendum Domino, precamur eum ut sua directione labia nostra aperiat et ad laudem suam os nostrum fatiscat ».

---

(1) *Magistri Regula*, c. 44 (MPL, 88, 1006). Incerti auctoris sæc. VII.

(2) *Ibid.* c. 37. Ultimus ille versus Completorii erat: *Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis (Ibid.* cap. 30, quod inscribitur: *Post completorium neminem debere loqui).* Cf. Anonymus sæc. VIII cit. ap. Batiff. *o. c.*, p. 174.

(3) *De eccles. offic.* l. IV, c. 9.

Omnem gratiam meruit nobis Christus per sacrificium *crucis*. Ut doceat igitur petere gratiam bene orandi per merita crucis Domini, vult Ecclesia ut recitantes præfatas invocationes, muniamur nos salutari signo. Usus primitivus erat imprimendi signum crucis absque formula speciali præsertim in fronte, interdum in ore aut in pectore. Verba Domine *labia mea* aperies, et *os meum*... sponte signum crucis ad os attraxerunt. Postea invaluit usus ut fieret signum crucis ut hodie solemus illud facere, vel ad prima verba alicujus ritus sicut solemus facere ad introitum, aut ad verba *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, aut ut ad initium horarum, ad verba *Deus in adjutorium meum intende* (1).

§ II. Preces ad complendum.

1. In unoquoque nocturno « post psalmos absolutos », recitatur *Pater noster* et *Absolutio;* quod est forte vestigium antiquissimi usus, quando nondum regulariter adjunctæ erant lectiones in officio romano.

2. Præcipue in fine horarum dicuntur, ad colligendos fructus operis Dei peracti, variæ orationes quæ successive complectuntur: a) *versum* qui excitet attentionem ad objectum officii et animam præparat ad orationem; b) *preces* seu antiqua oratio litanica pro diversis objectis, quæ semper incipiunt a *Kyrie*, cum *Pater noster* vel et *Credo*, et comprehendunt seriem versiculorum qui ducunt ad c) *Orationem* officio propriam seu collectam diei, (cui accedere possunt *Commemorationes speciales* officiorum occurrentium et Commemoratio communis seu *Suffragium*) cum versibus finalibus. d) Tandem posteriori ævo accesserunt oratio pro defunctis, *Pater noster*, petitio pacis et aliqua *Antiphona finalis* in honorem B. Mariæ Virginis.

De singulis agemus.

---

(1) Cf. C. Callewaert, *Cæremoniale in missa servandum*, 1922, n. 61 ss.

1. Absolutio.

Absolutio est brevis quædam oratio deprecationis una cum Oratione Dominica recitanda ad finem seu absolutionem — inde ratio nominis (1) — psalmorum cujusque nocturni.

Sicut olim monachi Ægyptii cantabant « psalmos orationum interjectione distinctos » (2), dum alii sane, juxta consilium S. Ambrosii (3), post psalmos repetebant orationem Dominicam, ita etiam postea factum est ad absolvendum singulos nocturnos. Scribit enim s. IX Amalarius: « quod nos Galli, finitis psalmis nocturnalibus solemus cantare orationem Dominicam, Romana ecclesia prætermittit » (4) « sed dicunt aliquod capitulum tale quale istud est: *Intercedente beato principe apostolorum Petro, salvet et custodiat nos Dominus* » (5). Postea vero uterque usus, romanus et gallicanus, commixtus est; et hodie dicimus primo *Pater noster*, et deinde Absolutionem, quæ diversa est pro unoquoque nocturno. Non itaque connectitur absolutio cum subsequentibus benedictionibus aut lectionibus ad quas nulla absolutionis formula alludit. Ideo etiam tam absolutio quam oratio dominica dicitur choro stante et converso non ad lectorem sed ad altare.

(Continuabitur) C. Callewaert.

---

(1) J. Grancolas, *o. c.*, c. XXXI. Eadem ratione nuncupatur *Absolutio pro defunctis*, et dicit rubrica Breviarii ad Primam: « ad *absolutionem* capituli » h. e. ad finem conventus in capitulo. Ne itaque longius quæratur ratio nominis in « absolutione » quam petit *una* ex formulis hodie adhibitis: « a vinculis peccatorum *absolvat* nos omnipotens et misericors Dominus ».

(2) J. Cassianus, *De inst. cœnob.*, II, 5 ss. (MPL, 49, 88; 91). Supersunt quædam, « psalteria cum orationibus interiectis » in quibus unumquemque psalmum sequitur oratio aliqua, ut apud Thomasium, t. II.

(3) S. Ambros., *De virginibus* III, 4, 19; « psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice ». Absolutio tamen hoc sensu vocatur formula quæ sequitur *Confiteor*.

(4) Amalarius, *De eccl. off.* III, 6 (MPL, 105, 1114). Usus gallicanus dicendi tantum *Pater noster* servatur in officio defunctorum et Tenebrarum majoris hebdomadæ (BRG, xxv, 1).

(5) Amalarius, *De ord. antiph.*, *Prolog.* (MPL, 105, 1246).

Acta SS. Congregationum.

E Supr. S. Congr. S. Officii.

SUBMISSIONIS DECLARATIO (1).

RR. PP. A. Brassac et J. Ducher decreto Supremæ Sacræ Congregationis Sancti Officii, feria IV die 12 decembris superioris anni 1923 edito, quo proscriptum fuit mandatumque ut in Indicem librorum prohibitorum referretur opus cui titulus: *Manuel biblique ou Cours d'Écriture Sainte à l'usage des Séminaires*, etc., se subiecerunt ac damnatum illud opus reprobarunt. *

Datum Romæ, ex ædibus S. Officii, die 12 martii 1924.

Aloisius Castellano, *Supremæ S. C. S. O. Notarius.*

* Circa hanc declarationem hæc scribit R. P. Superior Generalis Societatis S. Sulpitii, H. Garriquet:

« Je renouvelle à Votre Sainteté le témoignage de « soumission complète, filiale, confiante, exprimé par « mes deux confrères, MM. Brassac et Ducher, au sujet « de la décision du Saint-Office sur le *Manuel Biblique*. « Nous ne faisons dans notre adhésion ni restriction ni « réserve, en exprimant le vœu que Votre Sainteté y « reconnaisse la sincérité de notre obéissance. Nous ferons « dans le même sens l'éducation de nos Séminaristes, « pour qu'ils apprennent de nous comment et de quel « cœur ils doivent toujours suivre, coûte que coûte, la « direction du Saint-Siège ».

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 160.

E S. Congr. de Religiosis.

I.

DUBIUM

DE SUPERIORIBUS DOMORUM FILIALIUM (1).

Cum in aliquibus Ordinibus aut Congregationibus Religiosis extent Domus *stricte filiales*, quæ videlicet non constituunt propriam Communitatem nec bona propria possident, sed sunt quasi membra Domus maioris, a qua omnimode dependent et reguntur a Superiore delegato *ad nutum* Superioris, qui totam gubernat Communitatem et residet in Domo maiore, propositum fuit dubium: « An Superiores Domorum *stricte filialium*, de quibus « agitur, qui sunt simplices delegati *ad nutum* Superioris « Domus matricis, veniant sub nomine Superioris localis « ad sensum Codicis iuris canonici ».

Sacra Congregatio de Religiosis, exquisito voto plurium Revmorum Consultorum, rem definiendam Emis Patribus proposuit, qui, in plenario Cœtu habito ad Vaticanum die 30 novembris 1923, re mature perpensa, respondendum censuerunt: *Negative; et ad mentem.*

Mens autem est ut in revisione Constitutionum singulorum Ordinum aut Congregationum ad Codicem conformatarum, apposite provideatur per applicationem eorum canonum qui circa relationes inter subditos et præpositos pressius versantur, prout in singulis casibus opportunum iudicabitur.

Facta autem de prædictis relatione Ssmo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Secretario, die 5 decembris eiusdem anni, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum in omnibus approbare et confirmare dignata est, et publici iuris fieri mandavit.

Datum Romæ, ex Secretaria Sacræ Congregationis de Religiosis, die prima februarii 1924.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 95 s.

II.

DUBIUM

CIRCA DOTEM RELIGIOSARUM (1).

Ad normam cann. 551 et 643 Religiosa professa, e Religione egrediens aut ex eadem dimissa, si quidem dotem attulerit, eam, absque fructibus iam maturis, recipiendi ius habet; sin vero fuerit sine dote recepta, nec ex propriis bonis sibi providere possit, caritativum quoddam subsidium illi suppeditandum est a Religione.

Contingit vero, ut exstent Religiones aut Monasteria, in quibus dos allata efferat pecuniæ summam satis exiguam, atque adeo Religiosa discedens multo minus obtineat ex debita dotis restitutione quam aliter ipsi, si absque dote fuisset recepta, ex caritate esset suppeditandum.

Cum id omnino alienum a mente Legislatoris videatur, quem certo constat voluisse Religiosæ discedenti iri provisum de iis omnibus quæ requiruntur, ut ipsa, modo tuto ac convenienti, domum redeat ac per aliquod tempus vivere possit, quæritur:

« Utrum Religio, in qua dos non pertingit ad rationa-
« bilem subsidii caritativi æstimationem, omni obliga-
« tione erga Religiosam discedentem liberetur ex simplici
« dotis restitutione, an e contrario supplere teneatur id
« quod, iuxta can. 643 § 2, defecerit ad æquum subsidium
« caritativum constituendum? ».

Sacra Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit, prout respondet: « *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam; facto « verbo cum Sanctissimo ».

Facta autem de prædictis relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio div. Prov. PP. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Secretario die 2 martii 1924, Sanctitas Sua resolutionem Sacræ Congregationis approbavit et confirmavit.

Datum Romæ, ex Secretaria Sacræ Congregationis de Religiosis, die, mense et anno prædictis.

C. Card. Laurenti, *Præfectus*.

L. † S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius*.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 165 s.

E S. Congr. Rituum.

PLURIUM DIŒCESIUM

DE VEXILLIS IN ECCLESIA ADMITTENDIS VEL BENEDICENDIS (1).

Postulantibus nonnullis locorum Rmis Ordinariis a Sacra Rituum Congregatione aliquam normam seu Instructionem circa vexilla in ecclesiis admittenda vel benedicenda, Sacra Rituum Congregatio, audito etiam specialis Commissionis suffragio, rescribendum censuit: « Ad mentem ».

Mens est: « Quando insignia seu vexilla non pertineant « ad Societates religioni catholicæ manifeste contrarias, « nec reprobata sint harum statuta, neque ipsa insignia « seu vexilla aliquod emblema de se vetitum ac reproba- « tum præseferant, in ecclesiis admitti possunt. Quum « vero in favorem et obsequium eiusdem religionis « catholicæ pacifice postuletur supradictorum insignium « seu vexillorum benedictio, hæc concedi potest, adhibita « formula *Ritualis Romani* ». Atque ita rescripsit. Die 15 decembris 1922.

Hanc peculiarem Instructionem, ut ipsa cunctis locorum Ordinariis innotescat, Sacra eadem Congregatio evulgandam duxit, die 26 martii 1924.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. Præfectus.

L. † S. Alexander Verde, *Secretarius.*

Pontificia Commissio

AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS (2).

I.

DUBIUM

CIRCA VERSIONES SACRARUM SCRIPTURARUM (can. 1391).

Utrum particula *et* canonis 1391, quo præscribitur: « Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernacu-

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 171.
(2) *Ibidem*, p. 115 s. et vide *Collat. Brugen.*, h. t., p. 172 s.

« lam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolica « probatæ, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum « *et* cum adnotationibus », etc., interpretanda sit copulative an disiunctive?

Resp.: Affirmative ad 1am partem; *negative* ad 2am.

Die 20 maii 1923.

P. Card. Gasparri, *Præses.*
Aloisius Sincero, *Secretarius.*

II.

DUBIUM

SOLUTUM AB EMO CARDINALI COMMISSIONIS PRÆSIDE.

Utrum per can. 824, § 2 Codicis abrogata censeri debeant ea, quæ S. C. Concilii statuerat sub die 15 octobris 1915 in responsione ad III, de retributione non recipienda ne ratione quidem extrinseci incommodi in secunda et tertia Missa in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; an vero ea adhuc in suo vigore permaneant.

Resp. *Affirmative* ad 1am partem; *negative* ad 2am.

Die 13 dec. 1923.

P. Card. Gasparri, *Præses.*

Notæ Bibliographicæ

Grammatica, Al. *Bibliorum sacrorum juxta Vulgatam clementinam nova editio, breviario perpetuo et concordantiis aucta, adnotatis etiam locis qui in monumentis fidei sollemnioribus et in liturgia romana usurpari consueverunt.* Taurini, Marietti, 1922. — In 8, XVI-1152-24* p. — Pr. 40 lib. ital.

Norunt omnes ad Vulgatam edendam nullum editori catholico præsto esse textum præter illum qui anno 1592 typis Vaticani, Clemente VIII auctore, prodiit. Qui idem Pontifex prohibuit ne in novis editionibus — præter mendas typographicas — minima particula de illo textu officiali mutaretur, adderetur aut detraheretur. Æstimat autem cl. auctor hanc prohibitionem posse intelligi de illis omnibus quæ in textu sacro vere, ut dicitur, substantialia essent: verba nempe, verborum ordinem eaque adjuncta quæ utcumque Scripturæ Sacræ significationem vimque attingerent; — non autem de illis quæ minimi momenti et mere accidentalia viderentur, et quæ sive ad orthographiam, sive ad genus interpunctionis spectarent, — neque etiam de illis quæ diversorum temporum usibus aptarentur vel a legibus philologiæ penderent.

Hisce inhærens non pauca A. in hac nova Vulgatæ editione retractavit: studuit ut eadem vocabula eodem semper modo scriberentur; formas vocabulorum obsoletas vel utcumque improbandas mutavit; usum litterarum majuscularum in textu Clementino nonraro perperam adhibitarum, retractavit. — Ad *interpunctionem* quod pertinet mens A. fuit ea signa quæ sensum definiunt et adhuc in usu sunt non mutare, sed ea mutare quæ hodie jam non eamdem vim ac a. 1592 præ se ferunt, item ea quæ minime regularia vel omnino superflua apparent. — Item textum in certas pericopas, nova linea inchoatas, dividit, prout ordo sententiarum id postulabat, hac in re cæteroquin editionibus hebraicis, latinis vel græcis antiquioribus sæpius inhærens. — Libros poëticos pericopasque poëticas per versus descripsit, — etc.

Hæc quidem optimo fine tentata fuisse, et talia esse quæ editionem hanc aliis præstantiorem faciant, nemo non videt. Unum forte timendum, ne nimirum, quantumvis vetus illa interpunctio vitiis laborare potuerit, nova assumpta, præter mentem auctoris, revera *sensum* attingat eumque non juxta omnium placita certo quodam definiat. Quod ut exemplo pateat: *Jo.*, I, 3 s., sic legitur in editione Clementina: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat*, etc. (notentur omnes virgulæ). Notum est hunc textum vario modo ab exegetis intelligi (cfr *Collat. Brug*, t. XX (1920), pp. 450); quæ omnes interpretationes cum interpunctione Clementina compossibiles sunt (v. ibid.). Porro una saltem est interpretatio, eaque non paucorum auctorum, quam interpunctio ab A. admissa excludit;

scribit enim: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est*; (notetur punctum cum virgula) *in ipso vita erat...*: hæc interpunctio impedit ne aliquis intelligat: *In ipso quod factum est*, in mundo quem Verbum creaverat, *erat vita...*

Desnoyers, L. *Histoire du peuple Hébreu des Juges à la captivité.* Tome Ier: *La période des Juges.* Bruges, Desclée, De Brouwer & Cie, 1922. — In 8, LXVI-431 p., 2 cartes. — Pr. 20 fr.

Voici un ouvrage que nous osons chaudement recommander à nos lecteurs, et qui fait bien augurer des trois autres volumes qui compléteront la série. L'auteur, bien au courant des différentes questions qu'il traite, a eu l'heureuse idée de séparer l'exposé historique — exposé on ne peut plus captivant, qu'on lirait presque à la façon d'un roman moderne — et les discussions scientifiques, aussi riches qu'intéressantes, qui sont reléguées en note au bas des pages. Nous croyons que la lecture de cet ouvrage sera pour beaucoup une vraie révélation sur la période d'ailleurs si obscure et si peu connue qui fut la période des Juges.

Delatte, D. Paul. *L'Évangile de Notre-Seigneur Jésus-Christ, le Fils de Dieu.* Tours, Mame, 1922. — In 8, 506-384 p. — Pr. 30 fr.

Destiné avant tout à fournir un thème de méditation et une nourriture spirituelle aux âmes, cet ouvrage aura certainement déjà rendu et rendra encore d'éminents services. Le texte des quatre évangiles est donné intégralement et découpé en courtes sections, suivies d'un commentaire avant tout doctrinal et de pieuses considérations. On a fait remarquer (*Rev. Apol.*, 1922, t. XXXV, pp. 182 s.) au point de vue critique que l'auteur n'aurait pas toujours réussi à trouver l'ordre historique dans lequel les différentes sections doivent se succéder, et qu'il aurait trop facilement dédoublé les faits ou les sermons du Christ rapportés dans une forme plus ou moins différente par les différents Evangiles. Mais la critique, peut-elle se vanter d'avoir établi un ordre chronologique qui doive s'imposer certainement? Et peut-il paraître douteux que, pour ce qui regarde l'enseignement, le Christ a bien souvent, soit devant le même auditoire, soit à plus forte raison, devant un auditoire différent, enseigné les mêmes points de doctrine ?

Les épîtres de saint Paul replacées dans le milieu historiques des Actes des Apôtres et commentées par un moine Bénédictin de la Congrégation de France [**Delatte, D. Paul**]. Esschen (Belgique), Impr.-Libr. St Alphonse, 1923. — In 8, 404 p.

Cet ouvrage fait naturellement suite au commentaire sur l'Evangile que nous annoncions plus haut. Il est d'ailleurs conçu dans le même

esprit et disposé d'après une méthode identique. Le présent volume, qui devra être suivi de plusieurs autres, comprend les chapîtres I à XIX, 20 des Actes, ainsi que les deux épîtres aux Thessaloniciens et la 1re aux Corinthiens. L'auteur se soucie bien peu des multiples questions débattues au sujet des différents faits qui remplissent cette période de l'Église primitive; le but qu'il poursuit pouvait l'en dispenser; il n'empêche qu'on aurait été heureux de voir renseigner, ne fût-ce qu'en note au bas des pages, l'existence de ces controverses et les principales solutions qui y sont données. — Nous recommandons cet ouvrage au même titre que le précédent.

A. Vander Heeren.

Thomæ Hemerken a Kempis. *Opera omnia.* Vol. VII ed. M. J. Pohl, Friburgi-Brisgoviæ, Herder, 1922. — In 12, VI-621 p.

Ecce feliciter consummata editio critica operum omnium Thomæ nostri Kempensis. Complectitur hoc volumen alteram partem tractatuum historicorum, nim. 1o Dialogum noviciorum in quatuor partes distinctum 1. de contemptu mundi, 2. vita Gerardi Magni, 3. vita Domini Florentii, 4. vitæ discipulorum Florentii; 2o Chronicam montis s. Agnetis. Unum tantum optamus ut per Deum liceat grandævo auctori (87 annorum) mox in lucem edere ultimum volumen operis sui: *De Thomæ Hemerken a Kempis vita et scriptis*, in quo vindicabit contra antiquos et modernos contradictores Imitationem Christi nulli alii nisi Thomæ a Kempis adscribi rationabiliter posse. Hoc totum opus erit monumentum magnificum non modo in honorem Kempensis, sed et in memoriam perennem ipsius eruditissimi editoris.

Godinez, P. M. (S. J.). *Praxis theologiæ mysticæ.* Opusculum selectum et latine reductum a P. Emm. Ign. de la Reguera, S. J. Paris, Lethielleux, 1921. — In 12, XVI-348 p. — Pr. 7 fr. [Collection pour directeurs spirituels].

R. P. Watrigant, S. J., laudem meretur propter hanc novam editionem operis eximii quod sæc. XVII exeunte primum editum in ascesim christianam alendam magnum influxum exercuit. Directores spirituales sanam et uberem doctrinam ibidem invenient de oratione et mortificatione, de oratione affectus et unionis, de derelictione, de contemplatione, de contemplatione cherubica et seraphica, de natura et gratia, de magisterio spirituali, de discretione spirituum, de revelationibus et raptibus, de regimine religioso. Id opus inhæsitanter commendamus.

A. Legrand.

Opera ad redactionem missa (1).

Het Belgisch Vaandel (éd. fr. *Le Drapeau Belge*). Maandschrift. Brussel, Vromant, 1e jaargang, 1924. — Pr. 8 fr.

Dit nieuw maandschrift, « tolk der werken van voorbereiding tot het soldatenleven en der soldatenkringen », beoogt bijzonder in de menigvuldige werken ten bate van onze soldatenjeugd, meer samenwerking, meer eenheid te bekomen. De godsdienstige gedachte wordt er immer in vooropgesteld als grondvest van alle sterkte, als bezieling van alle toewijding. Onze jongelingen, aan wie het maandschrift hoofdzakelijk is gericht, krijgen er in wijze raadgevingen in alle opzicht; ouders vinden er ook het hunne in; priesters, die naar den wensch van onze bisschoppen, het werk der milicianen ter harte nemen, kunnen er menige nuttige inlichtingen uitputten die ze anders soms moeilijk bekomen. Moge het nieuw maandschrift overal verspreid worden en goed doen. Inschrijving bij E. H. Kuhnen, aalmoezenier, kamp van Beverloo (Postrekening n. 26152).

Bernolet, J. *Het Huwelijk* (proeve van rechtsgeschiedenis). Uitgave der katholieke vlaamsche hoogeschooluitbreiding, 1924. — In 8, 53 bl. — Pr. 1 fr.

Bohnen, A. (S. J.). *Recueil de notions d'architecture et d'archéologie*. Bruges, Desclée, 1924. — In 8, 207 p. — Pr. 6 fr.

Cæremoniale Episcoporum. Taurini, Marietti, 1924. — Pr. 17 lib. ital.

Capéran, L. *Leçons et lectures sur les verités de notre foi, — sur les preuves de la religion*. Toulouse, 1923 (dépôt Dewit, Bruxelles). — 2 vol. in 12, 102 et 138 p. — Pr. 2,60 et 2 fr.

Cauchie, A. *Le cardinal Newman*. Bruxelles, 1923. — In 8, 16 p. — Pr. 1 fr.

Cauwe, F. (O. F. M.). *De pelgrimagie van het Kindeken Jesus*, bewerkt door P. Ladislas Kerkhove, O. F. M. 1e deel. Verzameling « Het geestelijk leven ». Leuven, De vlaamsche boekenhalle, 1923. — In 12, 224 bl. — Pr. 4 fr.

Carolus, P. (F. M. C.). *De derde-orde van den H. Franciscus van Assisië*. Herenthals, 1924. — In 24, 205 bl. — Pr. 3 fr.

Champault. *Une possédée contemporaine* (1834-1914), *Hélène Poirier de Coullons (Loiret)*. Paris, Téqui, 1924. — In 8, 543 p. — Pr. 10 fr.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc indicantur, in sequentibus fasciculis parebunt.

Delporte, J. *Recueil de motets à deux et trois voix inégales.* Tournai, Desclée, 1922. — In 8, 107 p. — Pr. 4,50 fr.

Duplessy, E. *Histoires de Catéchisme.* Paris, Téqui, 1924. — 3 vol. in 12, 286, 284, 284 p. — Pr. 6 fr. le vol.

Garriguet, L. *La Vierge Marie.* Paris, Téqui, 1924. — In 8, 476 p. — Pr. 10 fr.

Iglesias, A. (O. F. M.). *Brevis commentarius in facultates quas S. C. de C. F. dare solet missionariis.* Taurini, Marietti, 1924. — Pr. 6,50 lib. ital.

Jaud, L. *Œuvres du P. Faber.* Paris, Téqui, 1924. — 2 vol. [t. 2 et 3] in 12, 394, 273 p. — Pr. 7,50 fr. le vol.

Lanier, H. *La sainte Vierge et notre croix.* Paris, Téqui, 1924. — Pr. 1 fr.

Lelong (Mgr). *Le Saint Prêtre.* Confér. sur les vertus sacerdotales. 2e éd. Paris, Téqui, 1924. — In 12, 410 p. — Pr. 7,50 fr.

Maas, A. W. (S. J.). *Oud worden en jong blijven of hygiasticon van Lessius.* Verzameling « Het geestelijk leven ». Leuven, De vlaamsche boekenhalle, 1923. — In 12, 132 bl. — Pr. 3 fr.

Maignen, M. *Le prêtre du peuple* ou *Vie d'Henri Planchat.* 9e éd. Paris, Téqui, 1924. — Pr. 6 fr.

Marcault, Ch. *Comment Israël reviendra-t-il au Messie?* Paris, Téqui, 1924. — In 8, 96 p. — Pr. 3 fr.

Marini (Card.). *L'esthétique du Stabat Mater* (trad. par le ch. Brousolle). Ouvrage orné de 55 grav. Paris, Téqui. 1924. — Pr. 10 fr.

Maynard. *Vertus et doctrine spirituelle de saint Vincent de Paul.* 11e éd. Paris, Téqui, 1924. — In 12, XIII-432 p. — Pr. 7 fr.

Millot, J. *Toutes grâces par Marie.* Trente-deux lectures pour le mois de Mai. Paris, Téqui, 1924. — In 12, 320 p. — Pr. 6 fr.

Monstrey, O. (C. SS. R.). *Uit Gezelle's zieleleven.* Esschen, St Alfonsus, 1924. — In 8, 35 p. — Pr. 1 fr.

Pègues, Th. (O. P.). *Commentaire littéral de la Somme théologique de s. Thomas d'Aquin.* t. XV. *Le Rédempteur.* Toulouse, E. Privat et Paris, P. Téqui, 1924. — In 8, VIII-641 p. — Pr. 30 fr.

Pottier, A. (S. J.). *La vie et la doctrine spirituelle du père Louis Lallemant.* Paris, Téqui, 1924. — In 12, XXXII-521 p. — Pr. 12 fr.

Rousseau, Fr. *Dom Grégoire Tarrisse, premier supérieur général de la Congrégation de St Maur.* Collection « *Pax* », vol. XV. Bruges, Desclée. — In 16, XII-238 p. — Pr. 6,50 fr.

Theophilus. *Christus-uren II.* Leuven, De vlaamsche boekenhalle, 1924. — In 8, bl. 83. — Pr. 5 fr.

Collationes Brugenses

Indictio universalis jubilæi anni sancti millesimi nongentesimi vicesimi quinti.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS
PRÆSENTES LITTERAS INSPECTURIS
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM (1).

Infinitâ Dei misericordiâ sibi ad exemplum propositâ, identidem Ecclesia id consilii persequitur. ut, singulari aliqua via et ratione, ad culpæ expiationem vitæque emendationem homines alliciat ac revocet, qui solent, vel ob voluntatem a fide catholica abalienatam, vel ob segnitatem atque inertiam, usitata salutis adiumenta neglegere, et pœnas admissorum vindici Deo pendendas ne cogitant quidem, nedum accurate efficaciterque considerent. Extraordinarium sane eiusmodi ad renovandos animos præsidium vobis, dilecti filii, auspicato afferet *Iubilæum Magnum*, ex more institutoque maiorum in Alma hac Urbe proximo anno celebrandum; quod nostis nuncupari itidem *Annum Sanctum* consuevisse, quia et sanctissimis initur ducitur absolviturque ritibus et ad sanctitatem morum promovendam tam aptum habetur quam quod maxime.

Iamvero si unquam alias oportuit, at potissimum hodie oportet, ut vos, illud Pauli iterando, moneamus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis:* quo quidem tempore nullum profecto opportunius commodiusque comparandis unicuique vestrum reconciliationis gratiæque thesauris reperiatis. Nec dubitare licet quin divino

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 209 s.

Ecclesia instinctu piacularem hunc annum vertentibus annis, certo quodam intervallo, interiecerit; quippe quæ, ut alios ritus — multo quidem ampliore significatione atque efficientia — ab Antiquo Fœdere est mutuata salubriter, ita hunc quoque, ad Anni Sabbatici exemplum, in christianos mores induxerit. Maximis enim beneficiis, quæ dominicum illud institutum Hebræis, quinquagesimo quoque anno, afferebat, nonne gratiæ prænuntiabantur et significabantur, quas fidelibus per Anni Sancti decursum impetrandas proponimus? Ratio quidem in utrisque haud absimilis, sed hæ illis sic præstant, quemadmodum spirituales res terrenis rebus antecellunt. Quod scilicet Hebræi Anno Sabbatico, bonis recuperatis quæ in aliorum ius cesserant, « ad possessionem suam » revertebantur; quod servi « ad familiam pristinam » sese liberi recipiebant et debitoribus æs alienum condonabatur, id omne apud nos felicius piaculari anno contingit atque efficitur. Quicumque enim pænitendo Apostolicæ Sedis salutaria iussa, Iubilæo magno vertente, perficiunt, iidem, tum eam, quam peccando amiserant, meritorum donorumque copiam ex integro reparant ac recipiunt, tum de asperrimo Satanæ dominatu sic eximuntur ut libertatem repetant *qua Christus nos liberavit*, tum denique pœnis omnibus, quas pro culpis vitiisque suis luere debuerant, ob cumulatissima Christi Iesu, B. Mariæ Virginis Sanctorumque merita, plene exsolvuntur.

Verum non huc tantummodo — nempe ad animos singulorum expiandos eorumque morbis medendum — Iubilæi Magni producta per annum celebratio pertinet. Hoc enim *tempore accepto*, præter locorum visitationem sanctissimorum et multiplicatas privatim publiceque pietatis exercitationes, uberrimarum e cælo gratiarum adiumenta plurimum habebunt momenti in excitandos universe ad altiorem sanctitatis gradum animos atque in societatem hominum reparandam. Etenim, ut exlex singulorum licentia in commune vergit detrimentum, ita, singulis ad bonam frugem conversis ad sanctiusque vitæ institutum properantibus, consociationem ipsam humanam necesse est emendari arctiusque cum Christo Iesu cohærere. Quam quidem emendationem utinam eventum hoc, pro præsenti rerum condicione, accelerando afferat. Nam, etiamsi rei catholicæ haud exigua accesserint recentiore ætate incrementa, et multitudines — diu

multumque expertæ, spes melioris status quam sit inanis quamque inquietus exsistat, remoto Deo, animus — religionem ardentius veluti sitire videantur, oportet tamen, et populares et ipsas nationum effrenatas inhumanasque cupiditates, ad evangelicæ legis præscripta, cohiberi et homines divina inter se caritate copulari. Est sane intellectu difficile, nisi eiusmodi caritatem - nimium diu, postremi belli causa, consopitam, immo etiam omnino depositam — et cives denuo induant et gubernatorum consilia redoleant, quo pacto fraterno populorum necessitudo et mansura pax redintegretur. Ad hanc profecto singulorum civitatumque pacificationem quantopere annus sacer valeat quantasque habeat opportunitates, vix attingere ac declarare attinet. Quid enim coniungendis inter se hominibus populisque conducibilius, quam ut ingens peregrinorum numerus Romam, in hanc alteram catholicarum gentium patriam, undique confluant, communem Patrem simul conveniant, communem fidem coniunctim profiteantur, ad sanctissimam Eucharistiam, unitatis effectricem, una promiscueque accedant, eumque imbibant augeantque caritatis spiritum, quem præcipuam esse christianorum notam vel sacra Urbis monumenta in memoriam redigant omnium mirificeque suadeant? Qua quidem caritatis perfectione cupimus Nobiscum illæ coniungantur Ecclesiæ, quas sæculare funestissimumque discidium a Romana Ecclesia distinet: nihil enim Nobis tam gratum tamque suave accidere posset, quam, si non eas quidem universas, at saltem multos ex earum gremio, ad unum Christi ovile redeuntes, peramanter, hac Iubilæi maximi occasione, amplexari filiorumque in numerum carissimorum adscribere. Præclari optatissimique eiusmodi fructus fore ut ex Anni Sancti celebratione haud postremo loco hauriantur, aliqua profecto spe nitimur. Ad alendam quidem excitandamque popularium pietatem maioremque percipiendam utilitatum copiam summopere utique prodesset, si res ita per Iubilæi cursum peragi ordinarique liceret quemadmodum ante actis ætatibus licuit; at quicquid efficacitatis ex rerum temporumque condicione aut statis ministeriis aut consiliis ad apparanda regundave futura sollemnia initis deesse quoque modo possit, id benignissimus Deus, rogamus, divitiis copiose suppleat misericordiæ suæ.

Itaque, cum tanta catholicæ rei redemptisque pretioso

Iesu Christi Sanguine animis lucra atque emolumenta obventura et prospiciamus et fidenter Nobis spondeamus ac polliceamur, auctorem largitoremque bonorum omnium Deum implorantes, ut cœpto huic Nostro favere hominumque voluntates ad pænitendum et singulari hac gratia fruendum allicere velit ac permovere, Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, universale maximumque Iubilæum in hac sacra Urbe a prima vespera Natalis Domini anno millesimo nongentesimo vicesimo quarto inchoandum et ad primam vesperam Natalis Domini anno millesimo nongentesimo vicesimo quinto finiendum, auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, ad animarum salutem et catholicæ Ecclesiæ incrementum, indicimus per has Litteras ac promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Hoc igitur Anni Sancti decursu, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui, rite expiati et sacra Synaxi refecti, beatorum et Petri et Pauli et Sancti Ioannis ad Lateranum et Sanctæ Mariæ Maioris de Urbe Basilicas semel saltem in die, per viginti continuos aut interpolatos dies sive naturales sive ecclesiasticos, idest a primis vesperis unius diei ad integrum subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romæ degant cives aut incolæ, si vero peregre venerint, per decem saltem eiusmodi dies, pie inviserint et ad mentem Nostram oraverint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, remissionem ac veniam misericorditer in Domino concedimus atque impertimus. Quænam autem, dilecti filii, sit in universum mens Romani Pontificis, profecto non ignoratis: at peculiare aliquid hac Iubilæi maximi occasione intendimus, quod vos ipsi Nobiscum impetretis. Pacem dicimus, non tam tabulis inscriptam, quam in animis consignatam, inter populos restituendam, quæ, etsi non tam hodie fortasse abest, quam antehac afuit, adhuc tamen remotior, quam pro Nostra et communi exspectatione, videtur. Præcipuum igitur eiusmodi bonum si quidem vos, Urbis incolæ advenæque, solutis a culpa incensisque caritate animis, ad Apostolorum limina imploraveritis, nonne bene sperandum, fore ut Princeps pacis Christus, qui maris Galilææ fluctus nutu olim sedavit, tandem aliquando suorum misertus, tem-

pestates, quibus tamdiu Europa iactatur, considere sedarique item iubeat? Mens præterea est Nostra, ut quicumque aut Urbem incolunt aut huc sunt Iubilæi causa peregrinaturi, duplex aliud Dei miserationi negotium instando commendent, quod maximis Nos curis sollicitudinibusque excruciat et religionis interest vehementer: scilicet ut acatholici omnes ad veram Christi Ecclesiam confugiant, et res Palæstinenses sic demum ordinentur et componantur, quemadmodum catholici nominis iura sanctissima postulant. — Quæ autem supra servanda ediximus ut plenissima Iubilæi venia lucri fiat, pro iis qui aut morbo aliaque legitima causa in Urbe vel ipso in itinere prohibiti aut morte interim prærepti, præfinitum dierum visitationumque numerum nondum compleverint neve inchoaverint quidem, ita temperamus, ut iidem, a culpis rite absoluti ac sacra Communione refecti, indulgentiæ remissionisque iubilaris participes perinde sint, ac si quattuor, quas memoravimus, Basilicas reapse invisissent.

Iam nihil est reliquum, dilecti filii, nisi ut vos amantissime Romam devocemus invitemusque omnes, ut his tantis divinæ clementiæ thesauris fruamini, quos Sancta Mater Ecclesia vobis lucrandos proponit. In quo ignavos desidesque vos esse dedeceat, quando, per hæc potissimum tempora, tam vehementi aviditate, ne salva quidem fide officiique conscientia, ad quæstum terrenarum opum concurritur. Recolitote præterea, quam magnus, superioribus ætatibus, peregrinorum ex omni ordine numerus in Almam hanc Urbem per Annum Sanctum, diuturnis, laboriosis infestisque plerumque itineribus, convenerint: quos nimirum ab æternæ beatitudinis studio nulla absterruerunt incommoda. Si quid autem molestiæ aut iter eiusmodi aut in Urbe mansio pepererit, non modo castigatio hæc, pænitentiæ spiritu tolerata, ad veniam uberius promerendam adiumento erit, sed multis quoque, iisdemque omne genus, solaciis compensabitur. Urbem enim petituri estis, quam Servator hominum Iesus Christus delegit, ut suæ esset religionis centrum et perpetua Vicarii sui sedes: Urbem, inquimus, unde ad vos et doctrinæ sanctæ et cælestis veniæ securi purissimique latices effluunt. Communis heic omnium vestrum Pater, quem vos diligentem diligitis, bene vobis precabitur: heic ad vetustissima hypogea, ad sepulcra Principum Apostolorum, ad conditas gloriosissimorum

Martyrum reliquias facilis pietati vestræ aditus: templa, præterea, patebunt, tot sæculorum decursu in Dei sanctorumque cælitum honorem erecta, eâ sane magnificentiâ eoque artificio, ut in totius orbis admiratione nullo non tempore fuerint atque in posterum futura sint. Quæ quidem christianæ religionis monumenta si pie, si orando, ut decet, inviseritis, mirum fide quam experrecta quamque inclinata in melius voluntate in regiones quisque vestras redituri estis. Neque enim versari vos Romæ oportet, ut cotidiani viatores hospitesque consuevere; immo, etiam, profana quælibet devitantes, pænitentiæ spiritu imbuti, a quo tantum horum naturalismus temporum abhorret, et modestiam in vultu, in incessu, in vestibus potissimum præferentes, id unice quæritote quemadmodum animarum vestrarum negotia gerendo provehatis. In quo pro certo habemus Episcoporum vestrorum curam diligentiamque haud vobis defuturam esse peregrinantibus: aut enim præibunt præeruntque ipsimet agminibus vestris, aut sacerdotes honestissimosque laicos viros præficient, quibus res et quam optime ordinetur et quam religiosissime perficiatur.

Ut autem Litteræ hæ Nostræ ad fidelium omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli igitur hominum liceat hanc paginam Nostræ indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis maii anno Incarnationis dominicæ millesimo nongentesimo vicesimo quarto, Pontificatus Nostri tertio.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

P. Card. GASPARRI,
a Secretis Status.

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 3 Junii 1924, in Palatio Episcopali Brugis.

Recitato hymno *Veni Creator,* III^{mus} ac Rev^{mus} D^{ns} venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Venerandi admodum ac dilectissimi Domini,

Momenti sane maximi est ut fideles omnes, præprimis vero Clerus universus quam intime adhæreant S. Matri Ecclesiæ, utpote extra quam non est salus, nec sanctitas et perfectio vitæ; hæc autem intima adhæsio per affectum reverentiæ, obedientiæ et fervidæ dilectionis, omni tempore necessaria et nostra quidem tempestate forte urgentior, obtinetur et fovetur præprimis agnitione eminentis dignitatis, pulchritudinis et efficaciæ ad sanctitatem et salutem procurandam, quas Christus Ecclesiæ suæ ceu regno suo in terris contulit, quas paucis explicare Nobis propositum est.

Ab ipso autem sermonis exordio vobis, Reverendi admodum ac dilectissimi Cooperatores nostri, vestrum hujusmodi affectum in sanctam Ecclesiam gratulari gaudemus, simul vos instanter hortantes ut eamdem vestram in Ecclesiam devotionem cum populo et Clero vobis commissis communicare satagatis, cum profecto nihil salubrius et efficacius in bonum animarum atque publicam salutem præstare poteritis. Sæpius inculcetis fidelibus necessitatem, ex divina Christi institutione, *unitatis* Ecclesiæ, ut rite intelligant esse inter membra viva et personalia communionem fidei et charitatis, communionem membrorum cum Præpositis vivis et personalibus, reverentiam et obedientiam deberi personis summi Pontificis, Episcopi; cum ipsis idem sentire, usque animo et corde unitos esse oportere.

***

Ecclesia sensu latissimo seu societas hominum Deum colentium, sicut ipsa religio, omnium temporum est: cum enim homo natura ens sociale sit, non tantummodo

individuus homo, sed et familia et societas major publica Deo cultum debet. Societas autem hominum Deum colentium, supernaturalis in præsenti ordine, varias formas pro varietate temporum et adjunctorum induit. Sic ab initio, ab ipsa promissione Redemptoris fuit Ecclesia jam Christi, lato sensu, utpote jam ordinem habens ad Redemptorem exspectandum, cujus quippe ex meritis prævisis salvandi erant, quicumque salvi fierent. Et hæc quidem primum fuit societas patriarchalis. Cum tamen, paucis familiis exceptis, ut videmus in historia sancti viri Job, jam a tempore Abraham generatim omnes familiæ et gentes exciderint a vera religione in idololatriam, pessumdato omni veri Dei cultu, Deus, causa servandæ religionis inter homines, secus delendos potius, et præparandi adventum Redemptoris, assumpsit Abraham in patrem populi electi, qui et veri Dei cultum et promissionem Salvatoris inter homines custodiret; quæ quidem populi electi societas postmodum formam induit legis Mosaïcæ, perduraturam ad adventum usque Christi ejusque Ecclesiæ, cujus illa tota fuit præfiguratio ; perseverante forma patriarchali pro cæteris gentibus, si quæ inter illas vel ex iis quædam familiæ verum Deum agnoscere et colere voluerint.

Tandem Christus societati supernaturali hominum Deum colentium ultimam perfectamque formam dedit, universalem pro omnibus hominibus et in ævum mansuram, quæ stricto sensu dicitur et est Ecclesia Christi. Tum omnis symbolismus anteriorum temporum locum cedit realitati, seu potius umbra futurorum evanescit coram realitate quæ simul figura et pignus est finalis et perfectæ realitatis, regni nempe Christi cœlestis et æterni: « cum tradiderit (Christus) regnum Deo et Patri... ut sit Deus omnia in omnibus (1). »

***

Hanc igitur Ecclesiam suam Christus ipse ædificavit in societatem supernaturalem, universalem et necessariam, extra quam nec vera religio, nec cultus Dei legitimus, nec salus; in societatem perfectam cum omnibus juribus et mediis ad finem æternæ salutis attingendum et sub forma societatis inæqualis et monarchicæ; cui depositum totius divinæ ac salutaris doctrinæ suæ, revelatione per Ipsum

(1) *I Cor.*, xv, 24 et 28.

completa, custodiendum et transmittendum ad omnes homines commisit, simul cum suo Ipsius sacerdotio et perenni sacrificio, cum sacramentis a se institutis, non jam nudis signis sed signis efficacibus gratiæ divinæ.

Mirabilem constitutionem Ecclesiæ paucis prosequamur. Sicuti Deus primum hominem ad imaginem et similitudinem suam condidit, formato prius corpori infundens animam spiritualem ac immortalem, ita haud incongrue dicimus Christum, Deum et Hominem, ad suam Ipsius imaginem ædificasse Ecclesiam, quippe compositam ex elemento humano, utpote ex hominibus et pro hominibus institutam, ad modum corporis visibilis, et ex elemento divino, nempe Spiritu sancto vivificante, ad modum animæ. Elementum humanum seu corpus efformavit Christus per vitam suam terrestrem, tum ante tum post gloriosam suam resurrectionem; animam vero, cum ipse præsentia corporali suos reliquit ascendens ad Patrem, corpori conjunxit misso Spiritu sancto in Apostolos et discipulos. prima fundamenta, prima exordia Ecclesiæ, quæ statim vivere cœpit divina sua vita, prædicante et baptizante Petro, supremo Capite visibili, ut narrant Actus Apostolorum: et deinceps hæc vita, non obstante conatu quocumque inferni et malorum diaboli sequacium, sese continuo evolvit ac porro se extendit in ævum, et non obstantibus quoque infirmitate, cui obnoxium est elementum humanum, omnibusque erratis et vitiis ipsorum membrorum Ecclesiæ.

Qua in re, obiter notemus ea quæ ab intra ab ipsis membris vel et præpositis in Ecclesia oriuntur mala, nedum scandalo fidelibus esse debeant eosque ab Ecclesia abalienare et avertere, potius argumentum præbent divinam originem divinamque indolem Ecclesiæ agnoscendi eique intimius inhærendi: profecto, hujusmodi mala id aperte ostendunt quod Ecclesia, si ex humanis viribus suam stabilitatem et efficaciam hauriret, jamdiu fuisset extincta, quemadmodum tot regna et imperia fortissima, omnibus licet stipata humanis præsidiis, penitus deleta sunt. Igitur ad rationem reddendam indefectibilis stabilitatis et omnimodæ fœcunditatis atque efficaciæ sanctæ Ecclesiæ, ad elementum ejus divinum est appellandum, nempe ad influxum divini Spiritus.

***

Et hic quidem influxus triplex est: primo, per gratias gratis datas, quas vocant, quæ dantur membris Ecclesiæ,

et nonnumquam aliis, ast semper in utilitatem communem Ecclesiæ. Hæ magis necessariæ initio ad ejus incrementum numquam tamen cessarunt, neque miracula divinitatem ejus testantia unquam defuerunt.

Secundus influxus est per gratiam gratum facientem in sanctificationem membrorum concessam, quæ exteros quoque attingit eos conducendi gratia ad agnoscendam Ecclesiam, quæ via est ordinaria Providentiæ de se necessaria; quamquam nihil prohibet Deum animas quoque bona fide extra Ecclesiæ corpus degentes ad salutem conducere, quæ, si divinæ gratiæ obsecundantes justificantur, ad animam Ecclesiæ pertinere dicuntur: neque enim Deus sese adstrinxit ad hoc ut miraculis multiplicatis omnes et singulos corpori quoque Ecclesiæ adjungeret.

Tertius influxus est in ipsam Ecclesiam ut sociale corpus, scilicet præprimis in supremum Ecclesiæ Caput et in corpus Episcoporum, Ecclesiæ præpositos qui soli munere docendi et regendi membra Ecclesiæ potiuntur, et sacris ministrandis præsunt.

Hoc triplici influxu fit ut omnes proprietates et prærogativæ a Christo Ecclesiæ suæ promissæ et collatæ verificentur: ex elemento hoc divino compenetrante et vivificante elementum humanum licet de se labile, oritur Ecclesiæ *indefectibilis* perennitas; item *infallibilis* auctoritas in docendo quod fidem et mores attinet, immota sanctitas in disciplina et legislatione generali, et in sacris ministrandis. Ex eodem influxu respondet infallibili et sanctæ auctoritati, passiva infallibilitas fidei credentium, eorumque obedientia, ita ut sit *unitas* fidei et communionis in Ecclesia, et *sanctitas*, atque stabilis maneat ejus *catholicitas* et *apostolicitas*. Inter has proprietates etiam eæ sunt quas *notas* Ecclesiæ vocamus, eam visibilem formaliter ut divinam, veram Christi Ecclesiam ostendentes. Præclare hac de re loquitur Concilium Vaticanum (1) « Ad solam enim, ait, catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem,

(1) Constit. *Dei Filius*, cap. III.

ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes (1) et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. »

***

Finem faciendo dicendi, non significare non possumus, quam congrue, quam meritissimo jure Ecclesiam vocamus dulçi nomine Matris nostræ. Re quidem vera, nonne ipsa propagationi fidelium Deo servientium providet, fundando et fovendo familias, quæ veræ, fœcundæ et felices familiæ sint, per sacramentum Matrimonii? Nonne ipsa creat nobis sacrorum ministros sacramento Ordinis, per quos dein singula sua membra ad sanctitatem promovet, regenerans nos ad vitam supernaturalem et in filios Dei adoptivos, per sacrum Baptisma ; nos nutriens pane divino Eucharistico ; nos perducens ad vitam supernaturalem ætatis perfectæ, per Confirmationis sacramentum ; lapsos erigens, dimissis peccatis, in sacramento Pœnitentiæ ; ægrotos solans vel et sanans, necnon purificans et firmans in extremo agone, per sacramentum sanctæ Unctionis ? Profecto, maternis plane visceribus, Ecclesia filiis suis consulit per omnes passus et adjuncta vitæ. Præterea, materna sollicitudine omni convictui humano quot et quanta bona afferat evidens nimis est quam id exponere necesse sit.

O sancta Mater Ecclesia, si omnes homines tibi adhærerent, si et potestates publicæ te agnoscerent, tibique, ut oportet, obedirent, nonne renovatam videremus faciem terræ, nonne pax Christi per istud regnum Christi, quod est Ecclesia, regnaret in universo mundo, ipso regnante Christo, et præter salutem æternam de qua præ omnibus solliciti simus oportet, cætera omnia bona faustaque, quantum præsens vita patitur, adjicerentur.

Hoc saltem nos sacerdotes, dilectissimi Domini, qui ad eminentem sanctitatem a Domino vocamur, firmiter teneamus : nullam vitæ perfectionem, intimamque cum Deo unionem adipisci nos valere sine intimo devotionis

---

(1) *Is.*, XI, 12.

in sanctam Ecclesiam affectu, quod et demonstrat omnium quos colit Ecclesia Sanctorum vita, quippe qui omnes ad unum S. Sedi et Ecclesiæ fuerunt addictissimi.

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. votis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes :

I.

Confessarios tum sæculares tum regulares in Domino hortamur ut vitium onanismi, quod in dies magis invalescere videtur, constanter et concorditer impugnent, fideliter applicando instructiones Episcoporum Belgii anni 1909, quas reperire est apud *Collationes Brugenses*, tom. XIV, p. 453 ss. — Sciant autem omnes copulam habitam in vase debito quidem sed adhibito quovis artificio ut fœcundatio impediatur esse intrinsece malam, adeoque nulla excusatione legitimandam.

II.

Attenta adjunctorum mutatione, declaramus jam permitti clericis usum rhedæ tertiæ classis in via ferrea, adeoque decretum Congregationis Prosynodalis anni 1901 id prohibens esse suspensum.

Commendamus autem ut clerici utantur rhedis *sibi* magis convenientibus.

III.

Stipendia missæ binationis necnon missæ celebratæ loco missæ pro grege diebus festis abrogatis, jam soli « fundo scholarum » litteris Nostris diei 15 Aprilis 1924 constituto, impendantur.

Animadvertatur autem sacerdotem binantem teneri stipendium pro altera missa accipere, vel si mavult missam intentioni propriæ applicare, ex sua pecunia fundo scholari persolvere. — Parocho vero liberum est in festis abrogatis vel celebrare pro grege, vel pro alia intentione missam applicare hujus stipendium dicto fundo erogando.

IV.

Minime probamus et sacris Canonibus contrariam ducimus praxim illarum Sororum Religiosarum quæ fere singulis hebdomadis extra suum conventum confitentur sacerdoti alieno, adeo ut hic earum confessarius ordinarius habeatur de facto. Confessarii est pœnitentes ab hujusmodi abusu avocare.

V.

Quando nupturientes diversæ sunt parochiæ, parochus sponsæ *ipsemet* petat a parocho sponsi testimonium baptismi; parochus vero qui sponsum interrogavit, una cum monito de proclamando matrimonio testimonium baptismi transmittat ad parochum sponsæ.

VI.

Mandamus ut deinceps omnes pueri et puellæ unius ejusdemque scholæ eumdem frequentent catechismum, nempe parochiæ in qua exstat schola. Manet tamen obligatio pro singulis alumnis communionem solemnem celebrandi in parochia propria, et ideo per duas hebdomadas illi solemnitati proxime prævias catechismo parochi sui assistere tenenter.

VII.

Abusivam ducimus praxim nonnullis in locis post bellum usitatam benedicendi singulos tumulos pro sepultura fidelium: praxis enim hujusmodi juxta canonem 1206 § 3 tunc tantum legitima est quando cœmeterium benedictum obtineri nequit. — Si igitur cœmeterium sit novum, curet parochus ut quantocius ab habente facultatem benedicatur. Si vero antiquitus benedictum fuerit violatum, signanter per sepulturam certam et notoriam *infidelis* seu adulti non baptizati, reconcilietur (cf. can. 1207 coll. 1172).

VIII.

Notent RR.DD. Parochi, quorum interest, canone 1158 præcipi ut de peracta consecratione vel et solemni benedictione ecclesiæ aut oratorii publici redigatur documentum, cujus alterum exemplar in Curia episcopali, alterum in ecclesiæ archivo servetur.

IX.

Collecta pro re scholari litteris Nostris 15 Aprilis 1924 præscripta, quantum fieri potest, per sacerdotem est facienda, quin tamen ideo concio vel instructio omitti possit. Si vero commode fieri nequeat prima mensis Dominica, remitti potest ad Dominicam mensis aliam melius convenientem.

X.

Ut cæremonia renovationis votorum baptismalium die *solemnis Communionis* magis puerorum animum percellat, deinceps ubique sequens ritus servetur. Cruce præcedente, Parochus cum assistente clero ducit pueros ordinatim ad fontem baptismalem cantando hymnum *Veni Creator*, ibique Parochus aliusve sacerdos, brevi instructione præmissa, ipsemet alta et intelligibili voce prælegit formulam renovationis. Dein cantando *Magnificat* procedunt ad altare B. M. V. ubi, post brevem exhortationem, prælegitur formula, qua Beatissimam Virginem in Matrem et Patronam eligant. Concluditur solemnitas hymno *Te Deum* cum benedictione SS^mi^ Sacramenti.

XI.

Vehementer hortamur omnes parochos eorumque adjutores ut :

1° Secessus spirituales clausos, ut ajunt, apud RR. PP. a Sanctissimo Redemptore Rollarii, vel alibi a Religiosis paratos, omni modo foveant, idque non obstante die recollectionis habito pro Associatione (Bond) SS. Cordis.

2° Exercitia spiritualia sacristis et magistris scholarum Thoralti parata suis commendent, eorumque accessum, nedum impediant, contra faciliorem reddant.

3° Opus eximium *de propaganda Fide* sedulo curent.

4° Aliquam eleemosynam libenter procurent operi Brugis existenti *Dokkers-* en *Schipperswerk.*

5° Tandem, quas sæpius jam commendavimus *Conferentias a s. Vincentio,* instaurent et omni zelo foveant, impugnata inani objectione jamdiu refutata inutilitatis in præsenti Conferentiarum.

† GUSTAVUS-JOSEPHUS, Episc. Brugen.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis aprilis propositas.

—

I.

Unctiones Jesu in Evangelio.

Q. *Examina quæstionem de identitate unctionis narratæ hinc apud Matthæum, XXVI, 6-13 et apud Marcum, XIV, 3-9, hinc apud Joannem, XII, 1-8, hinc apud Lucam, VII, 36-50.*

R. I. *Pro certo habemus unam eamdemque esse unctionem quæ refertur hinc apud Mt., l. c. et Mc., l. c., hinc apud Jo., l. c.*

Revera tanta est omnium adjunctorum convenientia inter utramque Synopticorum et Joannis narrationem, et quae opponi possent ita levia essent discrimina tamque facili negotio solvi possunt, ut de identitate seriò dubitare non liceat.

Convenit enim utriusque facti relati *locus :* Bethaniam fuisse omnes dicunt ; — domum determinant Mt. et Mc., Simonis leprosi ; Jo. non dicit, sed, pro more suo, a lectoribus suis ex synopticis satis notum posuerit ; attamen manifeste innuit rem non agi in domo Lazari, siquidem notat Lazarum unum esse ex discumbentibus cum Jesu, quod notare fuisset omnino inutile si cœna in domo Lazari locum habuisset.

Tempus : conveniunt Syn. et Jo. in hoc quod factum assignant uni ex ultimis diebus vitæ mortalis Jesu ; specietenus tamen dissentire videntur quatenus Jo. explicite affirmat Jesum Bethaniam venisse *ante sex dies Paschæ* (advenerit Bethaniam decursu feriæ VI, locum habuerit cœna sabbato insequenti, nimirum post occasum solis feriæ illius VI), dum Syn. primo aspectu videntur cœnam

duobus diebus ante Pascha reposuisse ; hoc autem discrimen reale non esse habes ex dictis supra, pp. 218 s.

Personæ plane conveniunt et actio quæ ab iis fit eadem est. Versamur in decursu alicujus cœnæ : *fecerunt ei cœnam ibi*, Jo. 2 ;... super caput ipsius *recumbentis*, Mt. 7 ;... *et recumberet*, Mc. 3 ; — mulier quædam Jesum ungit ; eam Syn. non nominant, quamvis innuant eam esse extraneam quamdam, quæ cœnæ non accumbit : etenim cum esset Jesus Bethaniæ in domo Simonis leprosi, *accessit* ad eum mulier, Mt. 7, — *venit* mulier, Mc. 3 ; Jo. vero eam nominat : Maria, et nimis patet agi de Maria sorore Lazari et Marthæ statim supra memoratorum, Jo. vv. 1-2., coll. c. XI ; etiam hîc innuitur Mariam non esse de invitatis ad cœnam, siquidem de Lazaro dicitur eum esse unum ex invitatis, et de Martha eam ministrare. — Mulier hæc habet *unguentum pretiosum*, Mt. 7, Mc. 3, Jo. 3 ; erat enim *nardus*, Mc. 3, Jo. 3; eaque *pistica* seu genuina et pura, Mc. 3, Jo. 3 (v. supra, p. 219). — *Ungit Jesum*, effundendo unguentum super *caput* ejus, aiunt Mt. 7 et Mc. 3, — ungens *pedes* ejus, ait Jo. 3 : quod discrimen facili negotio solvi, dictum est supra, p. 220 (1). — Eadem fit hinc apud Syn. hinc apud Jo. *protestatio* contra actionem mulieris ; discrimen inter utramque relationem quasi hinc *quidam*, Mc. 4, vel imo *omnes*,

---

(1) Quod etiam pedes uncti fuerint, confirmari potest etiam inde quod si solita unctio capitis sola fuisset facta, non fuisset cur tam acriter protestati vel imo mirati fuissent discipuli. Si utraque unctio, tum capitis tum pedum, locum habuit, non errant ergo Evangelistæ dum alii unam, alii alteram referunt. — Si vero quæritur quare Syn. solam unctionem capitis, Jo. vero solium pedum retulerint, forte dici potest totam rem sic fuisse actam : Maria, cubiculum ingressa, ad Jesum accedit qui mensæ accumbit, pedibus nudis post se extensis ; præ nimio amore partem unguenti in pedes effundit et extergit ; deinde reliquum totum, imo fracto alabastro, effundit in caput. Mt. et Mc. in ordine ad protestationem discipulorum introducendam, in lucem ponunt alabastrum unguenti totum fuisse effusum, ideoque capitis unctionem referre debent ; Jo. vero, pro indole sua, excessivum amorem Mariæ elevare volens, tum pondus unguenti indicat tum insolitam illam pedum unctionem.

Mt. 8, discipuli protestati fuissent, hinc vero *solus Judas*, Jo. 4, solutum fuit supra, p. 220. — Quod Jo. 6 notat hanc Judæ protestationem fuisse animo venali illius inspiratam, illud apprime congruit cum hoc quod statim infra narrabunt Syn. de Juda pasciscente cum principibus sacerdotum, Mt. 14 s., Mc. 10 s. — Tandem eadem est *apologia* quam Jesus pro muliere facit, Mt. 10 ss., Mc. 6 ss. et Jo. 7 s.

His omnibus inspectis prorsus impossibile videtur in dubium revocare identitatem facti hinc a Syn hinc a Jo. relati : Joannes voluit idem illud factum referre, pro more suo relationem Synopticorum complendo et cavendo ne quis ex imprudenti lectione Synopticorum ad erroneam facti ideam deveniret (1).

II. *Item pro certo habemus unctionem a Maria, sorore Lazari, Bethaniæ factam, de qua sub I diximus, esse omnino distinguendam ab ea quæ refertur apud Lc., VII, 36-50.*

Revera esse inter utramque illam unctionem quasdam *similitudines* manifestum est. Utrimque enim, in domo alicujus Simonis ubi Jesus discumbit, affert mulier quædam alabastrum unguenti, pedes Jesu capillis suis tergit, pedes Jesu ungit ; mulier incurrit vituperium apud adstantes et a Jesu defenditur.

Ast simul adsunt *dissimilitudines* quamplurimæ (2). Etenim :

differt *tempus* utriusque facti : dum unctio de qua Mt., Mc. et Jo. ponitur in ipsa ultima die ante ingressum

---

(1) Et eo minus de hac identitate dubitare licet quod Jo. dum scriberet suam relationem videtur præ oculis habuisse eam ipsam relationem qualis apud Syn. prostabat. Cfr *Mc.* 3 et *Jo.* 3 ubi eadem vocabula non ita obvia occurrunt : *unguenti nardi pistici* (gr.) *pretiosi* (πολυτίμου, Jo. — πολυτελοῦς, Mc.) ; — cfr etiam *Mc.* 5 et *Jo.* 5 ; *Mc.* 6 *Sinite* et *Jo.* 7 *Sine* (gr.) ; *Mc.* 11 et *Jo.* 8 ; *Mc.* 8b et *Jo.* 7.

(2) Ne nimis admirationem movcat in utraque narrationem nomen hospitis Jesu esse *Simon* : erat enim nomen vulgatissimum, ut constat vel ex N. T., ubi perplures diversi Simones occurrunt : *Mt.*, IV, 18 ; *Mc.*, VI, 3 ; XIV, 3 ; *Lc.*, II, 25 ; VI, 15 ; VII, 36 ; XXIII, 26 ; *Jo.*, VI, 71 ; *Act. Ap.*, VIII, 9 ; IX, 43 ; XIII, 1.

triumphalem Jesu in Jerusalem et in arcta relatione cum instanti Jesu passione, illa contrà de qua Lc. sine dubio multo altius in vita Jesu ponitur deestque omnis relatio cum passione : Jesus versatur in pleno suo ministerio in Galilæa, et postea tantum, IX, 51 ss. incipiet Lc. describere longum illud iter Jesu in Jerusalem quod per novem capita protrahetur.

Differt *locus* : illa unctio ponitur Bethaniæ, prope Jerusalem, hæc vero media in Galilæa.

Quod *Simon* ille fuerit Pharisæus, plus minus male erga Jesum dispositus, ut dicit Lc., nullo verbo innuunt Mt., Mc., Jo. ; vicissim quod habuerit cognomen leprosi, ut hi dicunt, Lc. minime innuit.

Mulier quæ Jesum ungit apud Lc. erat in civitate ista peccatrix, v. 37, et ab omnibus ut talis ibidem nota erat, v. 39, indeque omnino apparet eam in civitate illa Galilææ habitare; contrà mulier de qua Mt., Mc. et Jo., est Maria, soror Lazari et Marthæ, habitans Bethaniæ (1) ; quod fuerit peccatrix et imò qua talis omnibus nota, nullo verbo innuitur; contrà tota familia optima gaudet fama etiam apud Judæos legis mosaicæ tenaces (cfr Jo., XI, 19 ss.) ; in domo et familia Lazari videtur Jesus esse hospes omni tempore honorifice et cum amore receptus

---

(1) Nisi dicas, absque ullo alio fundamento, Mariam Bethaniæ habuisse secundam aliquam habitationem in Galilæa ! — aut olim ibidem deguisse. — Mulierem de qua Lc. VII esse a Maria Bethaniæ distinguendam, a fortiori pateret, si vera esset illa nonnullorum sententia mulierem de qua Lc. VII esse eamdem ac Mariam illam Magdalenam de qua idem Lc. VIII, 2 : videtur enim impossibile Mariam illam ex Magdala quæ cum aliis mulieribus Jesum comitatur a Galilæa in Jerusalem (*Mc.*, XV, 41) cum Maria ex Bethania identificare. — Statim autem addimus non videri posse indentificari peccatricem de qua *Lc.*, VII, 36-50 cum illa muliere de qua *Lc.*, VIII, 2 ; quomodo enim *Lc.*, duobus vs. post narrationem unctionis c. VII, nullo verbo innueret esse eamdem mulierem ? imo eam tamquam novam aliquam introducit : « *Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmones exierant* » ; nec putes Lc. hac descriptione innuere vitam peccaminosam quam Magdalene duxisset : sub calamo Lc.-medici hæc descriptio, non immoralitatem vitæ, sed possessionem diabolicam designat.

ipseque vicissim cum prædilectione commorans (1).

Differt *actio mulieris* : apud Lc primò lacrymis irrigat pedes Jesu, dein a lacrymis illis capillis abstergit, tandem unguento ungit ; apud Mt., Mc., Jo. contra de irrigatione lacrymis nulla fit mentio, sed pedes unguento ungit et dein (ab unguento decurrente) pedes capillis abstergit ; præterea unctioni illi capitis quam apud Mt. et Mc. invenimus, non videtur esse locus in narratione Lc. (2).

Toto cœlo differt adstantium *protestatio* : apud Mt., Mc., Jo. habes discipulos — omnes vel quosdam — vel saltem Judam qui externe protestantur, et quidem de pecuniæ

---

(1) Quod Maria soror Lazari fuerit peccatrix illa de qua *Lc.*, VII, 36 ss., non pauci desumere voluerunt ex *Jo.*, XI, 2, ubi Maria illa designatur fuisse illa « *quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis* » ; jamvero, sic aiunt, hoc loco Evangelii sui nondum poterat Jo. alludere ad unctionem Bethaniæ factam, siquidem hæc postea tantum locum haberet, et Joannes ipse eam tantummodo postea relaturus erat ; ergo alludit ad unctionem antea factam, quam np. Lc. retulerat. — Ast *repondemus* : *a*/ si verum esset hoc ratiocinium, haberes quidem identicam esse utramque, hinc Lc. hinc Jo., mulierem, sed simul haberes hanc unam mulierem duplici vice diversa unxisse Jesum ; quæ præcise est thesis nostra ; *b*/ imo falsum est ratiocinium : Jo. enim hoc c. XI pleno jure alludere poterat ad unctionem illam Bethaniæ quam postea tantum referret : poterat enim alludere ad factum illud *tamquam notum* a lectoribus ; porro unctio illa erat apud lectores Joannis notissima, ut constat non tantum ex eo quod eam legere poterant in evv. Mt. et Mc., sed etiam ex eo quod, testibus Mt., v. 13, et Mc., v. 9, hæc historia tamquam arcte connexa cum Jesu passione vulgatissima erat inter primos christianos ; — plane simili modo omnes Evangelistæ, dum referebant vitam Jesu publicam, alludere poterant et de facto alluserunt ad proditionem Judæ (dicunt enim : *Judas, qui fuit proditor*, — vel : *Judas, qui et tradidit illum*) quam tamen postea tantum narrarent ; — *c*/ incredibile est Jo. qui in capite sequente Ev. sui relaturus erat unctionem Bethaniæ, in c. XI voluisse alludere ad aliquam aliam unctionem quam præcise non referret ; — et hoc eo magis incredibile est quod attente consideranti brevis allusio quæ occurrit XI, 2, perfecte quadrat in unctionem Bethaniæ, non vero in unctionem a Lc. narratam. Dicit enim XI, 2 Jo. : *Maria ...unxit Dominum unguento...., et unxit pedes Jesu et extersit pedes ejus capillis suis* ; — dum 37 s. refertur primum irrigatio pedum lacrymis et deinde unctio.

(2) Dum enim Jesus in responso suo ad Pharisæum voluit sane extollere quantum possibile erat actionem peccatricis, nihilominus ne verbulo alludit ad unctionem capitis.

amissione ; apud Lc. vero habes Simonem Pharisæum, qui externe nil dicit, sed intra se tantum protestatur de nimia condescendentia Jesu erga peccatores, imo, proprie loquendo, ne quidem protestatur, sed solum suspicionem habet de Jesu scientia.

Tandem *apologia Jesu* de muliere plane alia est : apud Lc. mulier laudatur de suo amore et gratitudine erga Jesum, et accipit remissionem peccatorum suorum ; contra apud Mt., Mc., Jo. laudatur eo quod Jesu corpus ad sepulturam præparavit, et de peccatis remissis nil audit.

Ex dictis sequentem deducere possumus *conclusionem* : quamvis inter utramque unctionem, hinc Lc., hinc Mt., Mc.. Jo. adsit quædam similitudo, tot et tantæ tamen adsunt dissimilitudines ut in unam nequaquam conciliari valeant. Jamvero si de operibus sub respectu historico nullius vel minimæ auctoritatis ageretur, suspicari forte liceret unam alteramve ex illis narrationibus esse alterius corruptionem legendariam ; ast Evangelia nostra ut patet vel ex sola eorum origine humana, sub respectu historico omni exceptione majora sunt ; imo utpote divinitus inspirata, divina gaudent auctoritate : de talibus scriptis suspicari unam eamdemque unctionem modis tam diversis fuisse narratam, nonnisi absurde posses (1).

A. Vander Heeren.

II.

De voluntate Dei rationabili.

Q. *Expone quomodo voluntas Dei, quæ nullam causam habet, rationabilis dicatur.*

R. — In propositione explicanda latet quædam difficultas, quæ sic enuntiari potest : agenti voluntario seu

(1) Ex dictis desumi potest nobis non tantum videri *duas* fuisse *unctiones* Jesu, — sed insuper distinguendas esse *duas*, imo *tres mulieres*, non raro confusas: mulierem peccatricem, de qua *Lc.*, VII, 36 ss.; — Mariam Magdalenam, de qua *Lc.* VIII, 2. et tres Synoptici in morte Jesu; — Mariam Bethaniæ, sororem Lazari, de qua Mt., Mc et Jo. pridie ingressus triumphalis in Jerusalem.

agenti cum deliberatione, cum libera voluntate, id ipsum quod est ratio volendi est simul motivum et causa volendi (1). Unde dicendum videtur: Deus habet rationem suæ volitionis, ergo et motivum seu causam; vel Deus non habet motivum et causam suæ volitionis, itaque nec rationem sed omnia absque ratione condidit.

Statuimus autem: 1/ voluntas divina revera nullam causam habet (2); 2/ merito tamen vocatur rationabilis; imo perfecte ac eminenter est rationabilis atque sapientissima, quod revelatio nos clare docet.

Uti ex præmissis jam apparet, quæstio respicit voluntatem divinam non necessariam, qua Deus vult esse alia a se et responsum eo spectat ut intimius intelligatur quomodo Deus velit.

1/ Intellectus humanus seorsum intelligit principium et seorsum conclusionem, adeo ut intelligentia principii sit causa scientiæ conclusionis seu faciat esse scientiam conclusionis; similiter voluntas humana seorsum vult finem et seorsum ea quod sunt ad finem seu media, adeo ut volitio finis vere moveat ad volenda media seu sit causa volendi ea quæ sunt ad finem (3).

« Si [vero aliquis] intellectus in ipso principio inspiceret conclusionem, uno intuitu apprehendens utrumque, in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum, quia idem non est causa sui ipsius..... Similiter est ex parte voluntatis, circa quam sic se habet finis ad ea quæ sunt ad finem, sicut in intellectu principia ad conclusiones » (4).

Jamvero sicut primum obtinet pro intellectu divino,

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 19, a. 5, obj. 1.

(2) Respicimus nunc imprimis causam *finalem*, sed neque volitionis divinæ ulla est causa *efficiens*: non extra Deum, uti patet; neque intra Deum, quia omnis operatio divina est realiter idem ac esse divinum: unde nec ulla operatio potest esse causa efficiens alterius; cfr VANDER MEERSCH, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 478. p. 374.

(3) Nota tamen quæ habentur de ulteriore analysi volitionis, qua volumus ea quæ sunt ad finem, apud *Sum. theol.*, I-II, q. 8, a. 3 et q. 12, a. 4, c.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 19, a. 5, c. et q. 83, a. 4, c.

qui absque ullo discursu cognoscit (1), ita et alterum pro voluntate divina : Deus nullam habet causam finalem agendi, nullum finem propter quem acquirendum agit et qui vere causat volitionem eorum quæ sunt ad finem, seu vere movet voluntatem divinam ad eadem volenda (2).

Et enim nullus finis, nulla bonitas extra Deum existens ipsum movere potest ad volendum, quia sic Deus esset dependens a rebus; insuper omnis bonitas extra Deum existens est a Deo participata, itaque rursus ipsum ad volendum movere nequit. Deinde nec ipsa bonitas divina est Deo proprie causa volendi alia a se, siquidem bonitas divina est idem cum volitione divina; unde non potest illa esse causa hujus, cum nihil sit causa sui ipsius. Deus vult una eademque volitione, quæ est suum esse, suam bonitatem et alia a se, quæ sunt bona, bonitate a Deo participata (3).

2/ Attamen quamquam Deus cognoscit effectum *in* causa, *non ex* causa, nihilominus cognoscit effectum *esse effectum* dependentem ab hac causa; similiter quoad voluntatem : Deus volendo media, quin moveatur a fine, « vult [tamen] ea quæ sunt ad finem ordinari in finem. Vult ergo hoc *esse* propter hoc » (4), seu *esse medium* ad

---

(1) *Ibidem*, q. 14, a. 7, c.

(2) Causa seu motivum volendi vocatur etiam *finis operantis propter quem* et ratio tunc nuncupatur finis operantis *quia, cur* vel *cujus gratia (Collat. Brugen.*, II, p. 18), sed adverte quæ de hac terminologia sapienter monet ILLUST. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, apud *Collat. Brugen.*, VI, p. 433, n. 2.

(3) Cfr *Contra gentes*, I, 86 ; *Collat. Brugen.*, II, p. 18 et VANDER MEERSCH, *o.c.*, n. 478, p. 374.

(4) *Sum theol.*, I, q. 19, a. 5, c. et sequitur : « sed [Deus] non propter hoc vult hoc » ; scil. Deus non vult media propter finem eo modo quo illa vult homo, cui volitio finis est motivum et causa volendi media : hoc (finis) movet voluntatem humanam ad volendum hoc (medium) ; Deus vero non habet causam volendi sed solam rationem, quod exprimit s. Thomas hac formula : non vult hoc propter hoc sed vult hoc *esse* propter hoc : ordinatio medii ad finem existit objective in rebus et hanc ordinationem objectivam vult Deus, ast non existit parallela ordinatio in voluntate Dei, qui « uno actu vult omnia in sua bonitate » (*Sum. theol.*, *l. c.* et cfr *Contra gentes*, I, 87).

hoc et omnia alioquin alia a se vult esse propter suam bonitatem, quæ est ipsi ratio volendi quæcumque vult esse (1).

Verum, voluntas humana dicitur rationabilis, quando homo vult secundum rectam deliberationem, volendo media tanquam media et quidem singula in ordine suo ad finem suum proximum atque etiam finem ultimum ac debitum.

Deus porro secundum consilium voluntatis suæ, sed absque imperfectione, quoniam uno intuitu cognoscens omnia proprie non deliberat, neque etiam motivum habet seu causam volendi, vult omnia tamen esse mutuo ordinata, v. g. irrationalia esse propter rationalia, et hæc omnia simul esse ordinata ad finem ultimum ac debitum, quæ est ipsa bonitas divina.

Unde voluntas divina merito dicitur rationabilis et quidem eminenter rationabilis, quoniam Deus omnia facit esse secundum ordinem sapientiæ suæ, quam effudit super omnia opera sua (2), disponens omnia suaviter (3).

H. Lamiroy.

---

(1) Vide responsum mensis præcedentis, supra p. 222 s. et adverte omnia ordinari in bonitatem divinam tanquam in finem, non eum tamen « qui efficiatur ex his quæ sunt ad finem ; sed magis quo efficiuntur et perficiuntur ea quæ ad ipsum ordinantur », uti dicitur *De verit.*, q. 23, a. 4, c ; cfr *Contra gentes*, I, 81.

(2) Lege *Eccli.*, I, 10 et multa alia hujusmodi testimonia in sacra Scriptura, ut puta in *Ps.* CIII, 21 : « omnia in sapientia fecisti ».

(3) *Sap.*, VIII, 1 et recole quæ de providentia divina et de divina gubernatione demonstrantur in tract. de Deo uno et de Deo creante. — Sic porro, uti notatur *Contra gentes*, I, 87 : « excluditur error quorumdam dicentium omnia procedere a Deo secundum simplicem voluntatem ; ut de nullo oporteat rationem reddere, nisi quia Deus vult » ; vide et *Contra gentes*. III, 97.

III-IV.

De Contractibus in genere X.

Q. *An debitor, omnibus debitis suis solvendis impar, sed liberam adhuc habens administrationem bonorum suorum, aliquem ordinem in solutionibus suis ex justitia stricta servare tenetur : sive propter legem civilem, sive propter legem naturæ ?*

R. Specialis quædam et practica difficultas pro foro conscientiæ exoritur expendenda, casu quo aliquis debitor, jam omnibus debitis suis solvendis impar, modum quærit legitimum creditoribus suis aliqualiter satisfaciendi ; quam difficultatem in sequentibus responsis per partes solvendam nunc aggredimur.

Profecto alius et alius est tunc agendi modus in conscientia debitus, prout debitor liberam bonorum suorum administrationem adhuc retinet, sive secus : amittit autem eam per cessionem bonorum suorum, aut manus appositionem a creditore peractam, aut declarationem foricessionis a judice factam : de quibus infra.

Sed antequam res huc deveniat, ponitur jam pro hujusmodi debitore quæstio fori interni : an attento utroque jure, naturali scilicet et civili, jam sit in conscientia aliquis ordo præferentiæ inter varios creditores servandus, necne ?

1/ Seponamus primo casum *rei actu alienæ :* scilicet depositæ, locatæ, venditæ, furto sublatæ, quam debitor solvendo impar in individuo detineret : hanc profecto ante omnia vero proprietario reddere tenetur, nam res clamat domino ; nec sane ex alienis rebus solvere potest debita sua, sed tantum ex suis (1). Ceteroquin res actu

(1) « Injuste proinde agunt qui rem sibi *commodatam* aut apud se *depositam* vendunt ut ex earum pretio debita solvant : hujus injustitiæ participes fiunt et cum venditore ad restitutionem in solidum obligantur qui illatæ domino injuriæ conscii res illas aut emunt, aut in debitorum solutionem accipiunt ». MARRES, *De Justitia*, II, n. 305.

aliena non est stricte debitum sed proprietas alterius, in quam scilicet alter plenum jus in re habet; dum hic de debitis loquimur proprie dictis, seu de jure ad rem quod creditores in casu possident, et quo adstringitur *persona* debitoris (1).

2/ De debitis ergo principium generale sic enuntiari potest: debitor solvendo impar, qui tamen adhuc libere administrat bona sua, tenetur ex justitia ad solutionem *proportionaliter* faciendam inter omnes creditores suos: nisi quidam ex creditoribus legitimo titulo præferentiæ gaudeant ex jure civili sive naturali, ita ut illis præ ceteris debeat aut saltem possit totum solvi creditum, nonobstante damno aliis inde obventuro (2). Verum, inspectis deinde hujusmodi titulis necnon Auctorum discussionibus, parum admodum de regula proportionali remanere ex dicendis profecto patebit.

---

(1) Inter res *actu* alienas non est computanda pecunia ab ejusmodi debitore mutuo accepta, quippe quæ statim in ejus dominium transit, relicto mutuanti solo jure ad rem. Quid vero de re a tali debitore jam empta necdum soluta? Iterum in jure nostro proprietas statim ad emptorem transfertur, adeoque non tenetur debitor hanc rem venditori reddere titulo rei actu alienæ. Eam tamen posse tunc reddi tenent plures AA.: tum quia æquitas naturalis ita postulat, tum quia res subjici videtur tacitæ quasi-hypothecæ erga venditorem pro valore pretii; ideoque etiam dicunt non esse tunc inquietandum venditorem qui hanc rem occulte recuperaret. Cfr Génicot-Salsmans, *Theol. Mor.*, I, n. 603. — Insuper: « s. Alphonsus alium casum proponit n. 686, nempe si pecunia furtiva immixta sit propriæ, et ait, rationabiliter dici eam ante alia debita esse restituendam, quia totus cumulus remanet obligatus domino pecuniæ ablatæ, et remittit ad n. 499. Nihilominus ibidem, v. *notandum*, docuerat probabile esse quod ait Lugo disp. 6, n. 66, cum aliis, furem per admixtionem fieri dominum totius cumuli saltem si pars furtiva minor fuerit (cf. n. 211). Ergo etiam in nostro casu tunc probabile erit, non esse obligationem restituendi pecuniam ante alia debita ». Ballerini-Palmieri, *Op. Mor.*, III, n. 517.

(2) Pari modo loquitur in art. 8 Lex belgica 16 Dec. 1851, mutantem veteres art. 2092-2203 Cod. civ.; sed casum respicit amissæ jam administrationis bonorum a debitore. Hac ergo proportionali ratione, si v. g. debita essent facultatibus quadruplo majora, singuli creditores eamdem proportionem, seu quartam partem crediti sui acciperent.

A/ *Jure civili* distinguuntur creditores *privilegiati*, *hypothecarii* et communes seu *chirographarii*.

Privilegium dicitur hic jus quod certo creditori tribuit lex ex ipsa natura sui crediti, ut ex aliquibus aut imo ex omnibus quandoque bonis debitoris ille ceteris præferatur. Sic ante omnia afficit dictum privilegium solvendas expensas judiciarias factas in favorem ipsorum credirum; deinde expensas factas in conservationem ipsius rei; postea generatim expensas exsequiarum; deinde statuto ordine expensas ultimi morbi, salaria famulorum solvenda et expensas alimentarias, etc. Pariter creditor qui pignus proprie dictum (1), quod est jus reale, possidet in cautionem sui crediti, privilegiatus est relate ad hanc rem; caupo seu hospes (l'hôtelier) relate ad res a viatore in caupona depositas ibique detentas; plaustrarius (le voiturier) relate ad transvectas merces; locator domus relate ad res mobiles in domo exstantes; venditor relate ad rem a debitore nondum solutam et apud ipsum adhuc manentem, etc.

Jamvero, ipsa lex quæ privilegium instituit, ipsum ea tantum conditione vim obtinere statuit, quod jam debitor administrationem suorum bonorum amiserit; vel saltem postquam creditor per legitimam intimationem legali modo peractam (2) debitori significaverit se bona ipsius juridice apprehensurum fore nisi statim solvat.

Proinde, antequam res huc deveniat, non sunt propter legem præferendi creditores privilegiati: hoc tamen cauto quod nihil contra jus reale pignoris fiat, prout ex dicendis circa hypothecam statim patebit. Verum, impo-

---

(1) Cfr conditiones ad hoc requisitas in art. 2073-2079 Cod. civ.

(2) Cfr art. 583 Cod. proc. civ. pro apprehensione mobilium, et art. 673 Cod. ejusdem necnon art. 14 Legis 15 Aug. 1854 pro apprehensione immobilium. — La saisie (sauf la saisie-arrêt) « doit être précédée d'un *commandement* fait au débiteur.... Le commandement est un exploit d'huissier d'un genre particulier dont l'art. 673 précité indique le contenu, et qui ne peut être fait (sauf par l'Etat) qu'en vertu d'un titre exécutoire (art. 545 Cod. proc. civ.) ». PLANIOL, *Droit Civil*, II, n. 203.

sito jam per legem ordine præferentiæ inter creditores, res fit statim justitiæ strictæ: cum ordinatio legalis justa sit et vere determinativa proprietatis, eo magis quod contractus per se juxta leges vigentes iniri censeantur.

Hypothecarii nunc dicuntur creditores (1) qui in cautionem sui crediti hypothecam aliquam sumpserunt in bona immobilia debitoris, indeque jus *reale* acquisiverunt quod lex violari vetat, concorditer cum jure naturæ. Ex lege 16 Dec. 1851, art. 81, ordo inter varias hypothecas quæ quandoque eamdem rem immobilem gravant, pendet a die inscriptionis earum apud conservatorem hypothecarum.

Jamvero, distinguendum est inter jus prioritatis ad solutionem ex bono hypothecæ subjecto, et ipsum jus reale hypothecæ. Hypotheca nimirum non confert jus prioritatis nisi suo ordine, scilicet post credita privilegiata, et sub eadem conditione quod debitor jam amiserit administrationem bonorum suorum; at jus reale hypothecæ quocumque tempore violari prohibent jus civile et naturale simul, et idem de jure reali pignoris valet. Quapropter, quamdiu debitor sua bona adhuc administrat, non debet quidem propter legem creditores hujusmodi præferre iis præ ceteris solvendo totum creditum; sed nec ex justitia potest aliis creditoribus etiam partialiter satisfacere *ex bonis hypothecæ sive pignori subjectis.*

B/ *De jure naturæ* nunc agendo, præter pauca quæ ab omnibus Auctoribus admittuntur, in plerisque punctis videbimus propter discussiones theologorum et oppositas sibi invicem probabilitates, facultatem revera concedi debitoribus ut, salva saltem justitia, pro lubitu solvant quibus voluerint, quamdiu bona sua regunt.

In hoc sane concordant omnes, prius solvenda esse debita ex contractu oneroso quam gratuito v. g. promissionis liberalis; quia nemo liberalis nisi liberatus, et ex ipso jure naturæ promissioni gratuitæ semper subintelli-

(1) Datur etiam, præter conventionalem, hypotheca legalis et hypotheca testamentaria; de quibus cfr eamdem Legem 16 Dec. 1851.

gitur: modo dare valeam nec status rerum mearum mutetur in deterius; modo solutis debitis strictis aliquid supersit. Hinc v. g. debita defuncti solvenda veniunt ante omnia legata, etiam pia.

Similiter satis consentiunt non esse debita ex delicto prius solvenda quam debita ex contractu oneroso: nam pro utroque creditore par est jus naturæ, nec lex civilis quidquam simile disponit.

Utrum vero præferendi sint creditores tempore antiquiores recentioribus, controvertitur. Affirmat Lugo (1) cum pluribus, ita ut ex justitia teneatur debitor, omnibus solvendis impar, anterioribus creditoribus integre satisfacere. Et ratio affertur: non tantum æquitatem naturalem sed et strictum jus naturæ ita postulare, cum ratione priorum obligationum non jam potuerit ille debitor nova contrahere debita nisi cum implicita limitatione: modo solvere possim absque detrimento prioris creditoris. Quæ tamen ratio non plene convincit; nam etsi delictum forsan ex temeritate sua commiserit debitor hujusmodi, inde tamen minime minui videtur jus recentioris creditoris, qui hanc implicitam conditionem nec supponere nec admittere tenetur. Ideo probabilior saltem apparet sententia Lessii (2) multorumque post ipsum, minime præferendos esse antiquiores creditores recentioribus : quia hic de jure ad rem tantum agitur seu de personali obligatione debitoris erga creditores, persona autem ejus jure naturæ æque obligatur erga omnes (3). Tamen, ex probabilitate communiter admissa oppositæ sententiæ, debitori licebit in conscientia priores præferre creditores ; modo in his et similibus casibus attendat apud nos art. 573 Cod. Comm. et art. 489 Cod. Pœn. (4).

---

(1) *De Justitia et Jure*, disp. 20, n. 147.

(2) *De Justitia et Jure*, cap. 15, n. 44.

(3) Secus est de hypothecis dicendum, quarum priores recentioribus omnino præferendæ sunt; sed tunc jus reale agitur, sicque etiam lex civilis disponit in casu.

(4) Nempe si sit mercator et fori cessor, alicuique creditori in detrimentum ceterorum adhuc faverit postquam solutiones suas jam

Ulterius, an possint aut debeant creditores pauperes præferri ceteris, rursus ambigitur. Per se nempe negative videtur respondendum, quia stricta justitia æqualitatem rei ad rem respicit seu debiti ad creditum, nec facultatum creditoris rationem habet. Tamen, casu (parum practico) extremæ aut quasi-extremæ necessitatis alicujus creditoris, cum tunc ille contra omnes jus ad vitam habeat, tenebitur debitor saltem ex caritate, quantum potest, ipsi præ ceteris solvere. Similiter casu necessitatis gravis, sive in illa jam versetur aliquis creditor sive in eam dejiceretur negatione integri debiti : cum enim in hac hypothesi per se teneantur ex caritate ceteri creditores plenam hujusmodi pauperi permittere solutionem, nec sæpe copiosa sit summa tali creditori debita, plerumque ex præsumpto consensu creditorum poterit debitor tuta agere conscientia, et tunc utique ex caritate debebit. Imo, universaliter probabilem dicit S. Alphonsus (1) sententiam Molinæ (2) et plurium antiquorum, quæ tenet semper præferri posse pauperiorem debitorem, etiam in necessitate communi: cum ille plus damni patiatur nisi ipsi solvatur prius ; nec utique in conscientia culpandus erit qui hanc opinionem in casu sequatur.

Insuper, an debita certa præferenda sunt incertis? Utique profecto, si incertum sit utrum quædam debita existant : nam hæc nondum sunt solvenda. Si vero incerta sit tantummodo persona creditoris vel impediatur debitor ne ipsum inveniat, rursus affirmandum censemus ceteris tunc solvendum esse præ pauperibus, qui secundum paucorum oppositam sententiam (3) in jus incerti creditoris ob præsumptam ejus voluntatem subro-

---

cessaverat, culpandus est « de banqueroute simple », indeque ad carcerem damnandus. Quare ex caritate sui suorumque facile impedietur mercator hujusmodi quominus sententiam benigniorem in casu sequatur.

(1) *Theol. Mor.*, n. 691.

(2) Disp. 536.

(3) Cfr Molina. disp. 780, n. 2.

garentur. Jus enim aliorum creditorum ex lege naturæ oritur et expeditum manet, dum pauperum jus ex positiva tantum voluntate creditoris incerti descendit ; insuper non est communiter (1) præsumendus hujusmodi creditor velle ut pauperes cum damno aliorum creditorum in jura sua transeant.

Denique, inquirendum manet utrum *petenti* solutionem creditori qui nec antiquior sit nec pauperior aliis nec ob legem civilem præferendus, de jure naturæ integrum debitum exsolvi possit præ ceteris nondum petentibus. De qua quæstione solide probabilis est tum extrinsece (2) tum intrinsece sententia affirmans. « Revera si unus solum ex creditoribus coram judice prosequitur debiti sui solutionem, debitor sententia judicis cogitur ad solvendum, et tunc solvere potest jam ea de ratione quod absque gravi incommodo denegare non posset. Præterea lex civilis admittit validitatem et liceitatem solutionis factæ uni creditori etiam privatim petenti præ aliis creditoribus qui juribus suis non invigilant ; imo usus est in rebus commercii ut debitum cujus dies venit solvatur petenti privatim, etsi debitor sit debitis obæratus. Atqui contrahentes, scilicet debitor et varii ejus creditores, censentur contraxisse juxta hunc morem et legem, ita ut debitor promittat solutionem juxta usus receptos et creditores in hoc consentiant » (3). Adde quod debitor ille, recusando solutionem in hoc casu, plerumque se proderet ; unde rursus ratione magni illius incommodi vitandi probabiliter saltem et practice tuto petenti creditori satisfacere potest. Nec magis in conscientia culpandus est ipse creditor taliter petens, etiamsi labilem statum

---

(1) Lugo tamen hanc præsumptionem in specialibus quibusdam casibus admittit; de quibus cfr Ill^mum^ Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 507.

(2) Cfr Molina, disp. 536, n. 42; Lessius, *o. c.*, l. II, cap. 15. n. 41; Lugo, *o. c.*, disp. 20, n. 174 hanc sententiam probabilem autumat; S. Alphonsus, *o. c.*, n. 692; et moderni communius.

(3) Kiselstein, apud *Revue ecclésiastique de Liège*, 1922, p. 173.

debitoris et impotentiam ejus certo cognoscat (1) ; quia ipse suo tantum juri invigilare debet, nec rem accipit jure reali hypothecæ vel pignoris alteri jam obligatam, sed illud tantum postulat quod sibi contractu stipulatum est, damnum aliorum propter proportionatum commodum proprium licite permittens.

Quæ cum ita sint, ulterius adhuc procedendum esse videtur, et logice concludendum debitori etiam licere, salva saltem justitia, ut creditorem aliquem v. g. amicum pro lubitu moneat de petitione facienda (quia ex justitia licet id consu'ere quod alter licite facere potest) ; imo etiam ut ipsi ultro solutionem offerat. « Difficulter enim aliquis evadat argumentationem quam instituit Lugo disp., 20, n. 174 : quodsi liceat prius petenti integre satisfacere, cur non licebit eum ut amicum monere ut prius petat ? Quod nihil aliud est nisi non petenti integram solutionem offerre ; siquidem offerendo debitor monet creditorem, creditor annuendo petit atque sic solutionem accipit. Porro prius petenti integre satisfieri posse, Lugo quidem negat, habet tamen pro opinione probabili... » (2)

Unde non est cur intrinsecam probabilitatem hujus sententiæ denegemus, quæ extrinsece etiam probabilis est (3).

Manet tamen communiter hæc ultronea oblatio sive monitio peccatum contra caritatem ex parte debitoris, ratione damni aliis creditoribus inde obventuri : cum nec præcesserit petitio alterius, nec iste creditor pauper supponatur nec anterior præ ceteris creditoribus nec etiam propter legem favore dignus. Verum, bona fides debitorem in casu sæpius excusabit ; insuper fieri potest ut ipse personalem et sufficientem rationem habeat taliter

---

(1) Nam a fortiori si dubitat, potest ; quod in praxi plerumque contingit ; « cum creditor in certam notitiam status sui debitoris vix deveniet, antequam judex rebus manum apposuerit ». Ill. Waffelaert, *o. c.*, n. 516.

(2) Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, I, n. 1219. — Cfr etiam Ill. Waffelaert, *o. c.*, n. 515.

(3) Cfr inter modernos Lehmkuhl, *o. c.*, n. 1219 ; Ballerini-Palmieri, *o. c.*, n. 524 ; Génicot-Salsmans, *o. c.*, n. 603 ; etc.

agendi, v. g. ad aliquod incommodum notabile vitandum; quo casu etiam caritas salva erit.

Unum solummodo monendum remanet: varias illas solutiones per præferentiam factas sat sæpe postea a judice irritari, cum debitor administrationem bonorum suorum jam amiserit; quæ irritatio conscientiam tunc ligat, ut in sequentibus exponetur: « applicantur enim leges justæ et secundum quas tacite ineuntur contractus e quibus debita orta sint » (1).

Conclusio ergo sit: cum lex positiva, præter jura realia servanda, nullum ordinem solutionum imponat debitori solvendo impari, quamdiu ille bona sua adhuc regit necdum legitima intimatione monitus fuerit; cumque ex jure naturæ, attenta diversitate sententiarum, nullus etiam ordo ex justitia imponi possit quoad debita onerosa et certa, dicendum est non esse injustum debitorem hujusmodi qui tunc pro lubitu solvit, salvis tantummodo creditorum juribus realibus hypothecæ et pignoris, et salva rescissione solutionum postea forsan a judice pronuntianda (2). E. HOSTEN.

V.

De exemptione a legibus ecclesiasticis ratione ætatis.

Q. *Quinam ratione ætatis eximuntur a legibus ecclesiasticis?*

R. Generatim loquendo et abstractione facta a quavis positiva determinatione Ecclesiæ, nullus baptizatus sola ratione ætatis a lege ecclesiastica exemptus dici posset.

---

(1) GÉNICOT-SALSMANS, *o. c.*, n. 603.

(2) « Mag een schuldeischer, die weet dat de schuldenaar niet goed bij kas is, zijn *schuldvordering aan een derden persoon overmaken* zonder dezen te laten vermoeden dat de schuldenaar in benarden toestand is? De burgerlijke wet geeft geen waarborg (a. 1694), doch de rechtschapen eerlijkheid en de naastenliefde, zoo niet de strikte rechtvaardigheid, verbieden doorgaans dergelijke slinksche handelwijze. Wij antwoorden dus hier ietwat strenger dan waar er b. v. spraak is van publieke fondsen, waarvan men geheimelijk weet dat ze weldra zullen dalen ». SALSMANS, *Rechterlijke plichtenleer*, n. 226, nota 2.

Subjectum enim passivum legis humanæ sunt omnes subditi, rationis usu præditi, juxta uniuscujusque capacitatem ; ideoque, vi principii generalis seu ex ipsa natura rerum, subditus Ecclesiæ legibus ecclesiasticis tenetur eo momento quo usum rationis et aliam, forte requisitam, capacitatem acquisierit (1).

Fatendum est hanc regulam non esse in praxi valde commodam ! Facilius esset si *ætate determinata*, non vero tempore, judicio morali cujusque æstimando, exsurgeret obligatio (2). Inde, jam sub disciplina Codici anteriori, A.A. conati sunt, tum pro quibusdam legibus in specie, tum etiam pro legibus ecclesiasticis in genere, fixam quamdam ætatem determinare ; varios autem in sensus abierunt. Satis nota sunt dubia circa ætatem a lege jejunii excusantem (3), opiniones variæ circa primam communionem ante declarationem Pii X, præsertim controversia de generali obligatione puerorum ante septennium (4).

Nunc autem feliciter ex Codice expedita res est. Ecclesia, attendens ad communiter contingentia necnon ad doctrinam, quæ jam ante Codicem prævaluerat, Ipsa nunc positive et cum desiderata præcisione determinat, quinam fideles ratione ætatis a legibus suis eximantur. Sic :

1/ Ex c. 1254 § 2, a lege jejunii eximuntur quotquot *vigesimum primum* annum nondum expleverunt et quotquot *sexagesimum* inceperunt.

2/ Ex c. 2230, pœnis latæ sententiæ non tenentur *impuberes*, scilicet heic, saltem juxta opinionem probabilem (5), in utroque sexu qui annum 14 non compleverunt.

---

(1) Cfr Vanden Berghe, *De Legibus*, 1904, n. 101, 104.

(2) Ill. Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n. 308, in nota.

(3) Ill. Waffelaert, *De Prudentia, Fortitudine et Temperantia*, 1889, p. 169, n. 179.

(4) Vanden Berghe, *o.c.* n. 104.

(5) Ita notatim censent Génicot-Salsmans II, 566 et A Vermeersch, *Theol. Fundamentalis*, n. 283, quia in hac dispositione de delictis puerorum jus novum cum veteri jure congruit, ideoque juxta c. 6. § 2, 3 ex jure antiquo æstimandum est.

3/ Tandem ex c. 12, immunes sunt a legibus ecclesiasticis in genere, pueri « qui, licet rationis usum assecuti, septimum ætatis annum nondum expleverunt, nisi aliud jure expresse caveatur ».

Ut autem hæc ultima et magis generalis exemptio rite intelligatur, ratio est habenda alius conditionis, in eodem canone indicatæ ; videndum nempe est utrum necne, simul cum ætate requisita adsit sufficiens usus rationis. Porro, utraque considerata conditione, requisita (præter baptismum) ut quis legibus ecclesiasticis subjiciatur, obligatio puerorum in novo jure describi potest ut sequitur.

A/ *Pueri post septennium completum* :

a/ tenentur legibus omnibus pro quibus major ætas non requiritur, dummodo certe usu rationis gaudeant ;

b/ non autem tenentur si certe usum rationis non habent ; nam obligatio puerorum « septennio expleto » est fundata in præsumptione facti (1), deficiente autem facto supposito, nempe usu rationis, præsumptio cedit veritati (2). Idem dicendum, si dubium est num pueri, expleto septennio, ad usum rationis pervenerint, saltem si dubium serium seu probabile est (3), nam juxta moralistas, obligatio objective dubia (uti hic supponitur) subjective nulla est.

B/ *Pueri ante septennium completum :*

a/ non tenentur generatim legibus ecclesiasticis, etsi usu rationis certo certius gaudeant ; ideo non peccant hujusmodi pueri, ne quidem materialiter, qui diebus prohibitis carnes manducant et diebus festivis missam non audiunt (4) ;

---

(1) Juxta c. 88, § 3 : « Impubes... expleto septennio, usum rationis habere *præsumitur* ».

(2) Cfr Vanden Berghe, *o.c.* n. 99.

(3) Dico : *si dubium probabile ;* si enim leve tantum, ex præsumptione juris puer censetur habere usum rationis. Item in foro externo a septennio completo puer præsumitur sui compos, sed præsumptione juris tantum.

(4) Expedit tamen ut, quantum rationabiliter fieri potest, pueri a teneris annis legibus Ecclesiæ servandis assuefiant atque in hunc sensum moneantur parentes,

b) tenentur tamen, dummodo usum rationis certe habeant, illis legibus ecclesiasticis, quæ ipsis in jure expresse applicantur. Ita, juxta Codicem, pueri, jam ante septennium usu rationis gaudentes, baptizandi sunt more adultorum et post debitam instructionem (c. 752, coll. 745 § 2, n. 2), tenentur præcepto confessionis annuæ (c. 906) et communionis paschalis (cc. 859 § 1, 860), necnon præcepto recipiendi sacramenta in periculo mortis (cc. 854, § 2, 940). Hæc quatuor præcepta continent, ut patet, interpretationem vel determinationem juris divini et ideo videntur excepta a regula generali de ætate requisita. Nihil tamen obstaret, quominus Ecclesia, si vellet, etiam in mere ecclesiasticis derogationes constitueret.

R. De Schepper.

VI.

De obligatis ad Festa Patroni et Tituli.

Q. *A quibusnam coli debent Patronus loci et Titularis ecclesiæ?*

R. Ex præcedenti responso (p. 231) sequitur diversum esse fundamentum obligationis colendi Patronum et colendi Titularem.

1. **Patronus** enim loci respicit «locum»; quam vocem rubrica accipit, ex communi modo loquendi, pro multitudine cleri et populi alicujus *a*) regionis (regni aut provinciæ), vel *b)* diœceseos, vel *c)* loci stricte dicti (civitatis, oppidi aut pagi): uno verbo alicujus *territorii determinati*. Pro hujus loci incolis constituitur ut specialis apud Deum intercessor: ergo, non solum in omnibus ecclesiis in dicto loco erectis, sed ab omnibus *qui locum incolunt* cultus ei erit exhibendus. Fundamentum igitur obligationis jacet in *facto habitualis commorationis* in dicto loco (1).

(1) Quocum logice cohærebat jus antiquum quo festum principalis Patroni loci (non vero Titularis ecclesiæ) erat celebrandum *cum feriatione in populo*. Verum novus Codex statuit: « Ecclesiastico præcepto

2. **Titularis** contrà directe respicit « ecclesiam » h. e. ædificium cultus solemniter sibi dicatum. Speciali igitur cultu Titularis qua talis colendus erit : *a)* in ipsa ecclesia, h. e. in missis et horis canonicis, quæ inibi publice persolvuntur; *b)* necnon ab iis qui præfatæ ecclesiæ « canonico titulo sunt addicti » (D. 4043.1) ut eam habeant ut ecclesiam « propriam », adeo ut horas canonicas ibidem persolvere censeantur (1). Hujusmodi titulus est *a)* obligatio ad chorum; *b)* beneficium ecclesiasticum; *c)* legitima adscriptio ad ecclesiæ servitium.

Quinam autem sunt - ad hunc effectum — alicui ecclesiæ vel oratorio *legitime adscripti* ? Videntur esse ii clerici qui actu legitimæ auctoritatis (apud nos Ordinarii) adstringuntur ad munia ecclesiastica peragenda in illa ecclesia, quam propria voluntate deserere non possint.

Si decreta adeamus, ecclesiæ suæ adscripti sunt et ad festum Titularis ejus tenentur : parochus (2), vice-parochus (D. 2872,1 ; 3979,7), coadjutor « ab Ordinario datus » (D. 3731, I, 1) ; rector, professores et alumni Seminarii in majoribus constituti (D. 2939,3) ; Fratrum scholarum christianarum « fixi capellani qui, a R^mo^ Ordinario designati, sunt addicti ipsorum domibus ad obeunda munera ministerii ecclesiastici », « dummodo ratione beneficii ad aliud officium non adigantur » (D. 4106).

Certe non tenentur « sacerdotes sæculares qui [tantum] *censentur* alicui ecclesiæ adscripti, *quia* missas ibi celebrant, aut confessiones excipiunt aut aliud quodcumque

---

dies festi Patronorum non subjacent; locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem » (can. 1247, § 2). Cujus canonis ultima pars emollita est rubricis novi Missalis (*Add. et Var.*, IV, 3) ut postea videbimus.

(1) Origine et natura sua canonicum officium ordinatur ad recitationem communem in choro; et hanc habitudinem ad chorum retinet officium etiam privatim recitatum.

(2) Si parochus habeat duas parœcias, ad festum utriusque Titularis tenetur (D. 2849); non ita missionarii qui pluribus ecclesiis uti rectores sunt addicti (DD. 3554 ; 3571, 2).

ministerium exercent » (D. 2872, 1), etiamsi forte ex conventione cum parocho inita (D. 3431, 3) (1).

Unde ulterius deducunt auctores ecclesiæ suæ adscriptos esse: deservitorem, qui parochi locum tenet; matricularium aut custodem ab Ordinario nominatum. Ecclesiæ aut oratorio solemniter benedicto alicujus hospitii, nosocomii, communitatis religiosarum, adscriptus habetur ille qui ab Ordinario nominatur ut ibidem munia servitii ecclesiæ qua rector obeat, non vero ille qui ibidem missam tantum celebret aut confessiones excipiat; item oratorio, modo sit solemniter benedictum, collegii ecclesiastici adscripti habentur non solum director seu principalis, sed etiam professores inhabitantes in collegio (2); non vero confessarii extranei.

3. Sedulo notandum est liturgiam, quæ fortiter inculcat hierarchicam subordinationem, habere **ecclesiam cathedralem** tanquam parochialem et propriam pro tota diœcesi: hujus igitur ecclesiæ Titularis, sicut et Patronus diœcesis ab universo diœcesis clero sæculari et regulari est colendus.

II. Juxta hæc principia determinant **rubricæ** sequentia.

1. Festum tam principalis Patroni sive regionis, sive diœcesis, sive loci stricte dicti, quam Titularis sive ecclesiæ propriæ, sive ecclesiæ cathedralis, **celebrandum est ritu duplici I classis** et quidem regulariter *cum octava communi*.

---

(1) Quid præcise ad veram et canonicam adscriptionem heic requiratur non determinant auctores, qui vago modo loquuntur. Ex decretis autem mox citatis apparet non requiri: *a)* curam animarum, qua carent vicepastores (D. 2872, 1); *b)* jurisdictionem, quam per se non habent Seminarii professores; *c)* officium ecclesiasticum personaliter persolvendum, ad quod non tenentur alumni Seminarii (D. 2939, 3). Omnino autem requiri videtur *a)* nominatio ab Ordinario facta, non libera muneris assumptio; *b)* obligatio quædam ad servitium ecclesiasticum in ecclesia peragendum, saltem a membris communitatis in solidum, ut in Seminario (D. 2939, 3).

(2) M. Bernard-L. Hébert, *Leçons de liturgie*, I, n. 108, Paris, 1920. Revera sacerdotes professores in collegiis nostris episcopalibus, vi nominationis suæ tenentur non tantum singuli docere determinatam materiam, sed etiam, duce principali, in solidum curare servitium liturgicum oratorii.

2. Pro **officiis publicis** quotannis inscribi debent :

1/ festum Titularis ecclesiæ propriæ vel proprii oratorii solemniter benedicti (D. 4025) : in kalendario hujus ecclesiæ ;

2/ festa tum Titularis ecclesiæ cathedralis, tum Patroni principalis diœcesis : in kalendariis omnium ecclesiarum quæ sitæ sunt in diœcesi : sed sine octava in ecclesiis regularium qui non sequuntur kalendarium diœcesanum ;

3/ festa Patroni principalis tam regni (1) quam loci stricte dicti : in kalendariis ecclesiarum quæ sitæ sunt intra limites respectivi territorii, sed sine octava in ecclesiis regularium qui sequuntur kalendarium proprium.

Et secundum kalendarium uniuscujusque ecclesiæ celebrandæ sunt *missæ* et officia *publica* quæ in dicta ecclesia aguntur etiam ab extraneis.

3. Ad **officii recitationem privatam** quod attinet :

a/ Ad festum *Titularis ecclesiæ propriæ* cum octava celebrandum tenentur, omnes qui sunt ecclesiæ titulo canonico ut supra addicti, tam regulares quam sæculares, sive præsentes sint sive etiam longo tempore absentes. Quamdiu enim manet titulus canonicus quo ligantur ecclesiæ permanet fundamentum obligationis.

Quoad absentes, multi hoc non admittunt. Sed quamdiu manet officium aut titulus canonicus quo ligantur ecclesiæ, permanet fundamentum obligationis. Cur non permaneret ipsa obligatio? Decreta et auctores hoc admittunt pro episcopo et canonicis (D. 1599,2) et pro omnibus beneficiatis (D. 2682,46) quia sunt « ecclesiæ suæ ligati » : sed pari vinculo, licet alio titulo, ligantur qui sunt « adscripti ecclesiæ servitio ». Unde videtur nobis tantum cessare præfatam obligationem quando cessat vinculum, non autem per temporaneam absentiam (2).

---

(1) Pro toto Belgio, festum patroni regni est S. Joseph.

(2) Idem tenent M. Gatterer S. J., *Annus liturgicus*, Œniponte, 1912, n. 101, 2; Coppin-Stimart, *S. Liturgiæ compendium*, Tornaci, 1903, n. 46, B.

b/ Festa Titularis ecclesiæ cathedralis, et Patroni diœcesis, necnon festa Patronorum principalium tam oppidi vel civitatis quam provinciæ et nationis celebrare tenetur *cum octava* clerus sæcularis et regularis intra terminos diœcesis, aut respectivi loci degens et kalendarium diœcesanum sequens. Ad eadem festa sed *sine octava* celebranda tenentur regulares ibidem commorantes et kalendarium proprium habentes.

Quum pro his festis fundamentum obligationis sit domicilium vel habitualis commoratio, patet absentiam a loco facilius posse evertere obligationem. Unde: *a*/ qui domicilium acquirunt alibi vel alio divertunt cum animo domicilium figendi, certe non jam tenentur; *b*/ qui sine hoc animo ad breve tempus absunt, vel etiam ad longum tempus sed ab uno loco ad aliud peregrinantes tenentur, ad festa suæ diœcesis vel sui loci: v. g. professores tempore feriarum tenentur ad festum Patroni non loci in quo feriantur, sed loci in quo munus suum docendi exercere solent.

c/ Qui tandem sat longo tempore continuo degunt in alio loco, v. g. ratione studiorum, « conformari possunt cum officio loci ubi morantur » (D. 2682, 46), sed non debent. Quo longiori tempore degunt in aliquo loco, eo convenientius ejus kalendarium sequuntur (2).

C. Callewaert.

(1) Cf. *Breviarii Additiones et Variationes*, t. IX, nn. 2 en 3.

(2) Cf. J. Pauwells S. J. ap. *Perodica de re canon et morali*, XII (1923), p. (29).

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis maii propositas.

—

I.

Ultima cœna.

Q. *Ordine chronologico dispone varia facta quæ juxta quatuor evangelia in ultima cœna locum habuerunt.*

R. Non ita pauca — sive eadem sive diversa — in quatuor evangeliis relata inveniuntur fuisse facta aut dicta sive a Jesu sive ab Apostolis ejus ; neque ita semper obvium apparet hæc omnia ordine chronologico quo revera locum habuerint disponere. Quæ nobis magis probabilia vel certa videntur hîc breviter ex ordine indicamus, quid alii circa nonnulla censeant in notis subjecturi (1).

Vespere facto, cum facta esset hora, legalis, 6_a nimirum vespertina nostra, discumbit Jesus cum Apostolis suis duodecim, simul cum illis celebraturus cœnam paschalem judaicam (2), cujus variæ partes modo consueto sibi subsequuntur (*Mt.*, XXVI, 20 ; *Mc.*, XIV, 17 ; *Lc.*, XXII, 14) :

a/ Omnes manus abluunt ; — benedicit Jesus, princeps cœnæ, primum calicem bibendum (calicem *Kiddusj*), ex eo bibit eumque aliis bibendum præbet ; — introducitur mensa cum agno paschali aliisque cibis præscriptis ;

---

(1) Longius esset pro quæstionibus disputatis argumenta prò et contrà exponere ; invenire ea est im omnibus Evangeliorum commentariis. Remittimus potissimum ad præclarum opus P. G. GROENEN, *Het lijden en sterven van ons O. H. Jesus Christus*, (De Vlaamsche Boekenhalle, Leuven), 1919.

(2) Immerito, ut videtur, plerique rationalistæ et quidam catholici censent Jesum non celebrasse cœnam paschalem.

— manducant omnes de lactucis agrestibus, intinctis in condimento (charoseth vocato).

b/ Jesus benedicit secundo calici ; — enarrat facta Exodi quæ cœnæ paschali locum dederunt ; — cantantur duo primi psalmi Hallel (*Ps.* CXII et CXIII, 1-8 Vulg.) ; — bibitur secundus calix ; — panes azymi rumpuntur, benedicuntur, distribuuntur.

c/ Manducatur agnus paschalis ; — eduntur alii cibi vulgares, si agnus non sufficeret, ita tamen ut ultima bucella sit de agno. — Ad hunc agni paschalis esum refertur quod dicit Jesus, apud *Lc.*, v. 15-16, se vehementer desiderasse hoc pascha manducare cum Apostolis illudque nunc ultima vice manducare in hac sua vita terrestri ; unde haec verba prolata fuerint hoc momento quo agnus manducatur, vel forte momento quo agnus paschalis in cœnaculum introducebatur.

d/ Abluuntur manus ; — benedicitur tertius calix, vocatur calix benedictionis, idemque bibitur ; — præparatur quartus calix, calix Hallel vocatus ; — cantantur reliqui psalmi Hallel (*Ps.* CXIII, vv. 9-fin.-CXVII) (1) et calix bibitur. — Ad unum ex quatuor calicibus, probabilius ad tertium aut quartum referuntur verba Jesu (*Lc.*, vv. 17-18, *Mt.*, v. 29 ; *Mc.*, v. 25) se hunc calicem paschalem jam non in hac terra bibiturum (2).

Iterata mentio regni Dei a Jesu facta (*Lc.*, v. 16 et 18) provocaverit disputationem Apostolorum quis eorum

---

(1) Ad hunc cantum videtur referendum quod notat *Mt*, v. 30 : « *Hymno dicto, exierunt in montem Oliveti* ». Nimirum non exspectaverint a psalmis illis cantandis usque ad finem totius cœnæ, etiam eucharisticæ, sed momento legali et consueto decursu cœnæ paschalis cantaverint. — Alii tamen hunc hymnum de aliis psalmis, puta de iis qui « magnum Hallel » vocabantur (Ps. CXVIII [vel CXX, vel CXXXV] — CXXXVII) intelligunt, putantque hos psalmos in fine totius cœnæ fuisse recitatos.

(2) Immerito quidam hæc verba Jesu referunt ad calicem eucharisticum.— Qui autem verba ad aliquem ex calicibus paschalibus referunt, nondum conveniunt de quonam calice sit cogitandum, et pro singulis calicibus patroni adduci possunt.

videretur esse major (*Lc.*, v. 24), Jesuque responsum (*Lc.*, vv. 25-30) (1). — Eadem disputatio, sicut et instans cœna eucharistica, ansam dederit ablutioni pedum (2) (*Jo.*, XIII, 1-11), qua admirabili suo exemplo humilitatem mutuumque amorem Apostolis suis inculcare voluit, prout ipse cæteroquin factum suum interpretatur (*Jo.*, vv. 12-20).

Dum pedes discipulorum abluit, jam prima vice alludit ad futuram Judæ proditionem, modo omnino generali : Vos mundi estis, sed non omnes (*Jo.*, v. 10-11) ; — dum ablutionem interpretatur, magis specificat, unum nempe ex intimis suis eum esse male tractaturum (*Jo.*, vv. 18-19) ; deinde jam clare dicit unum ex adstantibus eum esse proditurum (*Jo.*, v. 21 ; *Mt.*, v. 21 ; *Mc.*, v. 18). — Contristati interrogant singuli discipuli Jesum num ipsi sint (*Mt.*, v. 22 ; *Mc.*, v. 19), et, Jesu nondum respondente, quærunt inter se (*Lc.*, v. 23 ; *Jo.*, v. 22). Quare Jesus iterum proditorem unum fore de duodecim secum manducantibus indicat (*Mt.*, v. 23 ; *Mc.*, v. 20 ; *Lc.*, v. 21), et horrorem sceleris sublineat (*Mt.*, v. 24 ; *Mc.*, v. 21 ; *Lc.*, v.22). — Petrus proditorem cognoscere desiderans, per Joannem Jesum interrogat ; Jesus submissa voce respondet eum fore cui daturus est buccellam (agni), eamque tradit Judae (*Jo.*, vv. 23-27). — Forte submisso illo colloquio turbatus, etiam Judas Jesum interrogat, responsum accipit, et exit (*Mt.*, v. 25 ; *Jo.*, v. 28-30), et Jesus gratias agit Deo (*Jo.*, vv. 31-32) (3).

Nunc locum habet institutio Eucharistiæ, (sub specie panis primùm, deinde sub specie vini (*Mt.*, vv. 26-28 ; *Mc.*, v. 22-24 ; *Lc.*, v. 19-20 ; *Jo.*, v. 1) (4).

---

(1) Immerito nobis videntur quidam hanc Apostolorum contentionem reponere post institutionem eucharistiæ et denuntiationem proditoris.

(2) Non videtur, cum aliquibus, dicendum Jesum a Petro incœpisse.

(3) De quæstione disputata utrum Judas cœnaculum reliquerit ante institutionem Eucharistiæ, v. *Collat. Brugen.*, t. XVIII, pp. 159 ss.

(4) Contra paucos omnino tenendum censemus utramque consecrationem immediate fuisse conjunctam.

Absoluta cœna Eucharistica jam effundet Jesus animum suum coram discipulis suis et Patre. Quid mirum si iteratis vicibus de instanti suo profectu loquitur (*Jo.*, v. 33), huicque ideæ adnectit exhortationem ut, cum ipse abierit, mutuam inter se foveant caritatem (*Jo.*, v. 34-35).

Dura erit Jesu profectus tentatio pro discipulis : omnes scandalum patientur, sed tristes illos dies excipiet gaudium dum omnes iterum cum Jesu congregabuntur (*Mt*, vv. 31-32 ; *Mc.*, vv. 27 28) (1). — Dura erit in specie tentatio pro Petro, ast, quamvis sit in peccatum lapsurus, convertetur et fratres suos in fide confirmabit (*Lc.*, vv. 31-32).

Iterata hæc allusio ad instantem profectum, prædictio lapsus Apostolorum, et in specie ipsius Petri, obviam reddit quæstionem Petri : Domine, quo vadis (*Jo.*, v. 36[a])? — Nova Jesu allusio ad Petri inconstantiam (*Jo.*, v. 36[b]). provocat tandem vehementem Petri protestationem de futura sua fidelitate, etiamsi omnes alii infideles fiant (*Jo.*, v. 37 ; *Mt*, vv. 33 ; *Mc.*, v. 29 ; *Lc.*, v. 33) ; et jam sequitur manifesta Petri negationis prædictio (*Mt.*, v 34 ; *Mc.*, v. 30 ; *Lc.* v. 34 ; *Jo.*, v. 38) (2), cui novam protestationem addit Petrus et suam adjungunt omnes alii (*Mt.*, v. 35 ; *Mc.*, v. 31 ; *Lc.*, v. 34) (3).

Quin explicite connectatur cum alio quodam facto, subjungitur a *Lc.*, vv. 35-38, prædictio de temporibus duris quæ Apostolos manent. — Hæc forte melius in fine totius cœnæ, in ipso egressu reponerentur.

---

(1) Alii censent hæc verba Jesu de futuro scandalo Apostolorum fuisse dicta post egressum de cœnaculo. Quæstio cohæret cum dicendis de momento quo prædictio negationis Petri sit reponenda. V. not. seq.

(2) Sunt qui censent Jesum bis, (aut imo ter) prædixisse Petri lapsum, prima vice ante egressum, altera vero post egressum de cœnaculo. Plerique unam tantum fuisse explicitam factam prædictionem merito censent, quamvis ulterius disputent utrum hæc prædictio ante (quod probabilius censemus) an vero post egressum de cœnaculo sit reponenda.

(3) Ordinem quo varia dicta de scandalo Apostolorum et de lapsu Petri sibi successerint, alii aliter ponunt.

Quæ remanent apud solum *Jo.*, XIV-XVII referunt orationem valedictoriam Jesu ad Apostolos suos (XIV-XVI) et orationem Jesu, quam sacerdotalem vocant, ad Patrem (XVII) (1).

A. VANDER HEEREN.

II.

De processione Spiritus sancti.

Q. *Explica hæc verba s. Augustini : « Fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti*, non duo *principia.... sed* unum *principium* ».

R. — Hæc verba ex s. Augustino desumpta (2) enuntiant doctrinam, quæ in revelatione et in ipsa Scriptura sacra luculenter continetur ; unde et *fide divina* credi debet. Eamdem doctrinam definivit magisterium ecclesiasticum ; quare et *fide catholica* hanc teneamus necesse est (3).

Ita legimus in constitutione de processione Spiritus sancti, edita a concilio lugdunensi secundo, quod est œcumenicum decimum quartum, celebratum a. 1274, cum ageretur de unione cum græcis : « Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre et Filio, *non* tanquam *ex duobus principiis*, *sed* tanquam *ex uno principio*, non duabus, sed unica spiratione procedit.... [Atque], sacro approbante concilio, damnamus et reprobamus, qui præsumpserint..... temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio,

---

(1) Contra nonnullos qui tenent orationem Jesu inde a *Jo.*, XV fuisse dictam post egressum e cœnaculo (cfr XIV, 31), tenent multi et melius omnia fuisse dicta adhuc intra cœnaculum.

(2) *De Trinitate*, V, XIV, 15 (MPL, XLII, 921).

(3) Cfr *Conc. vatic.*, sess. III, *Constit. dogm. de fide cath.*, cap. 3 (*Enchir.*, n. 1792) ; *Collat. Brugen.*, XX, p. 10 s., ubi de notione dogmatis et t. XXIII, p. 445, n. 4, ubi de valore dogmatico definitionum Ecclesiæ.

tanquam ex duobus principiis, et non tanquam ex uno, procedat » (1).

Quæstio posita suum momentum habet ad recte intelligendam processionem Spiritus sancti, quoniam in exponenda hac processione, quæ « remansit sine speciali nomine, sed potest nominari *spiratio*, quia est processio Spiritus » (2), quandoque tales adhibentur expressiones, quæ duplicem spirationem adstruere videntur.

Intime nexa est propositio explicanda cum hac veritate, quæ nunc supponitur demonstrata: processio Spiritus sancti est secundum operationem voluntatis; Spiritus sanctus procedit a Patre et a Filio ut Deus amatus in Deo amante se. Sed unus est amor infinite perfectus in Deo, quo semetipsum amat et sic intelligitur unicam esse processionem secundum operationem divini amoris: « Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio in quantum sunt unum in virtute spirativa » (3), seu in spiratione activa, quæ utrique communis est (4).

Unum itaque est *principium quo proximum* Spiritus sancti, voluntas Patris et Filii; unum *principium quo remotum*, natura divina ut habita a Patre et Filio; unum *principium quod*, Pater et Filius (5). Unde etiam,

---

(1) *Enchir.*, n. 460. — Ita rursus *Conc. flor.*, quod est œcumenicum decimum septimum [a. 1438-1445], *Decr. pro græcis* et *Decr. pro jacobitis (Enchir.*, n. 693 et n. 704); cfr etiam *Prof. fidei* græcis præscriptam a Gregorio XIII, a. 1575 (ex actis circa unionem ecclesiæ græco-russiacæ, apud *Enchir.*, n. 1084).

(2) S. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 28, a. 4, ad 3.

(3) *Ibidem*, q. 36, a. 4, ad 1.

(4) *Ibidem*, in c.: « dicendum quod Pater et Filius in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cum in hoc quod est esse principium Spiritus sancti, non opponantur relative, sequitur quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti »; cfr illust. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, n. 138, apud *Collat. Brugen.*, III, p. 601 s. et Vander Meersch, *Tract. de Deo uno et trino*, n, 724 et n. 727, p. 539 et p. 541.

(5) In propositione concilii, vox « tanquam » audit igitur: « *qui sunt* unum principium » et non « *ac si essent* unum principium », uti scite observat Van Noort, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 189, p. 163, Amstelodami, 1911².

uti notat s. Thomas, melius dicitur Patrem et Filium esse *unum spiratorem*, sicut dicimus eos esse unum principium, et hoc quidem propter unicam spirationem; attamen dici potest eos esse *duos spirantes*, propterea quod sunt duo a quibus Spiritus sanctus procedit (1).

Ratio, quam infra latius probat et explicat Aquinas (2), hæc est : nomina substantiva habent numerum, secundum formam significatam ; adjectiva vero secundum supposita. Forma porro significata est una, spiratio activa, sed « si considerentur supposita spirationis [activæ], sic Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, ut sunt plures » (3).

Adverte igitur quomodo in hac propositione, quæ etiam est vera : « unum principium Spiritus sancti est Pater et Filius », vox principium supponat non pro una persona tantum, sed simul pro duabus personis confuse atque indistincte (4). Simul tamen considera Patrem et Filium spirare Spiritum sanctum, non in quantum sunt duæ personæ realiter ab invicem distinctæ per relationis oppositionem, nimirum ut generans et genitus, sed in quantum simul habent unam numero spirationem; quamobrem, uti supra proponitur, dicuntur et sunt unum principium, unus spirator.

Ut propositio penitius intelligatur juvat adhuc immorari in ipso modo processionis Spiritus sancti, quæ est

---

(1) *Sum. theol.*, I, p. 36, a. 4, ad 7.

(2) *Ibidem*, I, q. 39, a. 3, et lege regulas circa usum nominum apud Vander Meersch, *o. c.*, n. 867 s., p. 627 s.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 36, a. 4, ad 1 et cfr ad 2 necnon *Contra gentes*, IV, 19: « Quod autem aliquid sit in voluntate ut amatum in amante, ordinem quemdam habet ad conceptionem qua ab intellectu concipitur et ad ipsam rem cujus intellectualis conceptio dicitur verbum; non enim ameretur aliquid, nisi aliquo modo cognosceretur; nec solum amati cognitio amatur, sed secundum quod in se bonum est. Necesse est igitur quod amor quo Deus est in voluntate divina ut amatum in amante, et a Verbo Dei et Deo cujus est Verbum procedat ».

(4) *Sum. theol.*, I, q. 36, a. 4, ad 5 et cfr ad 4 et ad 6; de suppositione terminorum vide Vander Meersch, *o. c.*, n. 878 s., p. 632 s.

secundum operationem voluntatis, itaque processio amoris.

Spiritus sanctus procedens a Patre Filioque ut Deus amatus in Deo amante se, merito vocatur Amor, qui personaliter sumptus est nomen ipsius proprium, sicut Verbum est nomen proprium Filii (1); unde, quoniam a Patre et Filio procedit, dicitur amor Patris et Filii, quod juxta modo dicta non sic intelligendum venit ac si esset actus amoris in Patre et rursus alius actus amoris distinctus in Filio, sed unus est actus, una spiratio activa Patri et Filio communis.

Nihilominus, « cum Pater amet unica dilectione se et Filium, et e converso [Filius unica dilectione amet se et Patrem], importatur in Spiritu sancto, prout est amor [procedens], habitudo Patris ad Filium, et e converso [Filii ad Patrem], ut amantis ad amatum » (2). Sic dicitur Patrem et Filium se mutuo amare et Spiritum sanctum esse mutuum amorem Patris et Filii, sed « secundum originem [seu secundum processionem] Spiritus sanctus non est medius, sed tertia in Trinitate persona » (3), a Patre et a Filio, tanquam ex uno principio, unica dilectione ac spiratione procedens (4). H. LAMIROY.

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 37, a. 1, c.

(2) *Ibidem*, ad 3 et cfr q. 36, a. 4, ad 1; adhuc in q. 37, a. 2, c. observa quomodo Pater et Filius dicantur diligentes se Spiritu sancto, scil. amore procedente et in a. 1, ad 4, adverte quomodo Spiritus sanctus sit ipse amans, amore essentialiter sumpto.

(3) Hac enim ratione Filius est medius. uti exponit s. THOMAS, *Opusc. contra errores græcorum* (I), cap. 9 (ed. Venetiis, a. 1587, p. 8), ubi etiam vocat Spiritum sanctum amorem communem Patris et Filii.

(4) Hisce rite perspectis, facile etiam intelligitur quomodo formula, qua græci uti plurimum utebantur : « Spiritus sanctus procedit a Patre per Filium », non ita differat ab hac in ecclesia latina probata : « Qui ex Patre Filioque procedit ». Illa magis indicat unitatem principii atque simul insinuat Filium esse principium de principio; hæc autem clarius exprimit Spiritum sanctum æque immediate a Patre et Filio procedere; attamen ut ab uno principio, unica spiratione atque ita ambæ formulæ se mutuo complent; cfr ILLUST. AC REV. WAFFELAERT, *o.* et *l. c.*; VANDER MEERSCH, *o. c.*, n. 720, p. 537; VAN NOORT, *o. c.* n. 190, p. 165.

III-IV.

De Contractibus in genere XI.

Q. *Indica et applica pro foro conscientiæ præcipuas juris civilis dispositiones circa debitorem solvendo imparem, qui privatur administratione bonorum suorum.*

R. I/ **Dispositiones juris civilis.**

Negotiator quidem juridice privatur administratione bonorum suorum per declarationem foricessionis (faillite) a tribunali peractam ; qui vero commercium non exercet, per manus appositionem (saisie) a creditore factam perdit administrationem arreptorum saltem bonorum ; uterque insuper per voluntariam cessionem bonorum suorum inter creditorum manus amittit etiam eorumdem administrationem.

A/ *De foricessione* (cf. Leges 18 Apr. 1851 et 29 Junii 1887 in Cod. com. ; art. 551 etc. et Legem 15 Aug. 1854 in Cod. proc. civ.).

1/ Mercator qui solvere cessat tenetur infra tres dies illud coram tribunali commercii fateri, ibique suum *bilan* deponere cum libris suis commercialibus etc. (a. 440-444 Cod. com.) ; quo facto, vel etiam silente mercatore post petitionem creditorum, vel quandoque ex officio, pronuntiatur a tribunali foricessio (jugement déclaratif de la faillite : a. 442). Quæ foricessio simpliciter dicitur : *faillite* si mercator nullam culpam gravem commiserit ; declaratur autem : *banqueroute simple* si gravem culpam admiserit, v. g. expensis excessivis aut multo ludo indulgendo, vel post cessationem solutionum adhuc alicui solvendo creditori in detrimentum ceterorum, etc. (a. 573, 574) ; pronuntiatur tandem : *banqueroute frauduleuse* in graviori casu doli vel fraudis, ut si libros suos adulteraverit, aut partem bonorum celaverit, aut falsa debita simulaverit (a. 575) (1).

---

(1) Gravibus autem pœnis plectuntur artes hujusmodi, tum ipsius mercatoris tum cooperatorum ejus.

Porro, simul cum judicio declarativo foricessionis, statuitur communiter dies a quo mercator censendus est solutiones suas jam cessavisse, v.g. a tribus mensibus (a. 442). Qui dies plerumque veram epocham cessationis antecedit ; unde momentosæ fluunt consequentiæ practicæ, ut statim videbimus.

Quandoque tamen, si mercator sit inculpabilis, conceditur ipsi ad vitandam infamiam foricessionis : sive *un sursis de payement*, sive *un concordat préventif de la faillite*, quo v.g. 50 °/₀ debitorum solvenda sint (1). Quandoque etiam concluditur, post judicium declarativum, *un concordat après faillite* (2) ; quo finitur tunc foricessio. Secus fit liquidatio : curatores a judice jubentur ut mercatoris bona divendant et debita ipsius secundum legales dispositiones creditoribus solvant ; manetque negotiator etiam postea in statu foricessionis, donec omnia integraliter soluta fuerint (3).

---

(1) Cfr art. 599: « La cour ne peut accorder de sursis, alors même que l'actif suffira pour couvrir le passif, que si la majorité des créanciers représentant, par leurs créances, les trois quarts de toutes les sommes dues, ont adhéré expressément à la demande ». — Quoad concordatum præventivum cf. Legem 29 Jun. 1887, art. 2: « Ce concordat ne s'établira que si la majorité des créanciers représentant par leurs créances non contestées ou admises par provision, conformément à l'article 16, les trois quarts de toutes les sommes dues, ont adhéré expressément à la demande. Le concordat n'aura d'effet que moyennant l'homologation du tribunal de commerce. L'homologation ne sera accordée qu'en faveur du débiteur malheureux et de bonne foi ». Art. 23: « L'homologation du concordat le rendra obligatoire pour tous les créanciers ».

(2) Cfr art. 512: « Ce traité ne s'établira que par le concours d'un nombre de créanciers formant la majorité, et représentant, en outre, les trois quarts de la totalité des créances admises... ». Art. 518: « L'homologation du concordat le rendra obligatoire pour tous les créanciers... ».

(3) Tamen, secundum art. 533, si post liquidationem feratur judicium excusabilitatis in favorem foricessoris, cessat inde status foricessionis, sed remanet nihilominus actio creditorum in futura mercatoris bona, ex art. 535. Quamdiu vero permanet status foricessionis, hæc notanda sunt quoad novas res novosque contractus post liquidationem factos: « il ne faut pas assimiler les faillis aux incapables. Le commer-

2/ Jam age, cum a die judicii declarativi foricessionis pleno jure amittat mercator administrationem omnium bonorum suorum, etiam postea obtinendorum (a. 144), ipsa lex non solummodo jam curat de processu ordineque solutionis debitorum, sed insuper omnes jam inde solutiones a negotiatore hujusmodi factas vel ipsi peractas, et omnes actus illius circa res ipsi subtractas plene irritat et a judice annulandos imponit (1).

Præterea, quoad solutiones et actus ejus *anteriores*, positos scilicet ante diem judicii declarativi sed post statutam epocham cessationis solutionum, imo jam intra decem dies præcedentes: nullos etiam declarat et a judice irritandos actus omnes sive totaliter sive partialiter gratuitos (2), et solutiones anticipatas vel etiam non anticipatas sed factas v.g. mercibus loco pecuniæ; insuper novas hypothecas sive nova pignora tunc constituta, etiam pro debitis antiquioribus (a. 445). Et hæc quidem omnia irritat lex propter præsumptionem fraudis, quæ non est hic præsumptio facti sed periculi universalis, et est ideo juris et de jure, ita ut demonstrari non indigeat nec imo oppositam admittat demonstrationem.

çant en état de faillite ne peut faire aucun contrat au préjudice de ses créanciers; mais c'est l'effet du déssaisissement qui le frappe (art. 443 Cod. com.), et non d'une incapacité personnelle, et voici la différence. Le contrat fait par le commerçant après sa faillite n'est pas annulable; il est seulement non opposable aux créanciers: c'est-à-dire que le créancier nouveau, qui tient ses droits du contrat fait pendant la faillite, ne pourra avoir aucune action sur les biens actuels du failli; il ne pourra pas concourir avec les autres créanciers, et son contrat ne recevra aucune exécution qui puisse nuire à ceux-ci. Mais après la clôture de la faillite, l'effet du dessaisissement cesse, et si le commerçant acquiert de nouveaux biens, le créancier dont nous parlons aura le droit de les saisir, puisque son titre n'est pas nul » PLANIOL, *Droit Civil*, II, n. 1080, note 1.

(1) Notetur etiam art. 450: « Le jugement déclaratif de la faillite rend exigibles, à l'égard du failli, les dettes passives non échues ».

(2) « Observant tamen jurisperiti ad hunc art. 445, al. 2, non esse nimis extendendam hanc prohibitionem quoad mobilia, quando agitur de quibusdam modicis donationibus quæ fiunt absque fraude, titulo qui facile haberi possit ut non mere gratuitus ». ILL. WAFFELAERT, *De Justitia*, I, n. 513.

Insuper, omnes etiam actus *onerosos* necnon solutiones quarum dies jam venit pronuntiat irritabiles, si facti fuerint postquam mercator jam de facto solvere cessaverat : modo tamen altera pars tunc demonstretur non tantum labilem statum ipsius cognovisse, sed et novisse cessationem solutionum (a. 446) ; quod sat raro accidit (1). Quæ dispositio proinde nititur in præsumptione facti. Tandem, omnes actus quocumque tempore positi *in fraudem creditorum* annulari possunt (a. 448), modo fraus vere adfuisse demonstretur et damnosa fuisse creditoribus. Quæ clausula in præsumptione facti rursus nititur, et simpliciter reassumit art. 1167 Cod. civ. circa actionem Paulianam a creditoribus exercendam. Hic autem pro actibus onerosis, fraus ex utraque parte contrahentium demonstretur oportet ; pro gratuitis vero, ex parte tantum mercatoris. Hæc autem fraus tunc ex jure civili habetur, ex parte mercatoris, cum ipse labilem statum suum cognoscens, nihilominus actum posuerit quo pauperior adhuc evaderet et proinde quo creditoribus suis noceret, quamvis forsan mala intentione non egerit (2). Ex parte vero alterius contrahentis, supponit fraus eamdem notitiam de statu rerum negotiatoris, qua nonobstante initur contractus cum damno creditorum (3).

Notetur relativas esse nullitates omnes ab. art. 445, 446 et 448 constitutas, proindeque a creditoribus solummodo,

---

(1) « Quando agitur de chirographis commercialibus (lettres de change, billets à ordre), statuit art. 449, in favorem commercii, non posse postulari nullitatem eorum solutionum nisi contra eos quibus ultimate prodest illa solutio (contre celui pour compte duquel la lettre de change aura été fournie ; s'il s'agit d'un billet à ordre, contre le premier endosseur). In utroque casu probandum est iis notam fuisse cessationem solutionum quando titulum suum emiserunt ». CARRIÈRE, *De Contractibus*, n. 395.

(2) Cfr PLANIOL, *o. c.*, n. 312.

(3) Nulla fraus habetur in usu *legalis* compensationis : qua Titius v. g. creditum habens 5000 f. et simul debitum 3000 f. erga eumdem mercatorem foricessorem, debitum suum annihilat et creditor remanet pro 2000 f.

non vero ab ipso mercatore nec ab altero contrahente invocari posse.

3/ Interim, ipse foricessor nihil proprio marte ex suis bonis sibi legaliter retinere potest, sed ex art. 476 curatores et tribunal, ipsi familiæque ejus concedere possunt vestes resque mobiles necessarias, necnon pecuniarium auxilium ad vivendum (des secours alimentaires). Denique, ipsa liquidatio nullatenus per se mercatorem a a reliqua parte debiti superstitis postea solvenda liberat; sed ex lege foricessor remanet usquedum omnia solverit. Nec magis ubi compositio fit (concordat préventif ou après faillite), mens est legislatoris ut ipsum ab hac obligatione eximat. Contra, nisi creditores in debiti remissionem consenserint, aperte dicitur in art. 25 Legis 29 Junii 1887 remanere obligationem solvendi reliqua in casu concordati præventivi; et generalius statuit art. 586 Cod. com. infamiam negotiatoris tunc tantum legaliter levari posse (obtenir sa réhabilitation) cum ipse integram omnium debitorum solutionem factam demonstraverit; unde concludunt jurisperiti permanere secundum legem obligationem naturalem residuam summam exsolvendi.

B/ *De manus appositione* (cf. præsertim art. 557 etc. Cod. proc. civ.; et Leges 15 Aug. 1854 et 18 Aug. 1887).

Qui negotiatores non sunt, sed solvendis debitis suis inveniuntur impares (1), dicuntur in statu decoctionis: *en déconfiture*. De illis quidem non declarat tribunal decoctionis statum; sed alio modo creditoribus tunc providet: permittit enim ipsis (2), servatis servandis, ut

---

(1) La déconfiture est « l'état constaté d'insolvabilité d'un débiteur non commerçant. Pour qu'elle existe, il faut qu'il y ait insolvabilité prouvée ». MABILLE, *Droit Civil*, III, p. 157.

(2) « En général, le droit de poursuivre le débiteur et d'exercer contre lui les voies d'exécution forcée appartient isolément à chaque créancier; chacun agit pour son intérêt et quand il veut. Cependant, quand une saisie est déjà pratiquée par l'un d'eux, les autres peuvent se joindre à lui et profiter des poursuites commencées.... (Toutefois) la liquidation du patrimoine d'un commerçant est générale, et se fait au moyen de la procédure de la faillite ». PLANIOL, *o. c.*, n. 193.

bona debitoris sive aliqua sive omnia, illa etiam quæ postea ipsi obvenient, juridice apprehendant, per varias manus injectiones quæ dicuntur: *saisie immobilière, saisie-exécution, saisie-brandon, et saisie-arrêt* (1). Quædam tamen bona ex lege arripi nequeunt: ut res mobiles et vestes debitori familiæque ejus omnino necessariæ, præterea res aliquæ alimentariæ quædamque instrumenta laboris, pecuniæ insuper resque mobiles per donationem aut successionem traditæ debitori ea conditione ut arripi non possint; variæ tandem pensiones necnon salaria saltem partialiter etc. (cf. art. 581 et 592 Cod. proc. civ.; Legem 18 Aug. 1887, etc.).

Porro, facta cum debitis formalitatibus arreptione juridica, administrationem logice amittit debitor illorum saltem bonorum; quamvis dominium non statim amittat sed tunc tantum cum postea, ad creditores secundum normas legis solvendos, bona vendentur. Quæ amissio juris administrandi patet, quoad immobilia arrepta, ex art. 22-27 legis 15 Aug. 1854, quibus etiam providetur nullitas pleni juris et quæ imo a judice declarari non eget (2), casu quo dicta bona jam inde a debitore aliena-

---

(1) « Les formes de la saisie varient suivant la nature des biens qu'il s'agit d'exécuter. Pour les immeubles, il y a la saisie immobilière (art. 676 etc. Cod. proc civ.....), la plus longue et la plus coûteuse de toutes. Pour les meubles corporels, on emploie la saisie-exécution (art. 583 etc. Cod. proc. civ.) et quelques saisies spéciales, comme la saisie-brandon qui sert pour les fruits pendants par racines..... Quelquefois la procédure ordinaire de la saisie est inutile. En effet, elle est destinée à transformer en argent liquide l'actif du débiteur, c'est-à-dire à le vendre; or il y a des cas où cette transformation est toute faite d'avance; c'est lorsque l'actif consiste en *créances de sommes d'argent*, qui sont dues au débiteur par des tiers. Il suffit alors d'empêcher le débiteur de toucher son argent; on y arrive en faisant, entre les mains du tiers qui le lui doit, une *saisie-arrêt* ou *opposition* (art. 557 etc. Cod. proc civ.). Le tiers qui a reçu cette opposition ne peut plus se libérer qu'en versant les fonds au créancier poursuivant, jusqu'à concurrence de ce qui lui est dû ». PLANIOL, *o. c.*, n. 191.

(2) « L'aliénation d'un immeuble hypothéqué, par le débiteur, après la transcription de la saisie ne transfert pas la propriété », *Cass. belg.*, 15 Julii 1886; P. 1886, 1, 304.

rentur aut hypotheca gravarentur. Quoad alias autem manus appositiones, cf. art. 565. 597, 628 Cod. proc. civ.

De cetero, in defectu specialium dispositionum legis, applicandus tantum venit art. 1167 Cod. civ., circa actionem Paulianam seu revocatoriam omnium actuum, quocumque tempore initorum, qui in fraudem creditorum demonstrentur facti (1). Hæc quidem fraus quibuscumque viis probari potest, etiam præsumptionibus ad normam art. 1353 ; sed in præsenti materia solutio etiam anticipata et integralis unius crediti præ aliis non vocabitur fraus a lege, si nimirum facta fuerit ante arreptionem, vel ex bonis non arreptis.

Tandem, facta venditione bonorum arreptorum et solutione creditoribus : si quid supersit, reddendum est debitori ; si contra remaneat pars debiti residua, minime ab ulteriore solutione liberatur ex lege decoctus, sed novis arreptionibus in bona etiam futura obnoxius relinquitur.

C/ *De cessione bonorum* (cf. art. 1265-1267 Cod. civ.).

Omissa jam cessione bonorum *juridica*, quæ olim quandoque debitori infelici a tribunali concedebatur creditoribusque imponebatur (2), jam in jure nostro practice non remanet nisi bonorum cessio *voluntaria*, facta nempe ab ipso creditore solvendo impari, sive sit

---

(1) Alios tamen effectus adhuc habet decoctio hujusmodi: « 1° elle donne lieu à l'ouverture de la procédure de distribution par contribution, qui a lieu quand les sommes arrêtées ou le prix des ventes ne suffisent pas à payer les créanciers (art. 656 Cod. proc. civ.); 2° elle entraîne déchéance du terme.... ; 3° la déconfiture du mari autorise les créanciers de la femme à agir comme si la séparation de biens était prononcée (art. 1446); 4° la déconfiture de l'acheteur autorise le vendeur à refuser la livraison de la chose vendue à terme (art. 1613); 5° la déconfiture met fin au mandat (art. 2003) et à la société (art. 1865) ». PLANIOL, *o. c.*, n. 217.

(2) « Jam hodie, in Belgio, nullus locus est cessioni *judiciariæ*, quam legislator Gallicus (a. 1268), infelici debitori, etiam invitis creditoribus, concesserat ne in carcerem truderetur : lege enim 27 Julii 1871, cautum est ne hæc pœna irrogaretur ei qui, bona fide, debita vires excedentia contraxisset. Cessio autem voluntaria nullos alios effectus gignit quam quos continent stipulationes contractus inter ambas partes initi (art. 1267) ». GÉNICOT-SALSMANS, *Theol. Mor.*, I, n. 604.

mercator sive secus, inter manus creditorum qui tamen liberi manent acceptandi necne. Ut efficax sit hujusmodi cessio, ab omnibus creditoribus acceptetur oportet (1); secus enim recusans illam potest legaliter bona ista apprehendere sive reclamare foricessionem.

Ubi autem acceptatur bonorum cessio, requiritur secundum legem ut omnia tradantur bona, et proinde ut omnia creditoribus declarentur; si enim fraudulenter quædam celata retentaque fuerint, irritari poterit ipsa cessio. Bona tamen quæ ex lege arripi nequeunt, prout supra diximus, possunt hic etiam à debitore retineri; insuper quædam alia possunt ipsi relinquere creditores.

Interim patet debitorem, facta jam bonorum cessione, liberam amittere eorumdem administrationem; ipsique etiam, sicut omnibus semper debitoribus, applicabilem esse generalem regulam actionis Paulianæ in casu fraudis.

Si vero solutis debitis quædam bona supersint, debitori reddenda erunt; si contra quædam debita post venditionem adhuc remaneant, legalis effectus cessionis bonorum in hac re pendebit a stipulationibus initæ conventionis: sic enim lex ipsa disponit. Nempe si creditores jura sua in posterum expresse caverint, manet debitor etiam legaliter adhuc obnoxius; si contra remissionem debiti superstitis expresse concesserint, liber etiam ex lege evadit debitor; tandem si nil dixerint vel formula dubia usi fuerint, non ita constat apud jurisperitos quid inde legaliter sequi videatur.

II/ **In foro conscientiæ.**

Nunc ad forum internum applicantes dicta, tum juris naturæ tum juris civilis statim expositi rationem habea-

---

(1) « Ordinairement, ces effets (de la cession volontaire) sont que les créanciers renoncent à poursuivre le débiteur et qu'ils sont mis en possession de ses biens pour les faire vendre et se payer sur le prix. Elle ne produit pas d'effet à l'égard des créanciers qui ne l'ont pas acceptée; ils pourraient procéder comme si elle n'existait pas; donc pour être efficace, il faut qu'elle soit acceptée par tous ». THIRY, *Droit civil*, III, n. 72.

mus oportet, ut practicas agendi regulas exinde determinemus.

1/ *Jam ante amissam bonorum administrationem*, præscriptum invenimus quo tenetur mercator, qui solvere cessat, ad statum suum intra tres dies tribunali declarandum. Quod præscriptum ex seipso (1) mere pœnale dici potest: adeoque licet per se debitori impotenti, quamdiu valet, labilem rerum suarum conditionem occultare, ruinamque suam tum retardare tum minuere tum etiam pro posse præcavere, modo tamen ad hoc media injusta non adhibeat. Sic conari potest, ad normam art. 1443-1447 Cod. civ., ut uxor sua tempestive bonorum separationem obtineat, quin tamen mendacia usurpent conjuges in declarationibus coram tribunali tunc faciendis (2).

Verum, plura facile committuntur injusta ante fori sive bonorum cessionem. Et primum, si debitor hujusmodi media negligat ordinaria et facilia quibus ditescendo creditoribus plenius solvere queat: v. g. si hereditatem repudiet vel legatum sive donationem sibi oblatam (3). Insuper, si jam in labili statu constitutus

---

(1) Sed cum ex art. 574 Cod. com. mercator hujusmodi possit damnari ut *banqueroutier simple* nisi legale præscriptum adimpleverit, inde per accidens ex suiipsius suorumque caritate obligari potest ad hanc declarationem debite faciendam.

(2) Nec injusta est lex quæ hanc separationem tunc permittit, adeoque nec injustus debitor qui eam sequitur. « Quodsi creditores bona communia supputarunt, tanquam debiti solvendi pignus, nunc autem, separatione facta, dimidiam tantum partem eorumdem reperiunt, ipsi sibi imputent detrimentum quod patiuntur: scire enim debebant jus ad separationem uxori competere. — Excipe tamen casum quo Leonia (uxor) fraude usa esset, utputa promittendo securitatem creditoribus mariti sui e bonis suis, ubi jam ruinam prævidebat separationemque meditabatur; in hac enim hypothesi damnum mala fide procurasset, ac proinde compensare deberet e bonis suis ». Génicot-Salsmans, *Casus Conscientiæ*, 4ª editio, p. 232.

(3) Cfr Ill. Waffelaert, *o. c.*, n. 519 de peccato sive injustitiæ sive contra caritatem, quod tunc contrahere potest ille qui loco debitoris repudiantis acceptat. Verumtamen nota hanc agendi rationem debitoris quandoque *per accidens* ab omni peccato immunem esse posse : ut si « gravi ratione excusetur, ut puta gravi liberorum suorum necessitate, quibus hac hereditate illis tunc obveniente providere intendit ». Marres, *De Justitia*, II, n. 352.

vel eo ipso impar solvendo evadens, bona sua totaliter aut partialiter prodiget sive donet; quo certe contra strictum jus naturæ offendit cum circa hæc bona strictum jus ad rem possideant jam creditores (1). Adhuc, si ad partem bonorum ex imminenti ruina sibi salvandam, quædam occultet sicque creditoribus subducat: sive ea amicis committendo qui postea restituant, sive ea minimo pretio vendendo, ut post foricessionem differentia pretii sibi solvatur; sive ficta hypotheca fictave venditione tunc utendo, etc. Quæ artes nempe, ob rationem statim allatam, per se injustæ sunt; per accidens tamen licere poterunt casu quo unicum debitori essent medium ad necessaria vitæ sibi familiæque modeste providenda: tunc enim non urget lex naturæ ad creditores cum tanto incommodo statim plenius solvendos.

Ubi vero a debitore injustitia committitur, admittitur simul et a cooperatoribus qua concausis, saltem materialiter; formaliter autem si impotentiæ debitoris plene conscii sint necnon malitiæ rei. Quare dicti cooperatores, v. g. donatarius aut infimo pretio emptor etc., qui cum debitore injustum contractum iniverunt creditoribus damnosum (2) cum culpa formali, jam ante sententiam judicis de damnis in solidum tenentur; deficiente vero formali culpa, ex justitia primo recedere debent a contractu post sententiam annulationis a judice postea latam, pro quanto utique juste feratur et ipsi ex contractu

---

(1) Secus vero dicendum est, ut patet, casu quo debitor prospere agens donationes gratuitas faciat, dum simul aliunde bona possidet sufficientia quibus creditoribus solvat.

(2) Supponitur utique cooperator concausa esse damni et non occasio tantum: sic nondum injustus esset ille qui, conscius impotentiæ mercatoris, ipsius merces infimo pretio *justo* emeret, quamquam simul sciret hunc mercatorem ita agere animo fraudulento erga debitores suos. Non esset enim emptor in casu nisi *occasio* damni pro creditoribus, quos læsurus est ipse mercator retinendo injuste, ut suppono, omnem pecuniam ita acceptam. Tamen, adesse facile posset peccatum contra caritatem ex parte emptoris.

locupletiores facti sint (1); insuper quamprimum injustitiam intellexerint cooperationis suæ, restituere tenentur in quantum ditiores evaserunt, ne formalis jam injustitiæ participes fiant.

2/ *Facta autem foricessione aut compositione sive cessione bonorum*, cum inde debitor bona sua jam non regat, ex stricta justitia per se oportet ut serventur leges quæ modum agendi et solvendi tunc imponunt: sunt enim, ex communi Auctorum sensu, vere determinativæ pro. prietatis.

Itaque primum in ipsa fori vel bonorum cessione stricte tenetur debitor, per se loquendo, ad bona sua integre declaranda, nulla proinde tunc occultando, nec etiam quidquam retinendo præter ea quæ ipsi a lege vel tribunali sive creditoribus relinquuntur (2). Attamen, cum jud ces et creditores in hac re nonnunquam nimio rigore utantur, non erit de injustitia damnandus debitor hujusmodi (nec proinde ipsius cooperatores in hoc casu) qui occulte sibi retinet quæ ad parcam sui suorumque sustentationem vere necessaria sunt juxta statum suum juste acquisitum (3): jus enim naturæ in tali discrimine sane permittit solutionis partialem dilationem; nequitque strictior esse quam natura ipsa lex civilis, ut justa

---

(1) Injusta enim esset, nec proinde obligatoria per se, sententia nitens in falsa præsumptione facti: v.g. annulans contractum ob notam ab altera parte impotentiam mercatoris, dum tamen ipsi ignota erat.

(2) Item patet cooperationem ad injustitiam mercatoris esse tunc etiam injustam. « Het doet hier weinig ter zake op welke kunstmatige wijze die medewerking geschiedt, b.v. door bewaarneming, schijnkontrakten, uitstel van schuldvereffeningen ten bate van den ongelukkigen schuldenaar, enz.; vermits al dergelijke kunstmiddeltjes onrechtvaardig zijn, omdat de schuldenaar, wanneer hij het vrij beheer zijner goederen niet meer heeft, den volledigen toestand zijner zaken rechtzinnig moet bekend maken. Daaruit blijkt ook zonneklaar dat een onrechtvaardige verduistering niet mag bevorderd worden door een valsche verklaring of een valschen eed voor den rechter ». SALSMANS, *Rechterlijke Plichtenleer*, n. 228.

(3) Non sane acquisitum per hæc eadem debita quæ nunc solvere non valet.

maneat (1). Imo ipsorum creditorum consensum ad hoc etiam sæpius præsumere licebit, ut debitor parvam insuper bonorum copiam sibi retineat qua denuo commercium inchoare possit, cum spe ut postea reliqua omnia integre solvat (2). « Neque damnare auderemus qui objecta quædam, sibi peculiariter cara aliis vero minus pretiosa occultaret, cum spe fundata et intentione postea pretium creditoribus refundendi » (3).

Declarata insuper foricessione, nemini jam solvere potest ipse mercator, cum bona sua jam non regat, nec magis solutiones sibi adhuc factas accipere (4); sed cum

---

(1) Difficilem tamen confessarius se præbeat, ante factum, ad hoc mercatori permittendum : ob periculum ne sumatur aut retineatur ultra legitimam mensuram. Post factum autem, si de facto nimis retentum fuerit, caveatur bona fides pœnitentis, si adsit; secus, aut si prudenter bona fides ejus turbari possit, imponat restitutionem, sed caute perficiendam, ne gravibus pœnis civilibus plectatur mercator hujusmodi. — Difficilius adhuc permittat confessarius cooperationem aliorum in eodem casu, tum ob pœnas civiles quas incurrerent, tum præsertim quia tam sæpe nimis tunc occultatur.

(2) « Fundata spes assequendi lucra, quibus perfectius satisfiat creditoribus, sufficit sane ut exigua quædam bonorum pars retineatur, cum sæpe supponi possint creditores malle hanc probabilem spem perfectæ compensationis quam modicam illam pecuniam quæ singulis statim obtingeret. Sed omnino absimile est eos consensuros esse ut Castorius (debitor) iterum adversæ fortunæ exponat plura francorum millia, quæ statim inter se partiri possent. Quare, nisi expresse in hanc retentionem consentiant creditores, neque Castorius tantam pecuniæ summam servare, neque ejus amici eum in hac fraude juvare possunt». Génicot-Salsmans, *Casus Consc.*, p. 223.

(3) Ill. Waffelaert, *o. c.*, n. 522.

(4) Ideo debitores ipsius jam curatoribus solvere debent, ex justitia stricta; nisi forsan in casu raro ipsis grave malum immineret ni ipsi mercatori adhuc solvant. Cfr Génicot-Salsmans, *Casus Consc.*, p. 235. — Iterum tamen notandum est, casu quo licite ipse mercator quædam occultare potest, posse et alios eum in hoc adjuvare.

Insuper quid faciendum si negotiator hujusmodi tardius inveniat quædam bona de quibus in declaratione foricessionis non cogitaverat? Per se utique ea statim curatoribus tradere debet, nisi forsan ipsi ad vitam et statum prorsus necessaria essent. Sed tamen cum ex art. 573 Cod. com. posset inde periculum incurrere carceris, non tenetur ad hoc periculum, si probabile sit, sustinendum; sed tunc via occulta utatur ad traditionem faciendam; quodsi res non sit possibilis, bona ista ad tempus retineat, postea soluturus.

curatoribus res sunt componendæ. Vicissim nec creditores jam quidquam a debitore petere aut accipere possunt; nec ab ipsis curatoribus præter portionem quæ sibi secundum leges privilegiorum, hypothecarum etc. contingit. Proinde nec occulta etiam compensatione, nec exaggerata creditorum suorum declaratione partem suam augere possunt (1).

Præterea, quæ per sententiam judicis in massam inter creditores dividendam referenda sunt, prout lex civilis disponit circa solutiones anticipatas et alios actus tunc annulabiles, oportet ex justitia stricta referre post pronuntiatam sententiam, modo hæc non nitatur in falsa præsumptione facti.

Et hæc quidem similiter de concordato valent necnon de bonorum cessione etc.: omnia nempe secundum leges et conventionem ex justitia stricta esse per se componenda. In materia vero commercii, lex civilis insuper graves pœnas mercatoribus minatur qui fraudibus indulgent, necnon eorum cooperatoribus (2).

3/ *Finita tandem liquidatione,* aut transacto tempore concordati sive cessionis bonorum aut manus oppositionis, inquirendum remanet an in conscientia jam liberetur debitor a reliqua parte debiti forsan superstitis.

Per se negative: nam neque ex natura rei justitiæ satisfit per incompletam solutionem; neque lex taliter disponit, ut vidimus, etiamsi forsan actionem creditoribus jam deneget; neque tandem creditores, per se loquendo, juribus suis pro futuro valedicere intendunt (3). Remanet

---

(1) « Indien nochtans al de ander schuldeischers dezelfde middeltjes gebruikten en er wezenlijk geen ander mogelijkheid bestond om zelfs dit procent te bekomen waar zij recht toe hebben, mocht er wellicht wat milder geantwoord : zij mogen immers zichzelf rechtmatig verdedigen tegen andermans onrechtvaardigheid », SALSMANS, *o. c.*, 227. — Sed et hæ artes gravibus pœnis a lege civili plectuntur.

(2) Cfr Cod. pœn. art. 489 et 490; quoad sursis de payement: art. 611-612 Cod. com.; quoad concordatum præventivum : art. 31 et 32 legis 29 Jun. 1887; quoad foricessiones : a. 573-576, 577 et 578 Cod. com.

(3) Caveatur tamen ne bona fides debitoris in casu imprudenter turbetur.

proinde debitori obligatio justitiæ solvendi reliqua, saltem quando postea commode poterit. Imo si tempore fori aut bonorum cessionis injustitias commiserit, commoditatem suam exspectare non posset, sed arctius inde ex lege naturæ solutionem curare teneretur, cum quadam etiam status et victus imminutione, non tamen cum nimio incommodo.

Per accidens tamen fieri quandoque potest, attentis nimirum tum verbis aut modo agendi creditorum, tum etiam usibus vigentibus qui legem interpretantur, ut in conscientia debitor jam liberetur. Ut verbis utamur Génicot-Salsmans (1): « Nullus est ambigendi locus quando creditores in contractu diserte (2) addunt debitorem vel liberum fore vel manere obligatum: servandus est enim contractus.

Quod si nihil exprimitur, certe manet obligatio quando lex ipsa eam manere diserte edicit, ut fit in lege Belgica 29 Jun. 1887 (art. 25) pro illis concordatis ad præveniendam decoctionem, quæ mercatores solvendo impares cum creditoribus ineunt.

Seclusa expressa stipulatione vel legis determinatione, juxta communem D.D. sententiam suspenditur tantum, sed minime exstinguitur obligatio solvendi reliqua. Attamen sicubi *communis persuasio* invaluit, denegata propter cessionem bonorum nova actione judiciaria, etiam desinere omnem obligationem in conscientia, id practice admitti potest. Nam, cum creditoribus singulis fas sit expressam apponere conditionem, ne cessio valeat ad reliqua debita exstinguenda, ipsi sibi imputare debent

---

(1) *Theol. Mor.*, I, n. 605. Cfr GENNARI, *Consultations de morale*, c. 48 et 84.

(2) Interdum etiam sufficere poterit, ad liberandum in conscientia debitorem, *implicita* remissio a creditoribus statim aut postea concessa, modo tamen res sit moraliter certa. Ita si statim unus e creditoribus jura sua in posterum expresse caveat et alii silent, non raro poterit jam remissio inde inferri saltem quoad istos. Vel si postea debitor prosperas res agat, scientibus creditoribus, dum ipsi nihil ab eo reclamant cum facile possent. Cfr *Collat. Brugen.*, t. VIII, p. 454.

quod, vigente tali persuasione, non melius sibi consuluerint. Præterea, ut scite advertit Lehmkuhl (I, n. 1230), homines negotiationi dediti, inter quos præcipue talis persuasio facilius enascitur, sæpe pecuniam mutuam accipiunt cum usura tanta ut hæc justa non esset, nisi mutuantes in antecessum consentirent ad jacturam sortis faciendam, si forte negotia infeliciter mercatoribus cesserint.

Raro tamen a restitutione integra excusari possunt qui mala fide pecuniam aliorum, qui rei sint inconscii, maximis periculis objecerunt, parati, post cessionem bonorum, fortunam iterum experiri : hi enim injustum damnum scienter inferunt, quos proinde non solent creditores cum plena scientia et libertate ab integra solutione eximere ».

E. Hosten.

V.

De conscientia vincibiliter erronea.

Q. *Ad quid obligatur qui laborat conscientia actu vincibiliter et culpabiliter erronea (1) ?*

R. Dictamen directum conscientiæ de qua quæritur compositum est duobus judiciis quæ resolvuntur in hoc unicum judicium reflexum certum : antequam juxta judicium meum primarium [scilicet erroneum] agam, cum periculo violandi legem contrariam quam suspicor existere, debeo prius circa hanc legem inquirere ne eam temerario neglectu violem (2). Unde, qui laborat conscientia actu vincibiliter et culpabiliter erronea obligatur ad instituendam ante actionem debitam inquisitionem

(1) Ut præsens responsum rite intelligatur præ oculis habenda sunt ea quæ scripsimus supra, p. 127 ss. et p. 237.

(2) V. s. p. 129 sq. Adverte iterum, quod ibi ostendimus, solam conscientiam actu *culpabiliter* erroneam *proprie* vocari *vincibiliter erroneam.*

circa legem contrariam in confuso apprehensam (1), adeoque ad deponendum errorem vincibilem.

Jam autem media ad errorem deponendum adhibenda eadem sunt quibus efformatur conscientia vera et certa, alia nimirum negativa seu removentia prohibens : purgatio a peccatis, a pravis concupiscentiis ac mentis præjudiciis, alia positiva, scilicet studium et consideratio personalis, consultatio peritorum, oratio. Non enim licet conscientiam vincibiliter erroneam pro lubitu ac temerarie deponere, sed prudenter seu ob rationes solidas et sufficientes id fieri debet, seu debita adhibita in inquirendo diligentia.

Quæritur autem quanta diligentia sit adhibenda ut deinde error forsan perseverans jam dici nequeat vincibilis ac culpabilis. — Respondendum est hanc requisitam et sufficientem diligentiam non posse certa regula generali seu mathematice definiri sed esse in singulis casibus moraliter æstimandam. 1. « Non debet adhiberi diligentia *summa* seu *extraordinaria*, qua nempe omnia media possibilia adhibeantur : hoc enim esset onus importabile ; sed sufficit diligentia *moralis* seu *ordinaria*, quam nimirum viri prudentes et probi in simili negotio adhibere solent » (2). 2. Hæc autem moralis diligentia æstimanda

(1) Distingue tamen duas hypotheses : 1°, si conscientia erronee permittit aut consulit id quod est et quod agens suspicatur prohibitum, aut id quod est et quod agens in confuso apprehendit ut præceptum, obligatio inquirendi ante actionem imponitur tantum si agens velit in primo casu actionem ponere, in altero casu actionem omittere; statim autem potest, sine ullo examine, in primo casu omittere, in altero ponere actum : tunc enim eligit partem tutiorem in qua nullum adest periculum peccandi. 2° Si autem conscientia erronee præcipit aut prohibet id quod est et quod agens suspicatur respective prohibitum aut præceptum, tunc obligatio inquirendi ante actionem in omni casu urget : etenim, sive actum ponat, sive eum omittat, in utroque casu peccat. Si hæc ita sint, minime intelligimus quæ habet V. Frins, *De actibus humanis*, t. III, p. 116 ss., ubi objicienti conscientiam de qua agimus ad hoc unum obligare ut eam deponamus respondet verum esse nos debere conscientiam vincibiliter erroneam deponere, et nihilonimus, dum manet dictamen conscientiæ, debere nos ipsum sequitem Billuart, *De actibus humanis*, dissertatio v, *De conscientia*, art. 2..

(2) *Theologia moralis generalis... mechliniensis*, p. 40.

est « habita ratione præcepti, officii et qualitatis personæ, aut etiam circumstantiæ temporis et loci » (1). Ita major diligentia requiritur quando dubium versatur circa legem naturalem quam quando circa legem positivam divinam aut humanam ; ad majorem diligentiam et ad studium magis personale obligantur viri docti aut sacerdotes quam rudes aut laici ; dum confessarius sedet in confessionali non ad eamdem inquisitionem tenetur quam quando libros theologiæ præ manibus habet ; item temporis angustia a pleniore investigatione, quæ aliter facienda foret, dispensare potest (2).

Instituta autem inquisitione debita, vel veritas detegitur adeoque *conscientia* fit *vera* ac *directe certa* ; vel evanescit suspicio legis contrariæ, utut objective existentis, et *conscientia* fit *invincibiliter erronea* ; vel tandem dubium perseverat et conscientia est *invincibiliter dubia* : quo casu vel pars tutior est eligenda in qua nullum peccandi periculum innotescit, vel abstinendum est ab omni actione si utrimque peccatum apparet : quodsi tunc alterutrum statim eligi debeat, conscientia est invincibiliter perplexa (3) ; vel tandem conscientia invincibiliter dubia, ope alicujus principii reflexi, indirecte resolvenda est in conscientiam practice certam de liceitate actionis aut respective omissionis.

A. Legrand.

---

(1) Bonacina, *De peccato*, Disp. II, qu. 8, puncto 3, n. 19. Cfr s. Alphonsus, *Theologia moralis*, ed° Gaudé, t. I, p. 4, in nota editoris sub c/.

(2) Cfr A. Vermeersch, *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia*, t. I, p. 295 : « Ipsa.... *temporis angustia a pleniore investigatione*, quæ aliter facienda foret, *dispensare poterit*, quando proportionatum damnum ex ipsa mora timendum erit. Cum enim tunc moralis copia majoris diligentiæ non habeatur, ignorantia quæ superest pro invincibili haberi poterit. Quare etiam rudis casum, prudenter pro modo suo, per se solvere tunc poterit ».

(3) Quomodo autem agendum sit cum conscientia perplexa vide apud *Collat. Brug.*, hoc tomo p. 79 ss.

De oratione deprecativa in Breviario.

(cfr suprà p. 248)

II. VERSUS.

Versus (1) nomine in officio intelligitur brevis sententia affectum officio congruentem exprimens, quæ duplici parte constat : quarum prior, seu Versiculus stricte dictus, a solista recitatur aut cantatur, altera vero, quæ Responsum vocatur, a choro respondetur. Illam littera V, hunc vero littera R, indicare solent libri.

Textus fere semper ex S. Scriptura desumitur, et quidem sæpius ex psalmis (2). Et exinde etiam, ut nobis videtur, versus nomen accepit : nam sicut ceterarum compositionum poeticarum, ita etiam psalmorum membra « versus » vocari solebant (3) quando prima mentio versuum in liturgia occurrit (4).

---

(1) Cf. BRG, XXIV; BONA, *Div. Psalm.*, XVI, § 13; P. PIACENZA, *De off. div.*, c. XVI.

(2) Vide v. g. versus communes in psalterio, versus proprios de Quadragesima, de tempore Passionis, etc.

(3) Quia in scribendis versibus oportet manum et scripturam ab una linea ad aliam *vertere*.

(4) Hæc explicatio adeo simplex et obvia est ut miremur auctores generatim ad alias confugere rationes. Sat communiter censent versum ita vocatum quia ponitur ut transitio a psalmodia aut lectione ad orationem, et « per eum *vertitur* intentio mentis in aliam intentionem « (AMAL. *De ord. antiph.* 1, MPL, 105, 1247; cf. *Eccl. off.* 3, MPL, 105, 1174). Unde a Germanis vocatur *Wendegebet*. Sed hæc explicatio est nimis abstracta et posteriori tempore tantum inventa; et non explicat cur eodem nomine vocentur etiam alii versiculi, v. g. versus aperitionis ad initium matutini, versus clusor ad finem completorii, aut versiculi qui in precibus dicuntur (cf. suprà p. 252). — Alii nomen ita explicant quia « in multis ecclesiis, in principio cantus qui dicitur versus, *vertit se* chorus ad altare » AMAL., *De ord. antiph.* 1; BONA, *l. c.* XVI, § 13, 1) aut « ad Orientem » (AMAL., *Eccl. off.*, IV, 2; MPL, 105, 1168). Sed ut apparet ex textu citato, praxis illa etiam s. IX nondum erat universalis: non est igitur ratio nominis primitiva, nec certe applicari potest versibus quibus constant preces quæ dicebantur flexis genibus.

Non est dubium quin versus pertineat ad antiquam officii constitutionem. Jam sæc. VI S. Benedictus versum præscribit ad horas singulas (cap. 9-11-12-13-17), et Amalarius cum delectatione versus interpretari consuevit.

Intendimus hic unice agere de iis qui antonomastice dicuntur « versus » in officio (1). Sunt enim et alii, tam in aliis ritibus quam in Breviario, puta in Precibus ; in Prima, V. *Pretiosa* post Martyrologium ; ad Matutinum V. *Domine labia mea aperies*, qui dicitur versus aperitionis, respondens versui clusori ad absolvendum completorium, etc.

Locus. In singulis igitur horis ponuntur versus et semper connectuntur cum (precibus aut) oratione quam præparant. Dicuntur in singulis nocturnis ante *Pater noster* et absolutionem ; in 4 Parvis horis, ante (preces aut) orationem finalem ; item in Laudibus, Vesperis et Completorio, ita tamen ut versum inter et orationem interponatur canticum evangelicum cum sua antiphona ; sed in Commemorationibus versus reponitur post antiphonam immediate ante orationem (BRG, XXIV, 3). Non est igitur dubium quin versus pertineat ad elementa deprecativa officii (2).

Finis versus est ut, post sat diuturnam psalmodiam — ad quam hodie sessio facile negligentiam parit — « excitentur pigri et revertantur ad cor » (BONA, *o. c.*, XVI, 13, 1). Per sententiam brevem, sensu plenam, clara et acuta voce pronuntiandam, mens percellitur et attentio revocatur « ad rem pro qua agitur officium » (AMAL.) et anima præparatur ad orationem. Versus specifice exprimit et signat indolem propriam officii, quam « tanquam in cito illucescente flamma ante oculos mentis ponit » (3),

---

(1) « Versibus prædictis tempore paschali semper additur *Alleluia*; non autem versibus precum, nec in *Pretiosa* ad Primam, neque in versibus responsoriorum matutini » BRG, XXIV, 4.

(2) Nota insuper quamplurimos versus formaliter aut implicite exprimere deprecationem ; Preces potissimum constare versibus ; v. *Pretiosa* præpaparare orationem *Sancta Maria et omnes Sancti*... etc.

(3) PROBST, *Brevier und Breviergebet*, § 35, Tubingen, 1868.

et per orationem jaculatoriam exprimit affectum festo aut tempori maxime congruum; unde « signatura festi » nuncupari meruit (1). « Talis namque debet esse omnis versus ut vel statum *officii* ad memoriam reducat vel statum *temporis* » ait merito Amalarius (2).

In officiis ordinariis luculenter signat versus præcipuas horas eisque consentaneos exprimit affectus. In tribus nocturnis, tempore meditationi aptissimo : *Memor fui nocte nominis tui... Media nocte* surgebam *ad confitendum* tibi... (3) Prævenerunt oculi mei ad te *diluculo*... R. Ut *meditarer* eloquia tua.

In Laudibus, dum aurora cor ad creatorem elevat et gaudio replet: *Dominus* regnavit, *decorem induit.* . Repleti sumus *mane* misericordia tua ; R. *Exsultavimus et delectati sumus.* In Prima, quando homo se præparat ad laborem diei : *Exsurge Christe, adjuva nos... Et libera nos.* Per tempus diurnum jugiter indigemus auxilio gratiæ divinæ ut in puritate vitæ ambulare valeamus. Quare, ad Tertiam petimus adjutorium divinum: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me;* ad Sextam exprimitur plenissima fiducia in auxilium Dei : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.. ;* ad Nonam petimus purgari a culpis quotidianis: *Ab occultis meis munda me, Domine* ; *R, Et ab alienis parce servo tuo.* Ad Vesperam rursus ad Deum ascendendum est per orationem : *Vespertina oratio* ascendat ad te Domine... (4) Tandem in Completorio quod præsertim

---

(1) Ex hac notione satis clare intelligitur quare omittatur versus tum ad Horas, Vesperas et Completorium in Triduo sacro, tum ad omnes horas præter matutinum infra octavam Paschatis: solemnis enim cantus antiphonæ *Christus factus est...* vel *Hæc dies..* plenissime sufficiunt ad obtinendum finem quem intendit versus.

(2) *De eccl. offic.*, IV, 7; MPL, 105, 1181.

(3) De hoc versu scribit Amalarius, (*De eccl. off.*, IV, 9; MPL, 105, 1187): « Iste ostendit qua hora noctis oporteat surgere, sed quoniam negligentes sumus de tempore quo soliti erant surgere patres nostri, non audemus mentiri, mutamus versum istum et dicimus alterum: *Quoniam tu illuminas lucernam meam* ». Qui versus revera dicebatur usque ad reformationem Pii X.

(4) Versus dominicalis: *Dirigatur, Domine, oratio mea, R. Sicut incensum in conspectu tuo*, assumptus est propter verba sequentia;

intendit petere protectionem divinam in nocte : *Custodi nos* Domine, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum *protege nos* (1).

Ad versus de tempore quod attinet, quam pulchra et pia sunt v. g. versus temporis paschalis : Surrexit Dominus de sepulcro. R. Qui pro nobis pependit in ligno. — Surrexit Dominus vere. R. Et apparuit Simoni. — Gavisi sunt discipuli. R. Viso Domino. — In resurrectione tua, Christe. R. Cœli et terra lætentur. — Mane nobiscum, Domine. R. Quoniam advesperascit.

Quanto dolore et qua fiducia orat Christus patiens — et anima nostra Christo compatiens — in versibus temporis Passionis : Erue a framea Deus animam meam. Et de manu canis unicam meam. — De ore leonis libera me Domine. Et a cornibus unicornium humilitatem meam. — Ne perdas cum impiis, Deus animam meam. Et cum viris sanguinum vitam meam. — Eripe me de inimicis meis, Deus meus. Et ab insurgentibus in me libera me. — Quam vivide depinguntur dolores et affectus Salvatoris patientis ! Tempore Quadragesimæ omnes versus ex psalmo 90°, citato in evangelio de tentatione Christi, desumuntur, ad nos animandos ad fiduciam in lucta contra diabolum. Tempore Pentecostes versus mirabili modo celebrant fructus adventus Spiritus Sancti, etc.

Numerus. Versus *Exsurge Christe* et *Custodi nos*, ad Primam et Completorium — quæ horæ non mutantur pro diversis anni temporibus — quotidie iidem repetuntur. Ceteri autem versus sunt proprii diversis officiis ; sed in uno officio non diversificantur pro horis singulis. Regula enim antiqua est ut in uno officio soleant esse tantum quatuor versus diversi, qui pro necessitate repetuntur. Dicuntur nempe in tribus nocturnis et Laudibus.

Elevatio manuum mearum SACRIFICIUM VESPERTINUM. Sed hæc verba jam omittebantur tempore Amalarii qui dicit : « nescio cur non cantentur » (*De eccl. off.*, IV, 7). Ex quibus ILL. BATIFFOL immerito concludit versum ad vesperas non cantari sed recitari (*Hist. du Brév.* p. 113).

(1) Quos versus commentatur AMALARIUS, *o. c.*, IV, 1-9.

Deinde iidem repetuntur ad alias horas et quidem hodie generatim sequenti ordine : versus ex I nocturno dicitur etiam ad I Vesperas; ex II nocturno, ad Tertiam ; ex III nocturno, ad Sextam ; ex Laudibus, ad Nonam et etiam, nisi proprius hic versus addatur, ad II Vesperas (1).

Sed insuper — quod valde mirum videri potest — textus versuum assumitur etiam in responsoriis brevibus Tertiæ, Sextæ et Nonæ et quidem generatim ita ut, ad Tertiam, primus versus adhibeatur in responsorio brevi, secundus vero ponatur ut « versus » ; ad Sextam autem et Nonam, qui fuerat « versus » in præcedenti hora, adhibetur ad responsorium breve.

Undenam et quanam de ratione orta sit hæc dispositio, quæ forte minus quadrat cum natura et scopo versus, frustra quæsivimus apud auctores. Sed, ni fallamur, ita explicanda est.

Per priora sæcula, saltem usque ad tempora Amalarii, ad Parvas Horas, deerant responsoria brevia et versus immediate sequebatur capitulum. Postea vero, probabiliter ad majorem conformitatem cum officio nocturno, inducta sunt responsoria brevia. Composita sunt quidem responsoria nova pro nonnullis officiis, v. g. dominicæ et feriarum per annum. Pro ceteris autem, methodo minus eleganti quam facili, elegerunt generatim ipsos versus parvarum horarum, quos diviserunt et, adjecto *Gloria Patri*, ordinarunt ad normam ultimi responsorii nocturnorum.

C. Callewaert.

(Continuabitur).

---

(1) Non tamen adeo raræ sunt, etiam extra officium dominicale et feriale commune, exceptiones, potissimum in officiis recentioribus, in quibus, neglecta regula antiqua, multiplicati sunt versus ad obtinendam miram varietatem. Vide v. g. officium SS. Cordis Jesu, S. Joseph, Apparitionis B. M. V. Immaculatæ. Idem videmus in iis officiis qui ex diversis compilata sunt, puta Nativitatis, S. Stephani, S. Joannis, SS. Innocentium.

Dissertatio

de contractibus credita pecunia seu ad terminum (à terme), attentis hodiernis cambii fluctuationibus.

Nemo non videt ex inconstantia valoris monetæ nostræ fiduciariæ, quæ priores nummos supplantavit, necnon ex imminutione ejusdem relate ad monetam aliarum plurium nationum seu relate ad valorem auri, quæstiones exsurgere practicas circa contractus tum in foro interno, tum in foro externo : quæ quidem quæstiones illas maxime conventiones spectant quæ ad terminum nunc ineuntur sive etiam antea initæ sunt, et apparent solutu sæpe difficiles (1).

Tum enim antiquorum debitorum solutio, quæ nunc temporis ex contractu olim inito peragitur, cum æquitate aut imo cum justitia commutativa primo aspectu discrepare videtur, si tantummodo pretium olim statutum schedulis bancariis hodie depretiatis solvatur ; tum etiam novæ quæ nunc ineuntur conventiones ad regulas moralitatis pro hodiernis adjunctis accommodandæ sunt ; et tandem in foro etiam externo, de tuendis partibus contra fluctuationes cambii res agitur.

---

(1) Cfr Creusen, S. J., in : *Annales de la Société Scientifique de Bruxelles*, 18 Juin 1924, p. 421 : « Pour résoudre les questions de ce genre, il suffit au moraliste, en temps ordinaire, d'appliquer des principes évidents à des cas d'espèce souvent très simple, parce que la valeur de la monnaie, du papier-monnaie et des marchandises les plus ordinairement échangées ne subit que des fluctuations sans grande importance ou du moins facilement prévues par la plupart des hommes de loi ou des hommes d'affaires. Telle n'est plus notre situation actuelle, car toutes les prévisions ont été troublées : 1° par le cours forcé du papier-monnaie ; 2° par l'inflation et la dépréciation des signes de valeur ; 3° par la fluctuation incessante et extraordinaire du change ; 4° par des modifications souvent injustifiées du prix des marchandises ».

Sic pone Titium olim, v. g. anno 1914, summam 10000 f. alteri mutuo tradidisse, post 10 annos tantum reddendam : an in conscientia liberabitur debitor, eamdem solummodo summam « nominalem » schedulis bancariis Titio nunc solvens, dum tamen valor « realis » illius summæ non est circiter nisi quarta pars ejus quam habebat tempore mutui ?

Vel sume mercatorem nunc merces ad creditum vendentem, nimirum post 3 menses pretio 1000 f solvendas : num in conscientia satisfaciet emptor, hanc summam tempore debito mercatori solvens, quamvis illi tunc franci propter cambium jam notabiliter minus valeant, dum tamen merces accceptæ proprium valorem servarunt ? Et e converso, si post 3 menses creverit valor nostræ pecuniæ, nonne plus æquo solvet debitor, eamdem sumdem summam creditori elargiens (1) ?

Jam age, cum hujusmodi practica puncta arctum præ se ferant nexum cum legibus civilibus, quippe quæ per se normam aliquam præbent secundum quam partes contrahere intenderunt, examinemus in hac re quæstionem juris civilis, ut ita aptæ solutioni pro foro interno aditus jam patescat.

1/ Itaque, ut historice incipiamus : ante 130 circiter annos, dum tempore gallicanæ perturbationis instar monetæ legalis simul et obligatoriæ veniebant assignationes (les assignats), constituit primo gubernium « Conventionis », anno nimirum 1795, ut debita sub novo regimine contracta solverentur ultra valorem nominalem, propor-

---

(1) Aliud exemplum proponitur ab Hayois, *ibidem*, p. 436 : « pour bâtir une maison valant actuellement 100.000 fr., quelqu'un emprunte 50.000 fr. remboursables dans 20 ans. Le rapport de l'argent-crédit à sa base-or est de 4 : 1 au moment de la signature du contrat. Les 20 années écoulées, les payements en espèces étant repris, le franc a reconquis sa parité, et il se fait que le débiteur paie effectivement à son créancier quatre fois ce qu'il a reçu. La chose la plus extraordinaire est qu'au moment de ce remboursement de 50.000 fr., la maison (abstraction faite d'une plus-valeur immobilière indépendante de la monnaie) ne vaudra plus que 25.000 fr.

tione nempe servata cum crescente numero schedularum (1). Deinde, introducta interim nova moneta legali juxta aliam, nempe : les mandats territoriaux, simul cum nova taxatione solvendi debita ultra valorem nominalem, mox ambæ monetæ cursum obligatorium initio anni 1797 abolevit : et paulo post ipsas assignationes simpliciter annulavit. Tandem, mense Junii ejusdem anni, definitive sancivit ut omnia debita hucusque contracta solverentur ad normam valoris *realis* assignationum tempore contractus ; qui valor pro temporibus et locis per specialia tribunalia determinatus est. Omnia vero anteriora Status debita proprio marte reduxit seu imminuit gubernium, extenuatis proinde juribus creditorum.

Ut nunc ad hodiernam Germaniam transitum faciamus, inde a fine belli : postquam plures tribunalium decisiones variis creditoribus, maxime hypothecariis, jus concesserunt creditum suum antea contractum computandi ad normam primitivi monetæ valoris, latum est initio anni 1924 decretum generale gubernii, statuens æstimanda esse deinceps debita privata, nondum soluta, ad 15 °/° valoris nominalis aurei ; debitorem tamen audiri, si demonstrasset sibi impossibilem esse tantam solutionem (2).

Ast illud decretum mox tribunalia respuerunt, utpote contra regni Constitutionem jura creditorum restringens ;

---

(1) Cfr Baudhuin, *ibidem*, p. 425 : « le premier terme de la proportion sera fixé à l'époque où il y aura eu 2 milliards en circulation, et les payements seront élevés d'un quart au-dessus de la valeur nominale des assignats, à partir de l'époque de chaque augmentation de 500 millions d'assignats dans la circulation. Les payements décroîtront dans la même proportion du quart, à chaque époque où la masse des assignats en circulation aura diminué de 500 millions ».

(2) Sic strictius : « la valeur-or des obligations contractées avant le 1er Janvier 1918 est la valeur nominale ; après cette date, la valeur-or est déterminée d'après le cours du dollar le jour du contrat. Le débiteur peut prouver que la valorisation lui impose des charges disproportionnées à ses facultés. Quant à l'intérêt, il est de 2 °/° sur la nouvelle valeur admise, et croît ensuite de 1 °/° par an jusqu'à un maximum de 5 °/° ». Baudhuin, *ib.*, p. 427.

ita ut nulla adhuc in aperto sit definitiva solutio, ab ipso gubernio sancita, circa privata debita ; quod de Austria pariter et de Hungaria dicendum venit.

2/ Apud nos autem, ut quæstio juris civilis circa privata debita enodetur, tria sunt sollicite consideranda.

Primo quidem, vigere in Belgio, inde a mense Augusti 1914, regimen legale et obligatorium schedularum bancariarum (cours légal et forcé des billets de banque). Ita etenim sancivit decretum regium 2 Augusti 1914, mox per legem 4 Augusti confirmatum : « la Banque nationale est dispensée, jusqu'à nouvel ordre, de l'obligation de rembourser ses billets en espèces. Les billets doivent être reçus comme monnaie légale par les caisses publiques et par les particuliers, nonobstant toute convention contraire » (1). Cujus dispositionis momentum in nostra quæstione practicum statim apparebit.

Deinde, notandus est art. 6. Cod. Civ. : « On ne peut déroger, par des conventions particulières, aux lois qui intéressent l'ordre public et les bonnes mœurs » (2). Omnis enim contractus principio generali moralitatis et ordinis publici (sensu legali utique rem intelligendo) subdatur oportet ; adeo ut quævis clausula, etiam indirecte dictum ordinem violans, conventionem vitiet.

Tandem, apprime hic usuvenit art. 1895 Cod. Civ. : « l'obligation qui résulte d'un prêt en argent, n'est toujours que de la somme numérique énoncée au contrat. S'il y a eu augmentation ou diminution d'espèces avant

---

(1) « La première phrase institue le *cours forcé*, c'est-à-dire dispense la Banque de convertir les billets en espèces. La seconde phrase institue le *cours légal* et interdit toute convention stipulant payement en or à l'exclusion du papier. Et comme la loi est d'ordre public, il n'y a aucune distinction à faire entre stipulations antérieures et stipulations postérieures à la loi ». DABIN, *ib* , p. 440.

(2) Cfr etiam art. 1131 et 1133 Cod. Civ. ; et *Cass. belg.*, 28 Janvier 1859 : « la loi n'ayant ni précisé ni défini ce qui est contraire aux bonnes mœurs ou à l'ordre public, il en résulte que le juge du fait apprécie souverainement si une convention est contraire à l'ordre public ou à la morale ».

l'époque du payement, le débiteur doit rendre la somme numérique prêtée, et ne doit rendre que cette somme dans les espèces ayant cours au moment du payement ». Quæ utique regula de quavis obligatione pecuniariæ summæ valet, sed circa nummos seu monetam metallicam olim lata est : cum idem nummi, sub eodem valore nominali, plus vel minus auri vel argenti continere nati essent. Quamvis enim, tempore quo sancitus est dictus articulus, nonnulli juristæ ipsi adversarentur, sententia tamen sat communis tunc prævaluit principem jure suo et plus minusve pro lubitu valorem determinatum monetæ affigere posse, legemque civilem valorem istum nummis agnoscere, omnibusque civibus imponere agnoscendum (1).

3/ Quæ cum ita sint, an nunc *de jure civili* partibus licet, attento damnoso influxu fluctuationum cambii in omnes contractus ad creditum, clausulam aliquam inserere conventioni locationis v. g. vel mutui vel venditionis ad terminum, qua debitor adstringitur ad solutionem non tantum nominaliter, sed veraciter et realiter correspondentem debito ?

a/ Respondetur primo hanc certe clausulam juridice prohiberi, qua solutio facienda imponatur cum moneta metallica loco schedularum, seu cum nummis loco papyri. Hoc enim manifeste sequitur ex regimine legali et obligatorio schedularum, inde ab initio belli apud nos introducto ; quod regimen, attenta simul necessitate

---

(1) « Quoique la valeur nominale de l'argent monnayé doive en général être en rapport avec le poids et le titre du métal dont il est formé, la loi, considérant la monnaie plutôt comme le signe public de la valeur qui y est attachée par le souverain que comme ayant elle-même sa valeur eu égard au poids et au titre, suppose que le prêt en argent n'a pour objet que la somme numérique portée au contrat..... En résumé, dans le système l'art. 1895, la monnaie n'est qu'un signe représentant une valeur déterminée par l'autorité publique et modifiable à son gré ; et il n'est pas permis aux particuliers d'y voir autre chose qu'un pur signe, indépendant de la valeur réelle de l'espèce ». Dabin, *ib.*, p. 444 et 447.

ordinis publici, hos etiam attingit contractus qui antea initi fuerint, sed quorum exsecutio nunc tantum evadit practica.

b) Quid vero de juridico valore clausulæ plus minus analogæ : nempe solvendi obligatorie non aurum vel argentum, sed summam schedularum respondentem aureo valori mercium sive præstiti servitii ? Ut si quis vendens et tradens Titio merces, post 3 menses pretio 4000 fr. solvendas, de consensu alterius partis statuat hasce merces nunc v. g. 1000 francos aureos valere, eumdemque proinde realem valorem, in schedulis utique computatum, esse post 3 menses a debitore solvendum (payement non en or, mais en valeur-or) ? (1).

Hæc pariter clausula, quamvis per se loquendo æquitati optime consona videatur, secundum communiorem auctorum sententiam juridice respuitur, nonnullis tamen aperte contradicentibus ; sed nec magis a tribunalibus seu ab ipsa jurisprudentia (2) recipitur : etenim tum articulo 1895, tum cursui obligatorio schedularum, tum ipsi ordini publico contradicere dicitur.

Quod ad art. 1895 attinet, hunc quidem contrarias partium dispositiones prohibere jamdudum affirmabant plerique juristæ ; quamvis enim textus ipse clausulas oppo-

---

(1) Exemplar quoddam practicum proponitur ab HAYOIS, *ib.*, p. 432 : « *a/ en période de dépréciation monétaire*, A aurait fourni à B pour 3000 fr. de marchandises, le rapport de la monnaie de crédit à l'or étant de 3 à 1. A facturera 1000 francs-or, et à l'échéance il recevra ses 1000 francs-or, c'est-à-dire 4000 francs crédit, si le rapport est tombé à ce moment à la proportion de 4 à 1. *b/ En période de relèvement*, A ayant vendu pour 3000 fr. de marchandises, le rapport étant de 4 à 1, la facture sera dressée pour 750 francs-or ; et si à l'échéance ce rapport est tombé à 3 : 1, le règlement sera considéré comme exact et loyal si le débiteur s'acquitte en remettant 2250 francs-crédit ».

(2) De jurisprudentia gallica agitur ; hucusque enim nulla tribunalium belgii decisio refertur circa punctum istud. Cfr DABIN, *ib.*, p. 442 : « quant à la jurisprudence (française, car en Belgique le recueils ne rapportent aucune décision), elle condamne, de la même façon et sans presque distinguer, la clause-or et la clause franc-or, au moins sur le marché intérieur ».

sitas explicite non excludat, necessitatem tamen ordinis publici hanc prohibitionem imponere fautores Codicis passim asserebant. Verum sane est hunc articulum de nummis latum fuisse, non de schedulis, et tempore quidem quo schedulas respuere et monetam metallicam exigere licebat, ita ut dubium moveri possit num legislator qui sic olim disposuit nunc etiam eodem modo adhuc disponeret : attamen, ut diximus, communius a doctrina, et firmiter hucusque a jurisprudentia extensionem articuli ad præsentem casum videre est : cum præsertim ipsa institutio legalis et obligatorii regiminis schedularum dispositionem dicti articuli ad monetam fiduciariam implicite extendere videatur.

Tandem, aiunt iidem juristæ, aliis rursus contradicentibus, ordini publico interest ut dicta clausula prohibeatur : tum quia talis stipulatio defectum fiduciæ erga nostram monetam prodit, tum præsertim quia hujusmodi praxis valorem pecuniæ nostræ magis adhuc deprimeret (1).

---

(1) Cfr Dabin, *ib.*, p. 451 : « parmi les juristes, les uns affirment qu'en temps de cours forcé, on ne doit pas, à l'intérieur du pays, laisser s'établir un cour déprécié du billet par rapport à la monnaie métallique, sous peine d'arriver aux plus grands inconvénients pour le crédit de l'Etat ; et que d'ailleurs la dépréciation de la monnaie est une turpitude, un mal honteux dont il convient de céler l'existence. Tous les efforts tendent à en conjurer l'extension. Il serait dangereux de lui donner par jugement un mode de consécration officielle. D'autres juristes prétendent, au contraire, que la clausse franc-or doit assainir la situation monétaire en faisant réapparaître l'or (lorsqu'il en existe !) ; et que d'ailleurs le public n'a pas besoin, pour retirer au billet de banque une partie de sa confiance, que de plus ou moins rares contractants aient manifesté, dans un acte écrit, qu'ils s'en méfiaient : il est suffisamment mis en garde par le cours forcé lui-même. Aux économistes de décider entre ces thèses divergentes.

Mais le point de vue de la dépréciation, qui dans les circonstances actuelles est assurément capital, n'est pas le seul à considérer : la notion juridique de l'ordre public ne se circonscrit pas à la bonne tenue de la monnaie nationale. L'ordre public est intéressé aussi à ce que la justice commutative ne soit pas froissée, à ce que le crédit privé ne se resserre pas, en suite d'une interdiction de se prémunir contre les variations du franc. Et peut-être l'étude de ce problème complexe suggérera-t-elle des distinctions à établir suivant la nature des opérations auxquelles la clause pourrait être adjointe ».

Omnibus nunc inspectis, manet tamen principium : per se seu intrinsece juri civili minime contradicere aptas, si inveniantur, stipulationes quibus contrahentes in hodiernis adjunctis partes suas tueri satagant ; quod principium nuper adhuc proclamavit Cassatio gallica : « Attendu que si le contrat de prêt à intérêt comporte des obligations réciproques, les parties peuvent, sans violer aucun principe de droit, régler d'un commun accord les conditions du remboursement, qu'il appartient au créancier de stipuler les garanties nécessaires à la sûreté de sa créance, et notamment d'éviter, par des clauses appropriées, le préjudice qui pourrait résulter pour lui de la dépréciation éventuelle de la monnaie indiquée pour le payement » (1). Nec imo ita certum apparet legislationem et jurisprudentiam hodiernam circa nostram clausulam non fore immutandas (2) ; cum etiam quæstio conscientiæ oriatur utrum immutari non debeant.

c/ Quæri ulterius potest an de jure civili liceat clausula solutionis cum moneta extranea faciendæ ? Per se quidem rem licitam esse dicunt (3) ; practice tamen apud

---

(1) Decisio illa lata est die 23 Januarii 1924 ; refertur apud : *Gazette du Palais*, die prima Martii 1924.

(2) Nota jam permitti hanc stipulationem in contractibus *cum extraneis :* « il faut noter cependant que la solution, admise en jurisprudence, de la validité de la clause or ou franc-or pour les payements à faire *de l'étranger en France*, et de la clause franc-or, pour les payements à faire *de France à l'étranger*, implique malgré tout un certain tempérament à l'interprétation rigoureuse de la loi sur le cours forcé, et en même temps un démenti à l'argument d'ordre public suivant lequel la reconnaissance de la dépréciation du franc ferait du tort à l'Etat..... Pourtant un *projet de loi* déposé en France par le gouvernement le 26 Janvier 1924,.... propose de déclarer nulle « toute clause de ce contrat (il s'agit des contrats exécutoires en France) qui fait état, dans le calcul d'une somme payable en monnaie légale, des variations pouvant affecter la valeur de ladite monnaie eu égard aux cours des devises étrangères ». DABIN, *ib.*, p. 452.

(3) «Il est unanimement admis qu'en principe, un payement peut être valablement stipulé en monnaie étrangère (voir art. 33 de la loi du 20 Mai 1872 sur la lettre de change). Et il n'y a pas à distinguer suivant que le contrat est fait dans le pays, entre nationaux, ou qu'il met en rapport des personnes domiciliées dans des pays différents. La seule

nos viget lex 3 Decembris 1885 sanciens : « dans les actes publics et administratifs, les sommes ne peuvent être exprimées qu'en francs et centimes ». Unde concludunt plures jurisperiti clausulam hujusmodi, quamvis conventionem non vitie', tamen quoad actus authenticos esse impossibilem (1). Et insuper mirum est hic non addi ab adversariis clausulæ præcedentis regimen obligatorium monetæ fiduciariæ prohibere quin tales conventiones, saltem inter concives, ineantur ; præsertim si de moneta Americana agatur seu dollario, quod nunc sæpius ut auro æquivalens accipitur (2).

d/ Tandem, an legaliter contrahere licet de solutione mercibus facienda, vel potius ad valorem certæ mercium quantitatis ? Respondetur affirmative ; quamquam tunc practica remanet difficultas elementa presse determinandi unde valor mercium computabitur. Circa hanc ergo clausulam unanimes videntur auctores ; quamvis logice hæc pariter agendi ratio diffidentiam erga monetam nostram redoleat, adeoque etiam ordini publico opposita dici posset.

Finem nunc hisce considerationibus jam imponentes, advertamus alias adhuc easque sane plures inveniri posse clausulas quæ tum partibus contrahentium tuendis aptæ sint, tum etiam in foro externæ licitæ appareant ; prout

---

question qui se pose est celle de savoir si le payement devra être effectué en monnaie étrangère elle-même ou en monnaie nationale équivalente à la monnaie étrangère stipulée. Or il est admis que, sauf convention contraire, le payement peut avoir lieu en monnaie nationale, au cours du change ». Dabin, *ib.*, p. 454.

(1) « Au contraire M. Schicks soutient — à juste titre, selon moi — que la loi de 1885 n'empêche pas que la monnaie étrangère soit convertie et exprimée en francs et centimes (sauf la formule à trouver) ». Dabin, *ib.*, p. 454.

(2) « De fait le *projet français* précité décrète que : tout contrat exécutoire en France et contenant obligation, pour les contractants français, de s'acquitter d'une dette en une autre monnaie que celle qui a cours légal en France, est réputé nul et de nul effet ». Dabin, *ib.*, p. 455.

ad calcem paginæ exemplum cujusdam contractus locationis cum clausula hujusmodi afferimus (1).

E. Hosten.

---

(1) Cfr Cuylits, *ib.*, p. 429 : « Voici la formule pour le cas de baux à long terme d'immeubles, non soumis aux lois temporaires sur les loyers :

Art. 12 du bail d'un immeuble, disons, de bureaux ou d'un magasin sans habitation dans l'immeuble.

Forfait : Les parties considérant la période instable où le présent bail est consenti et pour éviter les incertitudes résultant des contestations judiciaires, expertises, lois nouvelles et autres causes de difficultés prévues ou imprévues, résultant notamment et entre autres de l'application des lois sur les loyers présentes ou futures, et des variations de la puissance d'échange, ou valeur réelle de l'argent ayant cours légal en Belgique, déclarent être expressément d'accord sur les points suivants :

1° l'immeuble est loué et restera loué à usage exclusif de..... le prix du loyer a été actuellement fixé à .....fr. belges, en considérant notamment l'état et la valeur locative de l'immeuble et dépendances, la plus-valeur que cet immeuble peut avoir acquise depuis 1914 et peut acquérir au cours du présent bail, et surtout la dévalorisation actuelle du franc-papier belge ayant cours forcé.

Ce prix consenti à titre de forfait ne donnera lieu à aucune révision au cours du bail, sauf si la valeur réelle actuelle du franc-papier belge qui a cours légal forcé venait à baisser ou à augmenter de plus de..... (un pourcentage à convenir : p. ex. de 10 %, 25 %, 50 %) au cours du bail.

Chaque fois qu'il y aura hausse ou baisse de la valeur réelle actuelle du franc-papier belge de plus de..... (10, 20, 25, 50 %) comme il vient d'être dit, le présent bail cessera de plein droit ; toutefois chacune des parties aura l'option dans chaque cas de proroger le présent bail moyennant acceptation d'une augmentation ou réduction du prix nominal du bail dans ladite proportion de..... (10 %, 20 %, 25 %, 50 %) et pour le reste aux autres conditions du présent bail.

La valeur actuelle réelle ou puissance d'achat du franc belge ayant cours forcé est et sera fixée au cours légal de l'index-number annuel (ou trimestriel) pour.... (Bruxelles), et qui est de (444 pour l'année 1923), base du présent prix, le pair étant 100.

Il est à peine besoin de remarquer que la formule que nous donnons, est donnée à titre d'indication ; elle doit être modifiée selon chaque cas particulier en tenant compte de l'intention des parties, des circonstances de fait, et de lois en vigueur ».

E Litteris apostolicis

Favores spirituales operis Prop. fidei

1° **Indultum oratorii privati** in favorem sacerdotum in consilia operis adscitorum.

Perpetuum in modum concedit Pius Pp. XI ut « sacerdotes nunc et in posterum Præsides, adlecti in Consilia Nationalia enunciati Operis a Propagatione Fidei, Moderatores diœcesani, vel adlecti in Consilium sive Comitatum diœcesanum ubique terrarum, si forte detineantur infirmitate, quæ ultra dimidium mensis perduret, de consensu Ordinarii, intra domesticos parietes, servatis religiose sacrorum canonum præscriptis, Missam celebrare, sive per quemvis sacerdotem rite probatum sæcularem, seu, de Superiorum suorum licentia, regularem, absque ullo parochialium jurium præjudicio, in sua præsentia jubere licite possint ; quæ tamen Missa diebus festis, præter sacerdotem ægrotum si a Sacro faciendo abstinuerit, Missæque inservientem, uni dumtaxat personæ quæ ægrotanti assideat, in ecclesiastici præcepti implementum valeat. Sacerdotibus vero nunc et in posterum ubique terrarum adlectis sive adlegendis in Consilium generale Operis enunciati, personale Oratorii privati indultum singulis anni diebus, licet sollemnioribus et sollemnissimis, Paschate Resurrectionis Domini non excluso, de respectivi Ordinarii licentia et arbitrio, concedimus; facta insuper facultate Missam celebrandi in navi, quando maritimum iter capessant. Verum præcipimus ut quod attinet ad decentiam et honestatem loci celebrationis Missæ, jugiter serventur sacrorum canonum præcepta, et — pro Missa in mari — dummodo locus ad id delectus nihil indecens sive indecorum præ se ferat, mare autem sit tranquillum et quodcumque absit periculum sacrarum Specierum effusionis e calice, et alter sacerdos, si adsit, superpelliceo indutus, eidem celebranti adsistat » (1).

2° **Indulgentiæ plenariæ aut partiales** in favorem omnium membrorum operis.

A. Indulgentiae plenariæ. — « Omnibus et singulis fidelibus, nunc et in posterum, ubique terrarum, frugiferum hoc

(1) *Litteræ apostolicæ* Pii Pp. XI « Cum moderatores », 20 febr. 1924 (*Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 219).

Opus Propagationis Fidei rite adlectis, die primo eorum in aggregationis et, quotannis, Natalis, Circumcisionis, Sanctissimi Nominis Jesu, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, Corporis Domini et Sanctissimi Cordis Jesu festivitatibus; item Immaculatæ Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis Virginis Deiparæ; Inventionis et Exaltationis Sanctæ Crucis; et festis Sancti Michaëlis Archangeli (nempe die vicesimo nono mensis septembris), et Sanctorum Angelorum Custodum (idest die secunda mensis octobris): festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ ac festo Sancti Joseph Deiparæ Virginis Sponsi, atque ejus sollemnitate (scilicet feria quarta subsequenti immediate alteram post Pascha Dominicam); festis natalitiis Sanctorum XII Apostolorum atque Evangelistarum; festis Sancti Francisci Xaverii et Sancti Fidelis a Sigmaringa: celebritate Sanctorum Omnium: denique die XXII mensis junii (anniversaria nempe die fundationis Congregationis a Propaganda Fide), vel uno e septem diebus continuis immediate respective sequentibus, ad cujusque lubitum eligendo, quamvis ecclesiam vel oratorium publicum, admissorum sacramentali confessione rite expiati et cælestibus refecti epulis, visitent, ibique pro sanctæ Fidei propagatione et ad mentem summi Pontificis preces rite effundant, quo die injuncta pietatis opera impleant, *plenariam*: — similiter inscriptis omnibus, ter quovis mense, totidem diebus cujusque arbitrio eligendis; et die commemorationis generalis Sociorum defunctorum; ac die commemorationis peculiaris Sociorum defunctorum, jam ac Consilium diœcesanum, vel chiliarchiam, centuriam, decuriam, aut manipulum pertinentium, cujus quisque inscriptus est particeps, si vere pœnitentes et confessi ac sacra Communione refecti, quamvis ecclesiam aut sacellum, uti superius dictum est, orantes celebrent, a medietate præcedentis ad mediam usque noctem respectivi diei, quo die injuncta adimpleant pietatis opera, etiam *plenariam* peccatorum omnium indulgentiam ac remissionem miserecorditer in Domino concedimus. — Ad hæc opportunis spiritualibus subsidiis adjuvare cupientes eosdem inscriptos omnes, in momento diversantes illo, a quo pendet æternitas, in cujuslibet eorum mortis articulo, si, ut supra, pœnitentes, confessi et Angelorum Pane refecti, vel quatenus id agere nequiverint, nomen

Jesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium patienti animo suscipiant, similiter *plenariam* indulgentiam admissorum omnium largimur (1) ».

B. *Indulgentiæ partiales.* — « Præterea fidelibus nunc et in posterum, ubique terrarum, dicti Pii Operis sociis, quoties supplicationibus novemdialibus, triduanis vel octiduis celebrandis occasione festorum Inventionis Crucis et Sancti Francisci Xaverii, contrito saltem corde, intersint vel, legitime impediti, privatim ipsis precibus vacent, toties *quingentos* dies : quoties autem, contrito corde, cuivis adsint religiosæ functioni juxta Pii Operis tabulas habendæ, toties de pœnalium dierum numero, in forma Ecclesiæ consueta, *trecentos* expungimus : postremo dies *ducentos*, qua vice contrito corde, ut supra, recitent Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, addita invocatione : « Sancte Francisce Xaveri, ora pro nobis », vel, ad finem Associationis, pietatis quodvis sive caritatis opus exerceant » (2).

3° **Privilegium altaris privilegiati.** « Porro Operam ipsam generalibus quibusdam privilegiis augere volentes, concedimus ut qua die generalis vel peculiaris commemoratio locum habet, Apostolico gaudeant privilegio pro Missis in eorundem Sodalium animarum suffragium per quemvis sacerdotem sæcularem sive, de Superiorum suorum consensu, regularem, rite litandis ; nec non ut Missæ omnes, sive ab aggregatis ad quodvis altare pro Sociorum defunctorum animabus expiandis jubendæ, sive a sacerdotibus Piæ Operæ inscriptis, pariter in suffragium defunctorum Sociorum, item ad quodvis cujusque ecclesiæ altare litandæ, illi animæ pro qua celebratæ fuerint perinde suffragentur, ac si fuissent ad privilegiatum altare peractæ. — Placet insuper Nobis ut in Operam eamdem adlecti sacerdotes zelatores peculiaribus polleant privilegiis, ideoque ipsis sacerdotibus zelatoribus concedimus personale altaris privilegiati indultum, quater in hebdomada » (3).

4° **Facultates sacerdotibus zelatoribus** concedimus :

1. « Facultatem benedicendi quovis tempore privatim,

---

(1) *Litteræ apostolicæ* Pii Pp. XI « Pontificum opus », 25 marti 1924 (*Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 220 s.).

(2) *Ibidem*, p. 221.

(3) *Ibidem*, p. 222.

de consensu Ordinarii saltem rationabiliter præsumpto, extra Urbem, unico crucis signo, Cruces, Crucifixos, rosaria, coronas precatorias, sacra numismata et parvas ex metallo religiosas statuas, eisque applicandi Apostolicas indulgentias. Quod si adventus, quadragesimæ, spiritualium exercitationum et sacrarum missionum tempore, sacras ipsi habeant conciones, hac benedicendi facultate publice utantur.

2. Facultatem ubique benedicendi unico Crucis signo rosaria cum applicatione indulgentiarum a Patribus Crucigeris nuncupatarum et coronas (sive speciales, sive rosarii) cum applicatione indulgentiarum a Sancta Birgitta.

3. Facultatem benedicendi, in locis ubi non reperiantur religiosæ domus Fratrum Minorum, Crucifixos unico signo crucis, eisque applicandi indulgentias Viæ Crucis sive Calvariæ, lucrandas, ad normam privilegii quo gaudent Minores Fratres, ab illis qui legitime impediantur quominus sanctas Stationes celebrent.

4. Facultatem ubique benedicendi numisma Immaculatæ Conceptionis (proprium Congregationis Missionis) cum applicatione adnexarum indulgentiarum.

5. Facultatem benedicendi cum adnexis indulgentiis numisma Sancti Benedicti, in locis ubi minime exstent cœnobia sive domus Ordinis dicti Sancti, quæ hujusmodi privilegio fruantur.

6. Facultatem benedicendi atque imponendi, etiam unica formula, scapulare Sanctissimæ Trinitatis, B. M. V. a Carmelo et Virginis Perdolentis, atque inscribendi, debitis conditionibus servatis, respectivis Confraternitatibus, Passionis D. N. I. C. (adhibito colore rubro proprio Congregationis Missionis) et Immaculatæ Virginis (adhibito cæruleo proprio Patrum Theatinorum), dummodo in loco, quo talis facultas exercetur, non adsint respective domus religiosæ Trinitariorum, Carmelitarum, Servitarum et Theatinorum.

7. Facultatem etiam legitime inscribendi Confraternitati Cordigerorum, in locis ubi non exsistant domus religiosæ Minorum Conventualium, benedicendo et imponendo funiculum seraphicum.

8. Facultatem inscribendi fideles Tertio Ordini sæculari Sancti Francisci, in locis ubi non sint dicti Ordinis canonice erectæ Congregationes, benedicendo scapulari et cingulo.

9. Facultatem inscribendi fideles Confraternitati a Militia Angelica, ubi non exsistant domus religiosæ Ordinis Prædicatorum, benedicendo et imponendo cingulum et numisma Divi Thomæ Aquinatis.

10. Facultatem denique sacerdotibus zelatoribus, qui, de licentia Ordinarii, in forma exercitiorum sacrarum concionum seriem impleverint, impertiendi, novissima ipsorum concionum die, Apostolicam christiano populo benedictionem, cum adnexa *plenaria* indulgentia, ab iis lucranda, qui saltem quinque adfuerint concionibus, et confessi ac sacra Synaxi refecti, ad mentem Romani Pontificis oraverint » (1).

5° **Peculiaria privilegia** pro sacerdotibus præsidibus et adlectis in consilia nationalia, moderatoribus diœcesanis et sacerdotibus qui sint participes consilii vel comitatus cujusque ad provehenda Pii Operiis negotia constituti, aut pro sacerdotibus benemeritis, aut pro sacerdotibus in consilium superius generale adlectis (2).

1. « Iis præter omnes supra recensitas facultates quinquies in hebdomada personale privilegiati altaris indultum tribuimus ; nec non facultatem benedicendi, in locis ubi non exstent Ordinis Prædicatorum religiosæ domus, brevi formula a Sacrorum Rituum Congregatione adprobata die XXIII mensis novembris anni MDCCCCXVIII, coronas Sanctissimi Rosarii cum applicatione indulgentiarum Patrum Ordinis Dominici.

2. Volumus etiam ut Operæ inscripti sacerdotes, qui a Consilio Superiore generali renunciati fuerint sacerdotes zelatores Benemeriti, omnibus indulgentiis et privilegiis supra recensitis gaudeant.

3. Sacerdotes denique in Consilium Superius generale adlectos singulari Nostræ voluntatis pignore complectentes, iisdem præter omnia, quæ supra numeravimus, privilegia, facultatem facimus benedicendi ubique, de consensu Ordinarii saltem rationabiliter præsumpto, unico crucis signo, privatim, quovis tempore ; publice autem, si conciones habeant, tempore adventus, quadragesimæ, spiritualium exercitationum et missionum sacrarum, rosaria, coronas, Cruces, Crucifixos, numismata

---

(1) *Ibidem*, p. 222.
(2) *Ibidem*, p. 223.

et parvas ex metallo statuas religiosas, cum Apostolicarum indulgentiarum applicatione » (1).

6° **Speciales indulgentiae** pro nonnullis laicis.

« Specialibus quoque indulgentiis cohonestare cupientes nonnullos ordines fidelium laicorum in eadem Opera inscriptorum, decernimus, ut sodales laici a Consilio Superiore generali renunciati Benemeriti, fideles laici in Consilia adlecti Superius generale, nationalia ac diœcesana, nec non laici præpositi Comitatibus sive Commissionibus parœcialibus, præter indulgentias et privilegia omnibus inscriptis laicis concessa, solitis sub conditionibus, non ter, sicuti reliqui, sed quinquies in mense indulgentiam *plenariam* lucrari possint, totidem diebus eorum arbitrio eligendis ; pariterque pro quolibet opere pietatis, sive caritatis, quod pro suo munere exercuerint, contrito saltem corde, loco ducentorum dierum, *quingentos* ipsis in forma Ecclesiæ solita de pœnalium numero dies expungimus.

Postremo edicimus ut socii in Operam Propagationis Fidei rite nunc et in posterum inscripti, hisce indulgentiis ac privilegiis fruantur a die aggregationis, usque dum in ipsa perseverent Pia Opera et præscriptas conditiones impleant : ut sacerdotes Zelatores, Moderatores diœcesani et adlecti in varia Consilia, nempe Superius generale, nationalia ac diœcesana, specialibus supra recensitis privilegiis tantum durante munere gaudeant ; ut sacerdotes zelatores Benemeriti, favoribus sibi tributis utantur ad vitam : ut religiosarum Familiarum alumni numerari possint in Operam Pontificiam a Propagatione Fidei, non modo uti sodales, sed etiam uti Moderatores diœcesani, Præsides, Consiliarii ac Zelatores, salvis præscriptionibus can. 693, par. IV, Codicis juris canonici » (2).

---

(1) *Ibidem*, p. 223.

(2) *Ibidem*, et vide *Collat. Brugen.*, XVIII, p. 645 ss., ubi recitantur privilegia et facultates 26 junii 1913 huic operi concessa a suprema S. Congregatione S. Officii (sect. de indulgentiis) et præcipue XXII, p. 257 ss., *Motu Proprio* Pii Pp. XI, de pio opere Propagationis fidei amplificando cum adnexis statutis generalibus, 3 maii 1922.

Notæ Bibliographicæ

Prümmer, D. (O. P.). *Vademecum Theologiæ Moralis* in usum examinandorum et confessariorum. Editio 2ª et 3ª aucta et recognita. Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1923. — Pr. 23.50 fr.

Norunt lectores nostri cum merita tum opera P. Prümmer, qui modernos inter theologos præclarum sibi nomen hisce ultimis annis acquisivit. In specie quidem præsentis libelli, olim in hoc periodico dijudicati, prima editio paucis mensibus exhausta est; novaque nunc eaque duplex in lucem prodiit, doctrina sed non mole ampliata, necnon secundum recentissimas decisiones romanas recognita. Cui proinde pro meritis prosperam apprecamur fortunam.

Prümmer, D. (O. P.). *Manuale Theologiæ Moralis secundum principia s. Thomæ.* Tomus secundus, editio 2ª et 3ª, Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1923. — Pr. 52 fr.

Hæc altera operis vere commendabilis editio, novo juri jam accommodata, absque dubio pluribus arridebit: cum et Angelici doctoris doctrinam fideliter et dilucide proponat, atque in exponendis principiis non secus ac in dijudicandis sententiis maturitate polleat. Cum jampridem de totius hujus manualis prima editione judicium hîc protulerimus, iu iterandis laudibus non censemus esse immorandum; in memoriam autem revocamus secundum operis tomum, de quo hîc agitur, materiam virtutum cardinalium (excepta prudentia) complecti cum partibus potentialibus et vitiis oppositis.

E. Hosten.

Cauchie, A. *Le Cardinal Newman.* Bruxelles, La lecture au Foyer, 1923. — Pr. 1 fr.

Le cardinal Newman a été, au premier siècle de l'époque contemporaine, l'homme providentiel de l'apologétique catholique, pour fournir aux savants catholiques les armes pacifiques, capables de contenir les ennemis du dehors et d'élargir les frontières de l'Eglise romaine. Il l'a été par sa compréhension claire et profonde de la vérité, mais aussi par le sacrifice de tout son être dans l'ordre moral et pratique. Voila le thème développé dans cette belle conférence par le regretté et savant maître de Louvain, auquel, un de ses meilleurs élèves, M. le professeur Van der Essen, consacre, dans une courte préface, un hommage ému et si bien mérité.

Kirch, C. (S. J.). *Enchiridion fontium historiæ ecclesiasticæ antiquæ.* Ed. 4, Herder, Friburgi Brisgoviæ, 1923. — In 8, 644 p. — Pr. 13.15 fr. helv.

Tertio nondum elapso lustro jam quater prelum reliquit egregium illud instrumentum pro studio scientifico historiæ antiquitatis chris-

tianæ; eventus ita probavit nos non plus æqus hîc (t. XVI, p. 239) æstimasse hanc textuum collectionem quam in usum scholarum confecit R. P. Kirch atque semel et iterum jam perfecit. Aucta est hæc editio numeris circiter quinquaginta, quum in 2ª et 3ª editione collectio jam creverat numeris centum et octo.

Allossery, P. *Pater Lievens' Leven en Werk.* Brugge, Verbeke, 1924. — In 8, 102 bl. — Pr. 2,50 fr.

Deze bondige, maar tevens heel wetenschappelijk en boeiend geschrevene schets over onzen Vlaamschen held, « den grootsten Missionaris sedert s. Franciscus Xaverius », zullen onze priesters willen lezen; zij zullen er vooral aan houden dit werkje te verspreiden onder hun volk, opdat — 't is schrijvers doel en wensch — Lievens niet onbekend blijve bij zijn eigen volk, opdat hij (naar de rouwgedachtenis door G. Gezelie opgesteld) voort blijve werken onder ons en in ons wekke

een vonkske van de vlam
die 't heidendom in brande stak
die *hem* het leven nam !

R. De Schepper

Bernolet, J. (Adv.). *Het huwelijk* (proeve van rechtsgeschiedenis). Verhandelingen van de algemeene Katholieke vlaamsche hoogeschooluitbreiding, Januari 1924. Dirix-Van Riet, Antwerpen. — In 8, 56 bl. — Pr. 1 fr.

Een kijk in de geschiedenis van het oud vlaamsch recht.

In een eerste deel handelt de schrijver over het oud germaansch recht. De oorspronkelijke rechtsvorm van het *huwelijk* was niet een ontvoering of een verkoop — echt of symbolisch — van de bruid, maar wel een verdrag bij wederzijdsche overeenkomst, een familieovereenkomst zonder tusschenkomst der openbare macht, berustend enkel op de toestemming der toekomende en — waar het eene maagdelijke bruid gold — op de toestemming harer familie. De *verloving* geschiedde niet tusschen bruidegom en bruid, maar tusschen bruidegom en verlover, voogd der bruid.

In het tweede deel gaat schrijver de ontwikkeling na van het huwelijksrecht in West-Vlaanderen, vanaf het begin der middeleeuwen tot de jaren 1800 : inmenging van de burgerlijke overheid, verloving, afroepen der bannen, straffen op gewelddadige ontvoering, noodzakelijkheid van de toestemming der ouders, huwelijksplechtigheden en huwelijksfeesten in Vlaanderen worden volgens wetten en rechtsplegingen geschiedkundig beschreven.

Wij durven verhopen dat deze waarlijk belangwekkende en verdienstelijke proeve van rechtsgeschiedenis, die reeds veel meer is dan een *verkenning* binnen een nieuw gebied, zal groeien tot een volledige studie die een tekort, een leemte komt aanvullen, gebleven in de geschiedkundige kennis van ons volk.

V. Coucke.

Opera ad redactionem missa (1).

Bernolet, J. (Adv.) *Over het indeelen der kerkhoven in gewijden en ongewijden grond.* Brugge, Exelsior, 1924. — In 8, 63 bl.

Bournet, L. *La querelle janséniste.* Paris, Téqui, 1924. — In-8, XII-382 p.

Dorsaz, P. A. (C. SS. R.). *Notre parenté avec les personnes divines.* Paris, Téqui, s. d. — In 8, 275 p. — Pr. 7 fr.

Janssens, A. (Miss. van Scheut). *De H. Drievuldigheid.* (Leerboeken der Dogmatica uitgegeven door professoren in de godgeleerdheid. 1ste Traktaat). Gent, Uitgeversfirma « Tspycker », 1924. — In 8, VI-124 bl. — Pr. 9.35 fr.

Joseph a Spiritu sancto. (Carm. disc.). *Mystica Isagoge*, hoc est brevis totius mysticæ theol. synopsis (I pars I tomi cursus theol. mystico-scholasticæ). Ed. 6 a P. Fr. Anastasio a s. Paulo in collegio philosophico cortracensi ejusdem ordinis prælectore. Brugis, Beyaert, 1924. — In 8, VIII-136 p. — Pr. 12.50 fr.

Lacau, J. (S. C. J.). *Précieux trésors des indulgences.* Turin, Marietti, 1924. — In 8, XV-304 p. — Pr. 9.50 fr.

Nothomb, J. (S. J.) *La légende de Nostre-Dame.* Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, XI-236 p. — Pr. 6 fr.

Poppe, E. *La méthode eucharistique.* Abbaye d'Averbode, 1924. — In 8, III-128 p.

Théodore de S. Joseph (Carme disc.). *A l'école de s. Thérèse.* Bruges, Beyaert, 1924. — In 12, 187 p. — Pr. 5.

Id. *Uren eenzaamheid met de h. Therezia.* Brugge, Beyaert, 1924. — In 12, 191 bl. — Pr. 5 fr.

Thibaut, E. (S. J.) *Le récit de pèlerin.* Autobiographie de s. Ignace de Loyola. 2e ed. (Museum lessianum). Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, 182 p. — Pr. 4 fr.

Thomas, S. Editio Taurini, P. Marietti, 1922-1924.
Summa theologica, 6 vol. Pr. 80 lib. ital.
Sum. contra gentiles, 1 vol. Pr. 15 lib. ital.
Quæstiones disput. et quodlib. 5 vol. Pr. 60 lib. ital.
In epist. s. Pauli comment. 2 vol. Pr. 40 lib. ital.
Satis nota est optima editio taurinensis, clare et nitide typis excusa, quæ heic iterum commendatur.

Vallgornera Th. a (O. P.). *Mystica theologia divi Thomæ.* Ed. 4 curante J. J. Berthier. Taurini, Marietti, 1924. — Vol. 2 in 8, 1170 p.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc indicantur, in sequentibus fasciculis parebunt.

Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam.

Tabula III.

Regnum Dei supernaturale per peccatum turbatum, restauratur et perficitur per Verbum incarnatum Redemptorem (1).

Monitum. — Hucusque exposita et præsertim quæ evolvuntur in hac tabula III et sequente IV, forte cuipiam lectori videbuntur sat remote spectare ad theologiam mysticam. Velit autem attendere quomodo tamen ea vere pertinent ad *Introductionem* in theologiam mysticam.

Videlicet, ad mystica spectacula duplex est via : altera *extraordinaria*, qua Deus ad illa vocat, prout vult, animas etiam simplices et puras absque præparatione proprie theologica, dummodo, remotis obstaculis per seriam ascesim, viva fide credant quæ credenda sunt, in Deo confidant, eumque toto corde diligant.

Altera via est *ordinaria* quæ, simul cum diligenti ascesi, percurritur per sedulam meditationem et contemplationem divinorum operum et admirabilis Providentiæ Dei in præsenti ordine supernaturali, ut tandem Deum ipsum contemplari, eique intime uniri contingat. Re quidem vera, Deus sese manifestat opere suo ad extra, cujus totius, ut supra ostendimus, ratio et finis atque fastigium est Verbum incarnatum, et per vitam, operam atque doctrinam Christi, qui via, veritas et vita est, complevit Deus suî revelationem.

(1) Vide supra hoc tomo, pag. 185.

Si quis ergo, capax cum sit hanc viam ordinariam capescendi, ut sunt præcipue theologus, necnon sacerdos, qui aliquem scientiæ sacræ gradum acquirere debet, hanc viam negligat, quo jure aut prætextu ad mysticam theologiam, ad contemplationem Verbi incarnati et porro SS. Trinitatis et Unitatis divinæ pervenire præsumeret ?

Et ad contemplationem quidem Verbi incarnati, nonne totus ordo præsens Providentiæ conducit, adeoque sedulo meditandus est cuicumque ad hanc contemplationem pervenire qui velit? Porro, contemplationem divini Verbi, ejusque sanctissimæ humanitatis, simul ac augustissimæ Trinitatis, objectum princeps est divinæ contemplationis, ut bene notat S. Theresia (1), cujus doctrinalis est hac in re auctoritas.

Jamvero viam ordinariam ad vitam contemplativæ unionis cum Deo percurrere mens nostra erat, nec aliud fecimus aut facere, ut patet, potuimus (2).

* * *

Hæc tabula 3ª est quasi diptycha, cujus una pars exhibet omnem præfigurationem, prædictionem et præparationem adventus Salvatoris, ejusque operis redemptionis ; altera vero pars describit ipsum adventum et executionem operis ejus.

Pars prima.

Præparatio adventus Salvatoris.

A promissione Redemptoris, omnia jam diriguntur ad ipsius adventum et sacrificium expiatorium per passio-

---

(1) Vid. ejus *Vitam* ab ipsa scriptam, cap. XXII.

(2) Nota hisce in tabulis, præsertim in parte altera III et in IV, etiam reperiri breve complementum, latino sermone conscriptum, quod multis lectoribus in votis erat. *Meditationum theologicarum*, quas apud *Collationes Brugenses* edidimus, et gallico tantum sermone in 2ª editione complevimus. In iisdem his tabulis quoque adduntur quædam, inter alia de lapsu protoparentum et peccato originali, quæ in Meditationibus dictis non fuerant inserta.

nem et mortem ejus universumque opus redemptionis. Interim dum adveniat, ex prævisis ejus meritis subministrantur hominibus, pro temporibus et adjunctis diversis, varia salutis media.

Hæc omnia dirigit divina Providentia, actione singulariter appropriata Verbo incarnando, utpote Sapientiæ Patris et futuro Salvatori, qui adventum et opus suum præparabit, ministerio quoque usus angelorum in servitium ejus creatorum. Sic in theophaniis videmus aliquando Filium Dei, aliquando angelos ejus nomine et auctoritate apparentes.

Hæc actio Providentiæ intelligenda est, non de distributione internæ gratiæ Spiritui sancto attributa, sed de omni externo interventu per legislationem, doctrinam, miracula et prophetias, sacramenta, etc.

Itaque, secundum diversitatem temporum : ante diluvium, pene nulla inveniuntur præcepta et sacramenta alia quam in statu naturæ fuissent ; post diluvium adduntur quædam positiva : nominatim præcipitur Noë ne carnem cum sanguine comedat (1), et præsertim post vocationem Abrahæ, cui imponitur circumcisio ut sacramentum coöptationis populo Dei (2).

Pariter, ante Abraham, præparatio adventus Redemptoris potius negativa est quam positiva : permittit Providentia ut peccatum originis omnes suos malos effectus exerat, ita ut genus humanum continuo dilabatur in pejus et regnum diaboli excrescat, atque sic necessitas redemptionis magis eluscescat et agnoscatur.

Consilium enim Dei ferebat tum Salvatorem victurum esse diabolum, cum hujus imperium ad summum pervenisset, adeoque ejus ruina cum maxima confusione et pudore comitaretur, et cum homines in ima delapsi et quasi desperati sentirent vividius indigentiam redemptionis, Deique beneficium condigne æstimarent.

---

(1) *Gen.*, IX, 14.
(2) *Gen.*, XVII, 10 et sqq.

In illo quasi desperato statu humani generis, Salvator quoque medium reperturus erat clarius manifestandi suam divinam missionem sanando omnem infirmitatem et medendo omni malo, simulque præparandi per istos perditos homines suî ipsius passionem et mortem, qua contra omnium spem et exspectationem, mundum erat salvaturus et renovaturus.

Ex his sponte intelligis cur divina Providentia totum genus humanum, excepto uno populo, quasi sibiipsi reliquit, ut testatur Apostolus (1), et quomodo historia antiquitatis, si populum Dei excipias, minimi quasi momenti est respectu hominum a Christo redemptorum.

Igitur, quo magis accrescebat imperium diaboli, eo clarius Deus præsignificavit adventum Servatoris, ad majorem Christi gloriam et ad salutem hominum, quos omni tempore salvos fieri volebat.

Ideo, non prius Abraham elegit in signum futuri redemptoris, quam gentes multiplicatæ in omnem regionem dispersæ, lingua et moribus distinctæ, omnes in idololatriam erant dilapsæ. Tum, non antea selegit non unum hominem sed populum, ab aliis segregatum, ut esset Salvatoris signum publicum et præfiguratio aperta.

Sed, ut hæc asserta magis declarentur, quædam facta et eventus sigillatim enarremus.

Ex illis assertis intelliges quomodo factum sit ut Deus, ut sequelam peccati originis, crimen Caïni non impediverit, et eum cum omni progenie ejus a facie sua profugum ejecerit, ita ut a Deo elongati et ab Adami doctrina et ductu privati, brevi ex toto carnales facti sint et corrupti.

Hic animadverte hominis statum ante diluvium duplicem habuisse effectum : scilicet, cum tunc homines, etsi mortales effecti, nihilominus corpore vegetiores et a multis infirmitatibus immunes, multo diutius quam post diluvium viverent, cibis quoque sanioribus usi et aërem

---

(1) *Act. Apost.*, XIV, 15.

puriorem aspirantes, inde factum est ut sub morali respectu, ab una parte minus solliciti essent de observandis divinis præceptis et facilius ad carnalem vitam inclinati ; et sic de Caïnitis et brevi, juvante etiam mutuo scandalo, de cæteris omnibus præsertim post obitum Adami, valet quod dicit Scriptura (1) : « Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore ». Ab altera parte, cum longior esset vita, traditio primæva melius conservabatur, et cum vividiores essent sensus et facultates etiam superiores, et aptiores ad bonum, minor vero concupiscentia ad malum, facilior erat observantia legis divinæ, ac proin major hominum malitia et culpa.

Igitur, tempore diluvii homines generaliter erant peccatores, sed nondum idololatræ ; regnum diaboli excreverat, sed nondum ipse adorabatur ; Deus adhuc agnoscebatur et colebatur. Unde judicavit Deus tempus nondum advenisse, ut mitteret Salvatorem. sed puniendum esse genus humanum et extinguendam corruptionem, servatis paucis justis quasi scintilla vitæ, e qua homines propagarentur et Redemptor nasceretur. Justissima et simul misericordissima pœna, et dans longius spatium et meliorem occasionem pœnitentiæ.

Jam, post diluvium Deus non impedivit ejus sequelas : abbreviationem vitæ hominis, oblivionem traditionis, simul et malarum passionum effervescentiam ; dispersit quoque illos in diversas regiones, eorum superbiam deprimendo confusione linguarum ; ex quibus omnibus sequebatur ulterior oblivio divinæ traditionis, et nascebatur idololatria, quæ brevi facta est pene universalis (2).

Gaudebat Satan, divini consilii ignarus. Deus vero tunc, relictis sibimetipsis ut ita dicam gentibus, vocat Abraham ut ex eo suscitet sibi populum e quo Salvator nasciturus est.

---

(1) *Gen.*, VI, 5.
(2) V. *Josuë*, XXIV, 2.

* * *

Hoc initium est positivæ præparationis adventus Christi : primum initium, quoniam tempus illius adventus, secundum infinitæ sapientiæ consilium, adhuc longinquum erat. Non obstante enim humani generis delapsu physico et morali modo descripto, nondum satis senserant homines sequelas istiusmodi delapsus, nec gustaverant satis amaros fructus idololatriæ et corruptæ naturæ, et imperium diaboli quamquam universale nondum ad summum fastigium ascenderat. Neque adeo Christus eum statum humani generis reperisset in quo convenientissime, ut supra diximus, redemptionem perficeret.

Attamen positiva præparatio illa necessaria fiebat : honor divinæ majestatis et Salvatoris exigebat ne religio et cultus veri Dei prorsus interiret ; potius quam hoc toleraret Deus, humanum genus extinguere debuisset. Præterea, ex divino consilio redemptionis, necessaria erat eadem præparatio, ut promissio et exspectatio Salvatoris inter homines servaretur, et salus hominum, ex prævisis ejus meritis, usque possibilis maneret.

Ad hoc ergo elegit Deus Abraham, quem jussit egredi de terra et cognatione sua, ut eum constitueret stirpem et patrem populi, qui primo quidem factus est populus Dei, segregatus ab omni alia gente, et e quo oriretur Salvator mundi ; qui, secundo, ut publicum signum et testis inter gentes Redemptorem præsignificaret et annuntiaret, simulque cultum veri Dei inter homines conservaret.

Quod hic populus, ex Abraham ortus hanc duplicem proprietatem possidebat, et hac de re conscius omnino erat, evidenter demonstrat tota illius populi historia, quæ ostendit omnem actionem divinæ Providentiæ in illum duplicem scopum dirigi.

Jure merito animadversum fuit in universa historia humani generis ut phenomenon mirum et unicum apparere hunc parvum populum, qui per omnia sæcula idem ipse manet, numquam a gentibus etiam potentissimis

et non obstante longo exilio et dispersione absorptus, et qui immota persuasione salvatorem et regem exspectat, regnaturum in omnem terram et in finem sæculorum. Profecto inaudita res quæ nonnisi speciali providentia Dei intelligi potest facta.

In ipso jam Abraham videmus quomodo Deus eum segregat, cum eo fœdus init et promissa sua de populo suo et Salvatore multoties renovat ; et ex alia parte eum celebrat seu nobilitat inter gentes, notum faciens Pharaoni Egypti, ubi posteri ejus per plura sæcula habitabunt, regibus Chanaan, Chaldæis et Elamitis, quos pugna vicit. Quod idem valet de posteris ejus, Isaac, Jacob et filiis ejus, patribus duodecim tribuum Israël, quæ distinctæ permanebunt ad adventum usque Christi.

Valde notabile est historiam illorum patriarcharum quasi præludium et subjectum fundum esse totius historiæ populi Dei. En : Providentia eos ut extraneos peregrinari facit in terra promissa, ubi monumenta plura sui itineris relinquunt, ex quo intelligimus tam vividum mansisse desiderium teræ promissæ, non obstante longa mansione in Egypto.

Hæc terra ipso situ favebat maxime segregationi populi ab aliis gentibus, et simul ejus missioni testis et signi, inter gentes, veræ religionis et futuri Redemptoris : erat enim illa regio umbilicus terræ habitatæ, et ex alia parte, ipsis confinibus suis, a vicinis separata, nempe mari, montibus, deserto ; et viciniores quoque, cum non essent plane alieni, utpote orti ex Lot (Ammon et Moab) et Esau (Edom) vel et ex concubinis ipsius Abrahæ (Ismaël et Madian), tamen ab iis segregatus manebat populus Dei, vitata communione, præsertim matrimonio, cum Chananæis, idque inde a tempore jam Abrahæ (1).

Ipsa mansio per sæcula in Epypto contulit ad hoc ut non solum gentibus innotesceret populus Dei, sed ut vitaret communionem cum eis, et, quod hic jam notare

(1) V. *Gen.*, XXIV, 2-6 ; XXXIII, 1, 2.

liceat, ut præpararetur ad relinquendam vitam vagam pastoralem, et sedem fixam in terra promissa occupandam : in Egypto enim viderant gentem rite constitutam cum suis legibus et institutis, cujus scientiam et artes potuerunt perspicere, et vel ipsa opera servilia eis imposita eos docuerunt ædificare civitates et mœnia.

Ab patriarchis ipsoque Abraham incipit quoque introductio ad legem mosaïcam et constitutionem integram Israël in populum. Patriarchæ enim hanc legem sequebantur jam spiritu, qui est exspectatio futurorum bonorum et præcipue regni Messiæ promissi ; servabant etiam plura, circumcisionem, decimas, sacrificia, postea in lege expresse et sigillatim præscripta ; cæterum fœdus cum Deo, in quo fœdere lex suam originem et obligatoriam vim habebat, jam cum Abraham erat conclusum.

Quod autem positiva præparatio ad adventum Christi a patriarchis initium sumpsit, aperte demonstrat ipsa vocatio Abrahæ, fœdus cum ipso initum, promissio Redemptoris multoties ei facta, et posteris ejus renovata (1). Præterea apud illos omnia jam sunt præfigurativa, ita ut merito scribat S. Augustinus (2) : « Horum Sanctorum qui præcesserunt tempore nativitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita et conjugia et filii et facta prophetia fuit hujus temporis, quo per fidem passionis Christi ex gentibus congregatur Ecclesia ».

Sufficiat notasse tamquam præfigurationes Christi ejusque operis redemptionis, Melchisedech qui et nomine et persona et oblatione et actis suis figura insignis est Christi (3) ; Isaac ejusque sacrificium ; historiam Joseph, tum ante tum post ingressum in Egyptum ; sed et posteros Jacob in servitute Egyptiaca, qui per plura sæcula ibidem manent segregati ab Egyptiis et multis modis præfigurant Salvatoris vitam et opus.

---

(1) Vid. *Gen.*, XII-XXII.
(2) *De catechizandis rudibus*, c. XIX, n. 33.
(3) Lege *Ad Hebr.*, VII.

* * *

Cum duodecim tribus Israël per longam mansionem et servitutem in Egypto paratæ erant, ut modo ostendimus, ad fixam sedem et nationalem vitam in propria regione, Deus conduxit eas, multiplicatas et ditatas ad terram promissam eorum patriarchis bene notam. Attamen per quadraginta annos eas peregrinari fecit per desertum, mediis in portentis et præfigurationibus diu adhuc exspectandi Redemptoris; usque dum plerique adulti, qui adhæsione moribus et luxui Egyptiorum periculum creare potuissent, essent exstincti.

Priusquam autem Deus populum suum in possessionem mitteret terræ promissæ, novis et usque efficacioribus viis providit ut ab aliis gentibus distinctus impleret missionem suam signi et testis ad conservandum verum Dei cultum et promissionem Salvatoris. Etenim ad hoc singulariter inserviit legislatio mosaïca, civilis, religiosa et ritualis, ut evidens est. Ab hoc quoque tempore multiplicantur figuræ Christi et legis evangelicæ, in personis, in rebus, in tota institutione et his oria populi Dei Ut aliqua enumeremus : Moyses imago est Christi, qua salvator, dux et legislator ; agnus paschalis significat redemptionem per cruentum crucis sacrificium, et Eucharistiam, sicut et manna in deserto, in hoc quoque serpens æneus salvantem crucem Domini. Deinde tabernaculum, arca fœderis, multiplicia sacrificia cultum novæ legis et tum cruentum tum incruentum sacrificium prænuntiant ; et sic exsurgunt præsagia et figuræ continuo usque ad Jesum, filium Nave, i. e. Josuë, qui introducit populum in promissionis terram, sicut Christus Jesus suum populum congregabit in Ecclesiam suam et introducet in cœlum.

Ab hoc jam tempore tam evidens est actio divinæ Providentiæ ut nonnisi cæcis voluntariis non pateat, quamquam nemini datum fatemur divina consilia etiam in minimis scrutari. Unum alterumve asserti argumentum

adducimus : sic revelatio divini nominis Moysi facta : « Qui est », « Ego sum qui sum », secum fert originis suæ divinæ indubium testimonium. Quis enim mortalium, præsertim tunc temporis, uno verbo, tam accurato quam profundo, infinitam Dei essentiam exprimere cogitasset? Pariter, duæ tabulæ legis datæ in monte Sinaï, omissis omnibus quæ S. Scriptura de origine divina legis enarrat, et attenta sola formula, quæ decem verbis totam legem naturalem complectitur et tam internos quam externos actus præcipit vel prohibet, adeo mirandæ sunt ut, quando dabantur nullus homo, imo quovis tempore etiam sapientissimi hominum vix aut nullatenus earum formulam mosaïcam excogitare et proponere valuissent (1).

* * *

Prosequamur jam in historia populi Dei actionem Providentiæ, quæ eo clarius elucet quo tempus adventus Christi magis appropinquat. Quam quidem admirabilem actionem aliquando omnino certam deprehendimus, utpote divino testimonio in sacris Litteris expresse affirmatam, præsertim apud Prophetas et principaliter in libris novi Testamenti ; aliquando ex conjecturis probabilibus deductam et humana certitudine morali firmatam.

Igitur, statim ab introitu Israëlitarum in terram promissam, noluit Deus omnes illius habitatores extinguere, ne in desertum mutaretur ante multiplicationem novorum incolarum ; utque illæ gentes probandis Israëlitis inservirent et Deo opportunam occasionem darent populum suum vel infidelem puniendi vel fidelem præmiandi, et ita clarius providentiam suam ostendendi et populum suæ missionis, supra sæpius memoratæ magis magisque conscium reddendi. In his continetur scopus *Libri Iudicum*.

---

(1) Hæc latius exposuimus in *Exposé sommaire des principes de la science sociale*, p. 559 ss., et rursus in *Méd. théol.*, t. II, p. 219 ss.

Post hujusmodi probationem trium fere sæculorum, quæ exspectationi divinæ parum respondit, aliam viam iniit Deus permittendo ut populus peteret regem. Hæc quidem institutio non repugnabat per se regimini theocratico, neque erat imprævisa (1), sed evidenter illa populi petitio ex defectu fiduciæ in Deo et cupiditate gentes alias imitandi oriebatur (2).

Deo vero nova hæc opportunitas fuit præparandi adventum Christi, hujusque regnum modumque redemptionis præsignificandi, ita tamen ut iste modus ignotus maneret, etiam Satanæ, ante impletionem prædictionum et figurarum luce clariorem per Christum. Hæc fuit præcipua, suprema ratio cur Deus petenti populo annuit, quamquam humano modo regimen regale quoque opportunum videbatur ad majorem unitatem et disciplinam populi.

Primus rex Saül, non ex tribu Juda ortus adeoque non numerandus inter majores Salvatoris, ad hoc solummodo videtur a Deo electus, ut regnum Davidicum præpararet, cum iis quidem insignibus et peculiaribus adjunctis, quibus hoc regnum Messianicum regnum præsignificaret.

Etenim, David primus inter reges stirps est et progenitor Messiæ, et princeps figura ejus, tum persona et vita sua, necnon laboribus, passione et persecutione Saülis aliorumque inimicorum, tum gloria regni sui, quod supernaturaliter consideratum ad summum assurrexit.

Præterea David propheta magnus fuit, et mille annis ante Christum scripsit in suis psalmis duplicem seriem prophetiarum insignium, quarum altera modum redemptionis per passionem et mortem Christi prænuntiat (3), altera prædicit glorificationem Redemptoris, vocationem gentium, universale Salvatoris regnum, ejusque æternum

---

(1) Vid. *Deuteron.*, XVII, 14-20 ; XXVIII, 36 ; et cf. *Gen.*, XVII, 16 ; XLIX, 10 ; *Num.*, XXIII, 7 et ssq.

(2) I *Samuël*, VIII, 5 et 7 ; XII, 12.

(3) V. inter alios *Psalm.*, 40, 68, 87, 108 præcipue 21.

sacerdotium ; non quod hæc semper a priore serie sint separata, sed aliquando in uno psalmo et passio et glorificatio Christi prædicitur (1) ; et nonnunquam loquitur David in ipsa persona Christi, aliquando sensu typico ejus verba de Christo sunt intelligenda : utrumque porro constat ex testimoniis Scripturæ novi fœderis de psalmis istis Messianicis.

Hæ prædictiones, quæ postea impletæ tam claræ apparent, ita a Deo dispositæ sunt ut Judæi Christum exspectarent tamquam filium David, et regnum ejus universale, ipsis tamen et ipsi diabolo abscondita manerent et propria indoles illius regni et modus redemptionis, ne impediretur quin Christus ab illis rejiceretur et ad mortem duceretur, qua mundum redimere voluit.

* * *

Sub regibus, videmus populum in continuo conflictu cum circumhabitantibus gentibus, assidue alternante punitione ob aberrationem a Deo et inclinationem ad idololatriam, cum præmiatione ob conversionem et fidelitatem missioni suæ, prodigiis hæc omnia confirmantibus. Sic magis conscius fiebat populus illius suæ missionis, et apparebat clarius ut signum et testis gentibus, quas sibimetipsis relinquebat Deus, ad clariorem ostensionem necessitatis redemptionis ; ita tamen ut non destituerentur mediis salutis : externe habentes testimonium populi Dei et primævam traditionem, intus vero lumen rationis et auxilium divinæ gratiæ, quæ nemini unquam bonæ voluntatis defuit.

Quo magis appropinquabat tempus adventus Salvatoris, misit Deus majore numero prophetas ad monendum, instruendum, arguendum populum, et simul usque apertius describendum promissum Redemptorem, et opus redemptionis per passionem et mortem Christi, hujusque futurum regnum.

---

(1) V. inter alios *Psalm.*, 2, 8, 15, 39, 40, 68, 88, 96, 117.

Necesse non est, nimisque longum foret prædictiones prophetarum sigillatim enarrare ; quædam tantum maximi momenti animadvertamus.

Inprimis quidem, adverte quam evidens sit in prophetis illis locutum esse Spiritum sanctum : nulla enim creatura prævidere poterat quæ ipsi pluribus ante eventum sæculis prædixerunt, et, cum tempore et loco ab invicem longe distarent, in describendo futuro Messia ejusque regno singuli sua lineamenta attulerunt. Sic Isaïas ejus nativitatem ex Virgine prænuntiat eumque vocat Emmanuël, nobiscum Deus ; Michæas nasciturum prædicit in Bethleëm Judæ ; Isaïas rursum ejus passionem et gloriam describit, eo quidem modo ut S. Hieronymus non dubitaverit dicere : eum evangelistæ potius quam prophetæ nomen mereri, eo quod mysteria Christi ejusque Ecclesiæ ita describit ut non tam de futuris eventibus quam de historia præteriti agere videatur. Daniël quoque multa præclara habet de regno universali ac perpetuo, spirituali Messiæ, de tempore hujus adventus et mortis, necnon de excidio Jerusalem per Titum seu fine antiqui fœderis.

* * *

Hæc sufficiant de prophetis, qui jam missione sua impleta per quatuor sæcula tacebunt usque ad Joannem Baptistam, qui digito designabit Messiam.

Etenim, post reditum populi ex captivitate, opere præsertim prophetarum jam extinctus erat idolorum cultus, et Salvator sufficienter adumbratus et prænuntiatus erat, ut quicumque cordatus Israëlita eum agnoscere posset. Cæterum sapientissime Deus deinceps non misit prophetas, ne exspectatio Salvatoris tribui posse videretur eorum excitationi et cuidam exaltationi religiosæ animorum ; ne tempus quoque deficeret Judæis attente scrutandi prophetias, et eorum Doctoribus vaticinia Messianica interpretandi, ita ut testimonium quidem darent veritati adventus Christi, simul vero, ob præjudicia sua

seipsos decipientes, modum ignorarent redemptionis et indolem spiritualem regni Christi, et falsi conceptus Messiæ populo quoque causa existerent, ne ullum obstaculum poneretur passioni et morti Christi.

In hac ultima epocha præparationis adventus Christi, paucis adhuc verbis exponamus actionem divinæ Providentiæ respectu tum Judæorum, tum Ethnicorum, et tandem quod materiali sub respectu præparandum mundum attinet.

Judæi, ab omni inclinatione ad idola sanati, et suæ missionis plene conscii, suspirabant ad adventum Salvatoris, filii David, et redeuntes ad propria sub ductu Ierobabelis, e stirpe David, sciebant Davidis progeniem reducem esse apud se. Errabant autem in hoc quod filium David exspectabant tamquam regem temporalem qui omnes mundi gentes suo imperio submissurus esset, perperam intelligentes regnum universale Messiæ, quod spirituale futurum erat. Hoc factum est quia Deus modum et indolem redemptionis absconditum volebat, et ideo nullum deinceps ex progenie Davidis permisit imperare populo, sed paulatim hanc stirpem reduci in oblivionem et paupertatem, quia nempe statutum erat Salvatorem, contra exspectationem Judæorum ipsiusque Satanæ, nasciturum esse pauperem et omni humano nobilitatis apparatu carentem, qui absque omni auxilio humano, imo ab hominibus oppugnatus et vexatus, et a suis rejectus, per passionem et mortem mundum redimeret.

Quod gentes ethnicas attinet, per captivitatem tam Israël in Ninive, quam Iudæ in Babylonia, gentibus illis Asiaticis potentissimis, in signum manifestum et testem veræ religionis et promissionum Messianicorum fuêrunt, ut plurimi eventus in S. Litteris relati declarant, et expresse testatur divinum eloquium, apud Tobiam (XIII, 3, 4). Postea, eadem ratione (1) instrumenta divinæ Providentiæ fuerunt Judæi diasporæ, qui numerosi non

(1) V. *Eccli.*, XXXVI, 5, 6.

redierunt in Palæstinam, et plurimi manserunt Alexandriæ quæ quasi altera Jerusalem facta est. Pariter cum Græcis et Romanis res habebant Judæi Palæstinenses, haud diu ante Christi adventum (1).

Tandem, sub materiali respectu mundum præparavit Deus ad adventum Christi et missionem Apostolorum ejus, procurando majorem unitatem, unitatem linguæ et principatus in populis ; vias quoque sternendo per universum cognitum orbem, primo per Alexandrum Magnum, deinde per Romanos.

Hæc breviter sufficiunt ut actionem divinæ Providentiæ, cum omni reverentia et gratitudine admiremur.

Et sic accedimus ad plenitudinem temporum, a Deo præstitutam pro adventu Salvatoris ; et ad alteram partem hujus diptychæ tabulæ nostræ tertiæ.

† G. J., Episc. Brugen.

(1) V. I *Machab.*, VIII, XII, XIV, XV.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis junii propositas.

—

I.

Processus Jesu coram auctoritate judaica.

Q. *Ordine chronologico dispone varia facta quæ circa Jesum habuerunt locum inde ab ipsius comprehensione in horto usque ad deductionem ad tribunal Pilati.*

R. Non una est auctorum sententia tum de factis quæ in hac parte passionis Jesu locum habuerunt, tum de ordine quo varia facta sibi successerunt. Quæ verisimiliora visa sunt sic breviter constringimus :

I. *Ab horto ducitur Jesus ad Annam.* Equidem Synoptici de hoc nihil habent (1), speciem habentes quasi Jesus immediate ad Caipham fuisset adductus ; Joannes vero hac in re, uti in multis aliis, complere voluerit Synopticos et præcavere ne aliquis eorum narrationem indebito modo intelligeret, et ideo, manifeste ad Synopticorum relationem alludens scribit, XVIII, 13, Jesum fuisse *primum ad Annam* adductum.

Coram Anna contigisse putamus ea quæ narrat Jo., vv. 19-23. Voluerit Annas, vir maxime astutus, in præparationem judicii a genero suo Caipha instituendi (cfr *Jo.*, vv. 13-14), privata interrogatione ab ipso Jesu extorquere confessio-

---

(1) Nisi forte *Lc.*, XXII, 54 (coll. III, 2 et *Act.*, IV, 6) de Anna esset intelligendus (LAGRANGE, in *h. l.*). — Synoptici ignoraverint vel inutile duxerint referre præviam illam et privatam interrogationem quam Jesus coram Anna subierat, quæque ad processum juridicum nihil contulerat.

nem quamdam qua postea tamquam instigator seditionis vel propagator perversæ doctrinæ condemnari posset (cfr *Jo.*, v. 19). Ast Jesus responsum declinat, a ministro percussus seipsum defendit, et ab Anna ad Caipham transmittitur. — Hæc coram Anna, non vero ut quidam volunt coram Caipha contigisse colligi posse videtur ex narratione *Jo.* qui relatam interrogationem concludit : *Et misit* (gr. : *misit ergo*) *eum Annas ad Caipham pontificem* (v. 24), neque apodictica videntur quæ huic argumento opponuntur.

Equidem plerique recentiores (1) æstimant interrogationem a *Jo.* relatam vv. 19-23 esse tamquam unam scenam componendam cum interrogatione *coram Caipha* descripta a *Mt.*, vv. 57-66 et a *Mc.*, vv. 53-64 ; ast res non patet, ut videtur. *Arguunt* enim : *a/ Jo.* vv. 19 et 22 dicit rem agi coram *Pontifice ; Pontifex* autem a *Jo.* solus Caiphas potest nominari (cfr vv. 13 et 24). — *Ast* non solum ille qui actu gerebat summum pontificatum, sed etiam alii sacerdotes qui, sicut Annas, pertinebant ad familias unde summi Pontifices desumebantur, hoc nomine vocari solebant ; multo magis ii qui, sicut Annas, pontificatum olim exercuerant ab eaque dignitate nonnisi sacrilego ausu auctoritatis romanæ Judæisque ægre ferentibus demissi fuerant (2). — *b/* V. 24 *Jo.*, ubi Annas mittit Jesum ad Caipham, in editionibus nostris extra locum versatur, et, testibus versione syro-sinaitica et s. Cyrillo Alexandrino, statim post v. 13, adeoque *ante* interrogationem est reponendus. — *Ast* nimis debilia sunt hæc duo testimonia textualia quam ut valeant contra

---

(1) Ita : Jansenius, Lucas Brug., Maldonatus inter antiquiores ; recentius : Beelen, Bisping, Vansteenkiste, Ceulemans, Calmes, etc. — Sententiam nostram propugnant : Fouard, Belser, Jacquier, Knabenbauer, Tillmann, Klövekorn, (*Biblische Zeitschrift*, 1911, pp. 268 ss.) Groenen, (*Het lijden en sterven van O. H. Jesus Christus*, Utrecht, 1919, pp. 239 ss.) etc.

(2) Schürer, *Gesch. des Jud. Volkes*, 4 ed.. II, 274. — Cfr *Mt.*, xxvii, 1; *Mc.*, xv, 1; *Lc.*, iii, 2; *Act.*, iv. 6. — Opinio Beelen (In *Lc.*, iii, 2) Annam et Caipham utrumque simul fuisse summos Pontifices, et alternatim per annum exercuisse hoc munus aliunde non demonstratur.

consensum omnino unaninem omnium aliorum codicum, versionum aliorumque scriptorum antiquorum ; cæteroquin facile explicamus illarum duarum lectionum originem : præcise vitare voluerint difficultates quæ adhuc hodie ex textu Joannis exegetis oriuntur (1) ; ex adverso non intelligimus quomodo lectio illa facilior quam, teste versione syr.-sin., Joannes scripsisset, ubique locum cessisset difficiliori illi quam hodie legimus. — *c*/ V. 24 est animadversio restrospectiva in qua Joannes, recordatus se nondum retulisse translationem Jesu ad Caipham, eam nunc refert : Et misit..., i. e. aoristum sumendo in sensu plus-quam-perfecto : *Et miserat...* — *Ast* hujusmodi satis violenta explicatio, quamvis utique non impossibilis, nisi aliunde demonstretur necessaria — quod sane non fit — non est admittenda. — *d*/ Juxta Synopticos triplex negatio Petri locum habet in atrio Caiphæ ; juxta *Jo.* vero, si vere vv. 13-23 aguntur coram Anna, prima saltem negatio, vv. 15-18 locum habuisset in atrio Annæ. — *Ast* hæc difficultas apte solvitur si vera est sententia illa Annam et Caipham eamdem domum habitasse, vel duas domus cum atrio communi ; imo cum *Jo.*, v. 13, non dicimus Jesum fuisse adductum *ad domum* Annæ, sed *ad Annam*, et tota illa actio nocturna circa Jesum, ni fallimur, optime intelligitur si Jesus fuit ab horto adductus ad domum Caiphæ, quo, quod mirum non est, etiam Annas advenerat ; hîc, dum exspectaretur consessio synhedrii, prævie privatim interrogatur ab Anna, deinde transfertur « ad Caipham pontificem » ; interea temporis in atrio versabatur Petrus, Jesumque negavit prima vice dum Jesus stabat coram Anna, secunda vero et tertia vice dum stabat coram Caipha.

II. *Ab Anna mittitur Jesus ad tribunal Caiphæ, ubi locum habent nocturna sessio synhedrii, auditio testium, interpellatio Caiphæ cum responso Jesu et tandem condemnatio ad mortem.*

Hæc omnia referuntur a *Mt.*, XXVI, 57, 59-66 et a *Mc.*, XIV, 53, 55-64. — Quod *Jo.*, relata adductione Jesu ad Cai-

(1) Eadem versio syr.-sin., in eodem contextu, manifeste, contra omnium codicum et versionum consensum unanimem, mutavit ordinem textus genuini, ponendo vv. 16-18 ante vv. 19-23, ut sic in unum jungeret tres negationes Petri.

pham, nihil habet de hac inquisitione judiciali, hoc plane convenit ipsius mori omittendi quod satis narraverant Synoptici. — De silentio ipsius Lucæ circa hanc sessionem nocturnam, v. dicenda ad IV.

III. *Per reliquum noctis illuditur Jesus* tum ab ipsis Synhedristis, tum a ministris, et quidem ita, ut obvium est cogitare et ut videtur posse colligi ex tribus Synopticis collatis et in specie ex *Mc.*, v. 65, ut illusiones a Synhedristis, jam in ipso loco consessus, inchoatæ, postea a ministris fuerint productæ, et quidem in alio quodam loco (1). — De silentio *Jo.*, valent dicta ad II.

Hæ illusiones locum habuerunt, ut explicite referunt *Mt.* et *Mc.*, inter nocturnam illam sessionem synhedrii et condemnationem Jesu de qua sub II et alteram matutinam de qua dicendum sub IV. — De mente *Lc.* hac in re, dicetur sub IV.

IV. *Mane locum habet nova sessio synhedrii*, ut colligitur ex *Mt.*, XXVII, 1, et *Mt.*, XV, 1 necnon ex *Lc.*, v. 66 (2).

---

(1) Hoc ultimum colligi posse videtur ex *Lc.* qui dum narravit negationes Petri, v. 61 addit: *Conversus Dominus respexit Petrum*, quod bene intelligitur si Jesus, post auditam sententiam, extra locum consessus ducitur et transit per atrium ubi sedet Petrus; — et v. 66 explicite de Synhedristis notat: *duxerunt illum in concilium suum*, i. e. ut videtur in eumdem locum ubi prior sessio locum habuerat. (Certe *in concilium suum* nequit intelligi de loco illo in templo vel templo adjacente *(Gazith)* ubi synhedrium sessiones suas habere consueverat; notat enim *Jo.*, v. 28a Jesum fuisse adductum *a Caipha* in prætorium, i. e. *a domo Caiphæ* ad prætorium Pilati.)

(2) Objectum hujus sessionis non videtur fuisse sententiam mortis illegali modo, utpote de nocte prolatam, legitimam efficere; etenim etiam hæc nova sententia ex plurimis capitibus fuisset illegalis, ut puta quia illicitum erat decursu ejusdem diei inquirere causam et sententiam mortis decernere; — neque videtur fuisse a Pilato obtinere confirmationem sententiæ mortis a Synhedrio prolatæ; hanc enim confirmationem nequidem petent; — sed intenderint decernere quomodo possent Jesum coram Pilato accusare et ab ipso aliquam condemnationem mortis extorquere. — Nihil autem mirum quod, ut refert *Lc.*, vv. 66-71, in hac sessione matutina, jam non solus Caiphas, sed Synhedristæ omnes, etiam illi qui de nocte non adfuissent, non jam sententiæ ferendæ, sed potius irrisionis et indignationis exprimendæ causa, Jesum de dignitate sibi vindicata interrogant.

Difficultatem nullam facit silentium *Jo.*, (rec. dicta ad II), facit autem narratio *Lc.* : hîc enim Jesus ab horto ducitur ad domum principis sacerdotum, et, nulla facta mentione prioris sessionis nocturnæ, illuditur a viris qui tenebant illum, et « *ut factus est dies* » locum habet sessio synhedrii ubi Synhedristæ interrogant Jesum de sua dignitate et, audito responso, concludunt : *Quid adhuc desideramus testimonia ? ipsi enim audivimus de ore ejus.* *Lc.* cum *Mt.* et *Mc.* componere voluerunt quidam dicendo unam tantum fuisse sessionem de nocte inceptam et usque mane protractam, vel in sessione nocturna unice auditos fuisse testes, sententiam vero mortis in altera sessione matutina fuisse prolatam. Quæ sententiæ cum *Mt.* et *Mc.* componi non posse videntur, ut legenti patebit.

Relatio vero *Lc.* sic ni fallimur explicari et cum *Mt.* et *Mc.* componi potest : Ad historiam passionis Jesu scribendam habet *Lc.* vel traditionem oralem, vel quod omnino probabilius est, documentum aliquod scriptum (1) in quo acta coram auctoritate judaica eo fere modo et ordine referebantur quo *Mt.* et *Mc.* ea descripserunt. Fonti huic inhærens, refert Jesum adduci ad domum principis sacerdotum et Petrum sequi Jesum ; hîc autem, pro methodo quadam sibi propria (2), historiam negationum Petri prosequitur usque ad finem, omissis iis quæ in fonte suo, media in narratione de Petro, circa sessionem nocturnam synhedrii et illusiones Jesu referebantur ; deinde, absoluta historia Petri redit ad omissa et, non notando ordinem chronologicum quo hæc cum præcedentibus cohæserant, narrat quidem illusionem Jesu, sessionem vero nocturnam penitus omit-

---

(1) Sitne scriptum hoc Evangelium *Mc.*, aut *Mt.*, aut — quod probabilius nobis videtur — documentum hisce evangeliis cognatum.

(2) Methodus hæc est quam vocant eliminationis seu exclusionis, de qua cfr CAMERLYNCK-VANDER HEEREN, *Commentarius in Actus Apostolorum*, ed. 7, 1923, p. 37; *Collat. Brug.*, t. XVIII, pp. 167 ss. et attende dicenda in resp. ad duas quæstiones in Scripturam s. sequentes.

tit, sciens et volens (1), non tantum quia non omnia debet narrare (2), sed multo magis quia ex eodem fonte suo referendam habet alteram sessionem, matutinam nempe, in qua iidem synhedristæ iisdem pessimis dispositionibus adversus Jesum egerant, quamque proinde sessionem meritò describere poterit elementis ex sessione nocturna desumptis (3).

A. Vander Heeren.

II.

De circuminsessione.

Q. *Quid intelligitur per circuminsessionem divinarum personarum? Paucis ostende quomodo circuminsessio rite intellecta non tollat distinctionem personarum in Deo.*

R. — 1/ Per circuminsessionem intelligitur divinarum personarum *mutua inexistentia* seu *immanentia*, quæ in sacra Scriptura explicite affirmatur (4) et per magisterium ecclesiasticum, uti fide divina credenda, omnibus fidelibus proponitur : « Hæ tres personæ sunt unus Deus, et non tres dii : quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una æternitas, omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu sancto ; Filius totus in Patre, totus in Spiritu

(1) Narrationem *Lc.* supponere sessionem quandam non narratam apparet tum ex eo quod illusiones illæ Jesu quas refert non bene videntur intelligi nisi in jam prævie condemnatum, tum ex v. 71 « *Quid adhuc desideramus testimonium?* » ubi manifeste alludit ad auditionem testium in sessione omissa non relatam. — Cfr notanda sub (3).

(2) Etiam alii Evangelistæ non omnia narrare voluere.

(3) Adverte in hac nova sessione neque jam audiri testes, neque jam Caipham, sed Synhedristas omnes esse qui Jesum interrogant, neque ullam fieri mentionem sententiæ mortis in Jesum prolatæ. Vere conscium se præbet *Lc.* non jam agi consessum judicialem ubi causa Jesu inquiratur et juridice decernatur, et sic plane convenit cum *Mt.* et *Mc.*; rec. dicta p. 371 nota 2.

(4) Cfr *Jo.*, I, 2, 18; X, 38; XIV, 10; *I Cor.*, II,11.

sancto; Spiritus sanctus totus in Patre, totus in Filio » (1).

Hisce verbis indicatur simul ratio fundamentalis circuminsessionis, quam s. Thomas, hac veritate nondum definita, jam indigitaverat : « secundum *essentiam* enim Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia, et communicat suam essentiam Filio, non per aliquam transmutationem. Unde sequitur quod, cum essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater. Et similiter cum Filius sit sua essentia, sequitur quod sit in Patre, in quo est ejus essentia..... Et eadem ratio est de Spiritu sancto » (2).

Duas alias rationes addit s. Thomas : unam, secundum origines seu processiones ; alteram, secundum relationes (3).

Secundum *processiones*, quoniam divinæ personæ procedunt secundum actus intellectus et voluntatis, itaque per modum processionum ad intra, processionum immanentium ; secundum *relationes*, quoniam unum relativum, Pater v. g., nequit intelligi quin simul intelligatur alterum correlativum, Filius ; sunt enim ad invicem (4).

In relativis creatis correlativa, pater et filius, tantummodo secundum intellectum coexistunt seu simul intelliguntur ; in divinis autem adhuc realiter coexistunt, quia processiones sunt ad intra, immanentes, et hoc

---

(1) *Conc. flor.*, œcum. XVII (a. 1438-1445), *Decr. pro jacobitis (Enchir.*, n. 703 s.).

(2) *Sum. theol.*, I, q. 42, a. 5, c. — Non admittenda est sententia, quam defendit SUAREZ, *De ss. Trinitatis Mysterio*, lib. IV, c. 12, n. 11 s. (ed. Vivès, I, p. 651, Parisiis, 1856), juxta quam propria ratio circuminsessionis requirenda est in præsentia intima divinarum personarum inter se, fundata in earumdem personarum immensitate, uti ostendit PETAVIUS, *De theol. dogm.*, t. II. *De Trinitate*, lib. IV, c. 16, n. 3 s., p. 264, Antwerpiæ, 1700; cfr et FRANZELIN, *Tract. de Deo trino*, th. XIV, p. 225 s., Romæ, 1869 ac VANDER MEERSCH, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 810, p. 591.

(3) Alio in loco s. THOMAS, *Comm. in lib. Sent.*, I, dist. 19, q. 3, a. 2, utramque hanc rationem uti unam eamdemque considerat et reapse processiones et relationes in divinis sunt idem; cfr VANDER MEERSCH, *o. c.*, n. 747 s., p. 553 s.

(4) Cfr *Conc. tolet.* XI (a. 675), in *Symb. fidei* apud *Enchir.*, n. 281.

quidem per communicationem unius numero naturæ. Ita porro pervenimus ad pleniorem conceptum circuminsessionis, quæ sic melius dicitur *circumincessio*, id est *immeatio mutua*, quam græci *perichoresim* appellabant (1).

2/ Circuminsessio rite intellecta non tollit distinctionem personarum in Deo.

Circuminsessio dicit unitatem essentiæ seu naturæ; personæ divinæ vero constituuntur relatione incommunicabili; unde manet subsistens paternitas (Pater), *formaliter* et *præcisive* ab essentia considerata, opposita ad subsistentem filiationem (Filium) eadem ratione sumptam, itaque realiter ab eadem distincta, quamquam subsistens paternitas et filiatio (Pater et Filius), prout sunt *reales* idem sunt cum eadem una essentia divina, adeoque in invicem.

Paternitas, prout realis est, est in filiatione prout hæc pariter realis est; sed paternitas sumpta formaliter et præcisive non est in filiatione eadem ratione spectata, et sic manet distinctio personarum (2). H. Lamiroy.

III-IV.

De Contractibus in genere XII.

Q. *Quid in specie attendendum est, casu quo vir solvendo impar evadit, circa jura et obligationes conscientiæ tum uxoris ejus, tum etiam liberorum ejus et parentum ipsius.*

R. A/ *Quoad uxorem.*

In præsenti quidem quæstione, simul cum jure naturæ

---

(1) Lege ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, n. 142 apud *Collat. Brugen.*, IV, p. 14 s. necnon *De ss. Trinitate contempl.*, *ibid.*, XX, p. 85 s. et cfr Franzelin, *o. c.*, thes. XIV, p. 221 s. — Quæstionem sub respectu etymologiæ bene exponit A. Deneffe, *Perichoresis, circumincessio, circuminsessio. Eine etymologische Untersuchung*, apud *Zeitschr. für Kath. Theol.*, XLVII, p. 497 s., Innsbruck, 1923. Hæc vocabula non adhibet s. Thomas; s. Bonaventura loquitur de circumincessione, quam definit: « perfectam unitatem essentiæ cum distinctione personarum » (*Comm. in lib. Sent.*, I, dist. 19, p. 1, a. 1, q. 4).

(2) Cfr Vander Meersch, *o. c.*, n. 808, p. 590.

quo injustitia quævis semper prohibetur, præcipue considerandum venit *regimen communitatis bonorum*; quia sub hoc regimine lex civilis ex una parte amplissimam facultatem merito exclusive tradit circa bona communia, ita ut ea valeat etiam absque consensu uxoris debitis ingravare; ex alia vero parte disponit ut bona propria uxoris pro debitis communibus non respondeant.

Jamvero varia possunt esse bona communia, prout legalis aut conventionalis communitas inita fuerit (1); sæpe tamen legalis initur, in qua communes fiunt omnes res mobiles et pecuniæ ante matrimonium ab utraque parte possessæ necnon durante matrimonio acquirendæ (2), insuper omnes reditus cujusvis generis et immobilia durante matrimonio lucranda.

Communia autem debita, ad normam art. 1409 Cod. civ., complectuntur notatim omnia quæcumque debita viri durante matrimonio contracta, imo omnia debita ejus mobilia anteriora, nisi tamen pro his ultimis oppositum stipulatum fuerit in contractu matrimoniali (3).

Quæ cum ita sint, cumque simul in administratione communitatis nullum jus uxori ex lege competat, sponte apparet periculosam facile fieri ejus conditionem.

1/ *Ante foricessionem* ergo viri aut apprehensionem sive cessionem bonorum communitatis, potest ex lege uxor, si maritus sit dissipator vel etiam absque culpa in labili rerum statu constituatur ita ut pars quæ ipsa attulit adducatur in periculum, a tribunali separationem bonorum petere (art. 1443); qua a judice pronuntiata, dissolvitur communitas jam a die petitionis. Tunc vero optandum habet uxor utrum acceptare velit aut repudiare communitatem hanc jam dissolutam. Si acceptet, dimidium recipit bonorum communium, sed de dimidia parte

---

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XIX, p. 37 s.

(2) Nisi alteruter durante matrimonio res mobiles donatione aut successione acquirat ea stipulatione ut communes non evadant.

(3) Debita quæ maritus *durante matrimonio* contrahit nequeunt extra communitatem collocari.

debitorum communium etiam tenetur; non tamen ultra vires acceptæ portionis, modo debitum confecerit inventarium (art. 1483). Si vero, ut pronum est, repudiet tunc communitatem, debitis servatis formalitatibus (art. 1457): omnia amittit quæ in communitatem attulerat quæve durante matrimonio a communitate lucrata fuerant, præter vestes tantum suas et linteamina (art. 1492), nisi tamen in contractu matrimoniali sibi facultatem reservaverit quædam insuper resumendi horum quæ attulerat (art. 1514); verum, de debitis communibus etiam non tenetur, sed tantum de personalibus quæ ipsi secundum legem incumbunt.

Resumit vero omni casu bona sua propria seu non communia; et insuper in casu repudiationis, qua creditor (1) repetere potest illa quæ communitas ipsi forsan debet, v. g. pretium rei propriæ quæ vendita fuerat ad debita communitatis solvenda (2).

In conscientia autem justa est lex illa qua medium propriæ defensionis confertur uxori, quippe quæ sub regimine communitatis omni jure administrationis caret simulque periculo exponitur; adeoque licet ipsi legali privilegio uti separationis bonorum (3): potest tamen quandoque ex jure naturæ ad aliquam reparationem sive compensationem teneri erga creditores, ratione cujusdam formalis injustitiæ cujus fuerit causa vel complex, vel etiam ne complex fiat.

Nimirum si quædam bona falso qua privata uxoris bona adscribantur cum damno creditorum, cum scilicet

---

(1) Ad hoc imo legali gaudet hypotheca.

(2) Vicissim tunc tenetur et ipsa ex propriis bonis, illa communitati refundere quæ ipsi forsan debet: ut si ex communi pecunia debitum aliquod privatum uxoris solutum fuisset.

(3) Non tenetur ergo *ex justitia* uxor, ad salvandum ex ruina virum, propria sua bona vendere sive hypotheca gravare; imo si quædam bona vere propria haberet quæ tamen demonstrare non posset, ita ut a creditoribus viri apprehendantur, liceret ipsi, salva justitia, occulta compensatione contra creditores uti.

jam impar solvendo erat maritus vel eo ipso impar fiebat (1), injustitia per se committitur erga creditores; unde ea bona restituere debet uxor quamprimum potest: sive in hac re mala fide egerit aut forsan marito consilium injustum dederit, sive etiam bona fide primum fuerit; nam in hoc ultimo casu ipsi restituendum est saltem postquam commissam injustitiam intellexerit, bona fide sublata; secus enim jam formaliter particeps fit injuriæ, ditescendo cum damno creditorum. Quodsi per accidens hac arte maritus uxorem revera non ditet, sed necessarium solummodo adhibeat medium modeste servandi statum familiæ juste acquisitum, tunc quidem injustitia non adest: nam in hoc casu necessitatis non urget lex naturæ ad creditores statim plene solvendos, etiam ex bonis jam jure ad rem ipsis obligatis. Sed tamen postea, cum ulterior solutio commode fieri potuerit, fieri debebit (cf. art. 1437).

Idem dicendum si maritus jam solvendo impar, communi pecunia quædam emerit nomine uxoris, quasi ex propriis ipsius bonis.

Præterea, personaliter tenetur profecto uxor quæ, impotentiæ viri conscia, adhuc pro communitate *superflua* emat quæ optime sciebat jam debite solvi non posse; necnon si *fraude* utens, e bonis propriis securitatem promittat creditoribus, simul uti volens lege ad promissionem suam eludendam (2).

---

(1) Aliud omnino dicendum est, ut patet, si tale quid fiat dum status rerum florens existit; aliunde enim tunc maritus sufficientia habet ut debita omnia solvat; necdum imminens aut probabilis apparet ruina, sed ipse solummodo, prudenter fortunæ inconstantiam reformidans, quædam bona pro uxore (aut filiis) emit; quod per se ab omni tunc injustitia caret.

(2) Cf. præcedenti responso casum hujusmodi propositum. Si vero *bona fide* promiserit uxor, volens nempe ex propriis supplere bonis, sed postea consilium mutet quia v. g. tunc primum intelligit promissionem suam ex lege civili esse nullam, utpote (ut suppono) factam absque consensu mariti: tunc in rigore juris non jam tenetur adimplere promissum, neque ex fraude siquidem deest, neque ex contractu quippe qui ex justa lege annulabilis est.

Insuper, casu quo vir jam solvendo impar communi pecunia præmium solverit assecurationis cujusdam post mortem suam uxori solvendæ, eadem est responsio, quod attinet ad præmium ab uxore creditoribus refundendum, ac in primo casu supra proposito.

Tandem si uxor, acceptata post dissolutionem communitate, nec confecto inventario, ultra acceptam portionem ex lege teneatur de dimidia parte debitorum, utrinque probabiliter controvertitur an hæc legalis dispositio conscientiam urgeat in casu: prout olim de heredibus dicebamus qui hereditatem debitis obæratam simpliciter adierint. Itaque creditores hinc ex propriis uxoris bonis solutionem sibi exigere possunt; illaque nihilominus bona sua celare potest sententiamque judicis pro posse eludere.

2/ *Amissa jam a marito administratione bonorum* per foricessionem etc., resumit uxor, quæ separationem bonorum non fecerat, bona sua propria tum immobilia tum mobilia quorum proprietas authentice fuerit demonstrata (art. 553, 554 et 560 Cod. com., attento tamen art. 557). De bonis vero communibus solummodo vestes suas et linteamina accipere potest. Insuper legali gaudet hypotheca (1) ad exercendas actiones quæ ipsi qua creditori competere possunt (a. 559 Cod. com.).

Præter ista, nihil jam ex bonis quæ in matrimonium attulerat sed communia effecta sunt, in conscientia resumere potest, salva justitia (2), adeoque nec eadem jam celare potest dum maritus administratione bonorum privatur; nisi tamen per accidens, secundum superius dicta, quadam modesta parte bonorum omnino indigeret

---

(1) Utique restricta in casu foricessionis.

(2) Tamen « si maritus uxorem injuste decepit (circa propria debita sua ante matrimonium contracta) atque bona quæ uxor ante matrimonium possidebat, apprehenduntur pro debitis quæ maritus ante matrimonium contraxit, eoque igitur tempore quo illa bona creditoribus nondum obligare poterat, videtur lex civilis superius exposita *falsa præsumptione facti* niti (præsumptione scilicet ratihabitionis illorum debitorum ab uxore), ita ut uxor quæ occulta compensatione sibi provideret, qua injustitiæ rea condemnari non posset ». MARRES, *De Justitia*, II, n 334.

familia, nec eam per judices aut creditores obtinere posset.

3/ *Finita jam fori sive bonorum cessione*, et perdurante utique communitate: si quædam insoluta debita relicta sint, de illis porro tenetur communitas ex stricta justitia, nisi per accidens explicita vel æquivalens remissio obtenta fuerit. Idemque, pro rata parte hereditatis acceptæ, de uxore sola dicendum post mariti mortem, si ipsa qua *heres* bona quædam a viro acceperit. Insuper teneri potest, ut patet, ratione spontaneæ promissionis creditoribus factæ: modo tamen hæc ex omni parte valida fuerit.

4/ Tandem, missa jam obligatione justitiæ, ex *pietate* teneri poterit uxor sive ad præcavendam viri sui ruinam, sive postea ad solvenda ejus et communitatis debita ex propriis etiam bonis. Confer statim infra de filiis.

B/ *Quoad filios.*

Liberi debitoris obærati obligari possunt erga creditores ex justitia; erga patrem vero ex virtute pietatis.

1/ *Ex justitia* scilicet teneri possunt erga creditores, analogice ad dicta superius de uxore: si nempe formalis injuriæ complices fuerint vel ne complices fiant.

a/ Jam antequam pater foro cedat aut in statu decoctionis constituatur, si jam solvendo impar aut eo ipso impar evadens, bona quædam nomine filiorum ex propriis aut communitatis pecuniis emerit ut ea hoc modo creditoribus subduceret, injuste egit nisi in solo casu modestæ copiæ filiis assecurandæ qua stricte indiguerint ne a statu suo juste acquisito deciderent. Injustitia autem patrata, nec per actionem Paulianam creditorum postea reparata, constituuntur filii domini bonorum aliis debitorum. Quapropter, si bona fide rem primum acceperint, nihilominus ex justitia tenebuntur, ne jam injustitiæ patris participes fiant, ad pretium emptionis creditoribus refundendum quamprimum fraudem cognoverint et bonorum suorum administrationem adepti sint: locupletiores enim evaserunt cum damno creditorum (1). Si vero

(1) Iterum notemus hanc solutionem minime applicari casui quo pater in florenti statu rerum ita egerit, etiamsi postea impar solvendo

mala fide bona ista acceperint aut forsan ad hanc injustitiam patrandam consilium dederint patri, statim formalis injustitiæ rei facti sunt ; adeoque obligatione restituendi strictius adhuc tenentur.

Pariter titulo injustæ acceptionis in solidum tenentur filii, si scienter parentes adjuvarint in celandis bonis ad sustentationem familiæ non omnino necessariis, dum jam pater administratione bonorum orbatus erat; aut etiam dum antea in labili statu jam erat constitutus: modo tunc impotentiæ ejus conscii, mensuram excesserint ex justitia permissam, ne scilicet a statu suo juste acquisito familia decideret.

b/ Postea autem, finita fori aut bonorum cessione, adhuc de reliquo debito stricte tenentur filii ratione rei acceptæ qua *heredes*, si nempe aliquid ex hereditate patris acquisiverint: modo tamen antiquum debitum in conscientia non fuerit exstinctum. Proinde si nihil acceperint aut hereditatem repudiaverint, ad nihil ex justitia tenentur; secus vero, si pater post ruinam ad meliorem fortunam perveniens debita adhuc solvenda non ipse solverit, filii pro rata parte hereditatis paternæ obligabuntur. Et quidem, si tunc sub beneficio tantum inventarii hereditatem acceptaverint, non ultra acceptam tenebuntur summam; si vero simpliciter, pro debitis adhuc legaliter exactioni obnoxiis obligabuntur secundum Codicem etiam ex propriis bonis; in conscientia vero secus, saltem probabiliter.

2/ *Ex pietate* denique erga patrem obæratum tenentur filii, sive vivat adhuc parens sive secus, ad tuendum pro posse ipsius honorem, et proinde ad creditoribus ejus solvendum ex propriis etiam bonis (1) : modo ex una parte infamia patris inde præcaveri valeat vel saltem auferri (quod quandoque vix erit possibile v. g. in casu

---

factus sit. Sed tunc tamen obtemperandum foret judici post sententiam annulationis, si forte pronuntietur nec nitatur in falsa præsumptione facti.

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, t. VIII, p. 454.

banqueroute frauduleuse); et ex alia parte modo filii hoc peragere possint absque nimio incommodo proprio. Unde raro de gravitate constabit hujus obligationis, quamvis utique eximium pietatis opus per se præstent filii integra debita parentum solvendo. Adde tandem ratione promissionis validæ a filiis sponte creditoribus factæ, induci posse obligationem fidelitatis aut imo justitiæ solvendi loco parentis.

c/ *Quoad parentes.*

1/ *Ex justitia stricta*, ut optime Marres exponit : « parentes qui solvendo idonei sunt, obligantur ad ea liberorum debita solvenda quæ liberi, sive majores sive minores, intra limites *mandati* aut expresse aut tacite eis dati, eorum nomine contraxerunt : ex. g. æs alienum, quod filius litteras aut artem addiscendi causa cum parentum consensu extra domum paternam degens, secundum conditionem suam vivendo contraxit, quia facultatem illam ei concedendo, etiam tacite necessarias ad hunc finem expensas in se susceperunt, nisi de contrario constet.

Nullam vero justitiæ obligationem habent solvendi : 1° illa debita, quæ eorum liberi sive majores sive minores suorum ipsorum nomine contraxerunt, quia contractus tum ex jure naturali tum ex jure positivo solummodo contrahentes ipsos ligant ; aut 2° quæ liberi ultra limites mandati quod ipsis datum fuit contraxerunt, quia tum etiam suo tantum nomine contraxerunt : ex. g. debita quæ liberi intemperanter aut luxuriose vivendo contraxerunt, parentes nullatenus solvere debent ; imo plerumque præstat ut saltem per sat diuturnum tempus ab hujusmodi debitis solvendis abstineant, ut justa et severa hac agendi ratione tum ipse prodigus corrigatur, tum ceteri liberi ab hujusmodi vitiis deterreantur, neque alieni ad protervæ juventutis libidini favendum alliciantur » (1).

(1) *O. c.*, n. 349, ubi sapienter additur in fine : « caveat igitur confessarius ne imprudenter indulgeat ut materfamilias clam, patre rationabiliter invito, ex bonis communibus liberorum æs alienum intemperantia contractum solvat ».

2/ Insuper ex justitia stricta prohibentur parentes filii obærati ne re aut consilio ipsum adjuvent in illis faciendis, celandis etc. quæ pro filio veram constituunt injustitiam; prout jam de uxore et liberis supra monuimus.

3/ In specie, eadem justitia stricta per se prohibet ne parentes tunc bona sua immobilia vendant, pretiumque donatione manuali tum isti filio tum aliis partiantur, eo nempe fine ut post mortem eorum filius obæratus illa saltem bona creditoribus subducere valeat. Per se dico modum injustum: quia si per accidens agatur tantum de parca necessariaque sustentatione filii juxta statum suum, remanente apud ipsum voluntate solvendi quamprimum potuerit, tunc nulla apparet injustitia, cum filius hoc modo tueri se possit et parentes ipsum in hoc adjuvare. Sed per se injusta est hæc ars filii, qui hac ratione creditoribus ea subducere intendit ex quibus stricto jure illis satisfieri debebit, nempe futura sua bona; proindeque et parentum cooperatio in hunc finem per se injusta est.

4/ Secus vero dicendum, si parentes hereditatem filii obærati ipsi subducant, donoque manuali hanc partem tradant liberis ejus, ne utique a creditoribus postea apprehendatur. Hic enim minime parentes filium obæratum adjuvant injustitiam molientem, ut in casu præcedenti; sed cum sint domini fortunæ suæ, proprio motu nepotibus suis ea tradunt quæ absque injustitia extraneis etiam dare possent (1). Lex autem hoc casu creditoribus permittit (art. 921 Cod. civ.) ut post mortem parentum partem legitimam filii debitoris sibi reclament; insuper parentibus ipsis hanc agendi rationem prohibet. Quapropter ista parentum ars, si non sit injusta, saltem

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, t. VIII, p. 130 s. Cum tamen jus strictum habeant postea creditores reclamandi portionem legitimam debitoris sui, injuste agerent parentes qui eos positive impedirent quominus jus suum exerceant. An vero medium ficti contractus cum nepotibus dicendum sit injustum in casu, probabiliter quidem affirmatur, certum tamen dici nequit. Cf. *Collat. Brugen.*, t. XXIII, p. 192.

contra obedientiam erit per se leviter culpabilis, necnon contra æquitatem naturalem, cui utique per se contradicit creditores penitus privari bonis quorum intuitu onera susceperunt in favorem debitoris. Omnis tamen deficiet culpa, si agatur solummodo de parca sustentatione familiæ quæ non aliter assecurari valeat.

5/ Ulterius *ex jure positivo* (art. 1384) parentes, post judicis sententiam, ad solvendum tenentur pro filiis minoribus apud ipsos degentibus, qui damnum tertio intulerint: quæ dispositio in conscientia valet saltem ex obedientia justæ legi debita.

6/ Tandem quousque ex *pietate* teneri possint erga filium debitis obæratum, aut etiam ratione propriæ promissionis creditoribus factæ, sufficienter ex superius dictis constat.

E. Hosten.

V.

De conscientia vincibiliter erronea.

Q. *Quale et quantum peccatum committit qui agit juxta conscientiam actu vincibiliter ac culpabiliter erroneam ?* (1)

R. Qui versatur in tali statu conscientiæ serio suspicatur se errare seque, agendo juxta eam, versari in periculo violandi aliquam legem adeoque sese obligari ad hanc legem sufficienter inquirendam, at simul voluntarie negligit adhibere media inquirendi quæ sibi præsto novit : unde ex hac negligentia temerarie sese exponit periculo

(1) Supra diximus de agente *contra* hanc conscientiam, p. 241 sq. Quæstio præsens illos tantum casus respicit in quibus aliquis 1/ facit aut respective omittit id quod erronee judicat licitum dum id suspicatur prohibitum aut respective præceptum (sub levi vel sub gravi) uti revera est ; aut 2/ facit vel respective omittit id quod erronee æstimat præceptum vel respective prohibitum (sub levi aut sub gravi) dum apprehendit id esse prohibitum aut respective præceptum (eadem vel opposita gravitate) uti est a parte rei. V. s. p. 130.

violandi hanc legem. Quale et quantum peccatum committit ille ?

A. *Qualitas peccati.*

Ratione negligentiæ et ignorantiæ suæ, peccat contra virtutem ad quam spectat præceptum quod voluntarie negligit inquirere et cujus violatio ipsi ut indirecte voluntaria imputari debet. Ita qui errore vincibili æstimat se licite manducare carnes, v. g. in vigilia Nativitatis, suspicans tamen id sibi per præceptum Ecclesiæ prohiberi, peccat contra legem abstinentiæ si voluntarie negligit inquirere circa materiam et statuit manducare carnes (1).

Nota. — Distinguenda est ignorantia quæ est *causa peccati*, de qua hucusque, ab illa ignorantia quæ est *objectum peccati* (2). Sunt enim quædam quorum cognitio etiam ratione sui imponitur. Ita præcepto positivo divino exigitur in viro christiano fides explicita, adeoque cognitio, eorum quæ in symbolo apostolorum reperiuntur, item, probabilius, decalogi, probabiliter eorum quæ in oratione dominica continentur, certò sacramentorum baptismi, pœnitentiæ, eucharistiæ (3). Unde ignorantia voluntaria istorum est peccatum speciale contra virtutem

---

(1) Non ergo duo peccata distincta committit, unum ignorantiæ, alterum contra abstinentiam, sed hoc ultimum tantum : « ratio est quia unum tantum violatur præceptum ; ex eodem enim præcepto quo teneor v. g. jejunare, teneor et inquirere. Unde si negligens inquirere non jejunem, sufficit confiteri : violavi jejunium ». *Theologia moralis generalis..... Mechliniensis*, p. 39.

(2) Cfr A. Vermeersch, S. J., *Theologiæ moralis principia*, t. I, p. 73 ; Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, ed. 3a, p. 522 ; *Theologia moralis generalis..... Mechliniensis*, p. 39 sq. Lege S. Th., I-II, q. 76 a. 6.

(3) Ex præcepto positivo divino fidei credi debent, præter ea quæ sunt necessaria necessitate medii, ea omnia quæ requiruntur ad recte sentiendum (symbolum), christiane vivendum (decalogus), atque rite utendum auxiliis ad salutem concessis (sacramenta baptismi, pœnitentiæ, eucharistiæ). Ex præcepto vero Ecclesiæ quædam alia insuper sciri debent, et quidem sub levi, v. g. *formulæ* symboli, decalogi, orationis dominicæ, salutationis angelicæ,

fidei, quod peccatum, ex genere suo grave, admittit parvitatem materiæ, et insuper sæpissime, ex inadvertentia, leve aut nullum erit in subjecto (1).

B. *Quantitas peccati.*

Hoc peccatum, de quo sub A diximus, grave erit quotiescumque agens 1. plene et perfecte, quamvis in confuso tantum, adverterit periculum transgressionis gravis præcepti adeoque et obligationem gravem inquirendi, 2. eamque obligationem plene neglexerit, nullam scilicet aut plane insufficientem industriam adhibendo, ita ut ignorantia ejus dicenda sit crassa seu supina (2).

Istud scilicet peccatum violati præcepti suspicati est imputabile tantum tamquam voluntarium in causa. Unde gravitas istius peccati mensuratur juxta culpabilitatem causæ, scilicet negligentiæ voluntariæ. « Gravitas autem negligentiæ pendet præprimis a momento rei apprehenso, sed etiam pendet ab agnitione plus vel minus distincta erroris, a majore vel minore difficultate detegendi veritatem (3) ».

---

(1) Adverte autem hoc præceptum fidei obligare quosdam ad ampliorem et distinctiorem cognitionem quæ ipsis necessaria est ratione muneris, conditionis et status, puta parochos, concionatores, episcopos, judices. Lege Bouquillon, *De virtutibus theologicis*, p. 148 ss.; cfr Illmus ac Revmus Waffelaert, *Annotationes*, p. 67 sq.

(2) Nota igitur etiam in agente cum conscientia vincibiliter erronea ad committendum peccatum grave requiri advertentiam plenam ac perfectam, quamvis sufficiat confusa, similiter et plenum consensum. Ubi ergo ob præcipitantiam vel distractionem requisita advertentia deest, gravis culpa in re objective gravi deerit. Vide *Collat. Brugen.*, t. XXIII, p. 454.

(3) Cfr *Theologisch-praktische Quartalschrift*, t. 62, 1909, p. 252 ss. Cfr *Codex juris canonici*, can. 2202 § 1 : « Violatio legis ignoratæ nullatenus imputatur si ignorantia fuerit inculpabilis; secus imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiæ ipsius culpabilitate ». Can. 2203 § 1 : « Si quis legem violaverit ex omissione debitæ diligentiæ, imputabilitas minuitur pro modo a prudenti judice ex adjunctis determinando; quod si rem præviderit, et nihilominus cautiones ad eam evitandam omiserit, quas diligens quivis adhibuisset, culpa est proxima dolo ». — *Quoties* peccet qui manet in habituali ignoratione rerum quas scire debet vide apud A. Vermeersch, *o. c.*, p. 72 sq.

Quoad pœnas ecclesiasticas forsan peccato adnexas, hæc habet codex juris canonici, can. 2229 § 2 : « Si lex habeat verba : *præsumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit,* aliave similia quæ plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quælibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a pœnis latæ sententiæ » ; et § 3 : « Si lex verba illa non habeat, ignorantia legis aut etiam solius pœnæ, si fuerit crassa vel supina, a nulla pœna latæ sententiæ eximit ; si non fuerit crassa vel supina, excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis latæ sententiæ pœnis ».

Adnotatio. — In præcedentibus rem objective consideravimus. In praxi autem in singulis casibus examinandum est utrum agens, qui voluntarie neglexit inquirere circa legem quam suspicabatur, vere egerit practice dubius de peccato aut de gravitate peccati, an vero contrà sibi efformaverit uno aliove modo conscientiam practice certam de liceitate aut saltem de levitate actionis vel omissionis (1). Sæpe utrum peccatum mortale adfuerit necne confessarius debebit præsumere ex habituali dispositione pœnitentis. « Si quis, v. g., ita esset animo dispositus ut si veniret illi in mentem id quod agit esse mortale, nequaquam illud vellet committere, excusaretur a mortali ; quia ex illa dispositione habituali præsumitur quod illud quod agit non apprehendat ut mortale (2) ».

A. Legrand.

VI.

De modo colendi Titularem et Patronum.

Q. *Quonam modo recoluntur tum Patronus loci tum Titularis ecclesiæ ?*

R. — I. Titulari ecclesiæ debet dedicari altare majus.

(1) V. s. p. 131.

(2) Billuart, *De actibus humanis*, dissertatio V, *de conscientia*, art. 3. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XV, p. 378 sq.

Quod in formulis Pontificalis et Ritualis implicite indicatur (1) in novo Codice diserte præscribitur : « Titulus primarius altaris majoris idem debet esse ac titulus ecclesiæ » (can. 1201, § 2). Ex quo textu apparet altare majus non posse dedicari uni titulo diverso a titulo ipsius ecclesiæ, sed alium titularem secundarie posse adjungi, ut si in ecclesia dicata S. Bavoni dedicetur altare majus in honorem S. Bavonis et S. Brunonis.

Non erigatur ergo secundum altare in honorem ejusdem Titularis. Sed laudabiliter promovetur cultus Titularis aliis mediis, v. g. inseratur in ædificio petra memorialis dedicationis et Titularis (2) ; reliquiis duorum saltem martyrum in altari sepeliendis addi possunt etiam reliquiæ Sancti qui est Titularis ; in ecclesia exponatur Sancti Titularis (necnon Patroni loci) pulchra imago aut statua quæ, notatim in festo ejus, lumine et floribus ornari potest (3) ; in muris aut fenestris depingi possunt quæ ad vitam et cultum Titularis pertinent (4), etc.

II. Titularis ecclesiæ invocatio in orationis *A cunctis*.

Diebus ritus inferioris præscribunt rubricæ ut post orationem vel orationes diei proprias, *a*) in officio addatur « suffragium de omnibus Sanctis » per orationem *A cunctis*, et *b*) in missa compleatur numerus trium orationum, addendo unam vel duas orationes communes, inter quas sæpe recurrit præfata oratio *A cunctis*.

---

(1) Ita notatim in invocatione speciali inserendæ in Litaniis : « *Ut ecclesiam et altare hoc ad honorem tuum et nomen Sancti N. consecranda benedicere* » (Pontific.) aut « *purgare et benedicere digneris* » (*Rit. Rom.*, t. VIII, n. 6).

(2) Ut sæpe videmus in antiquis ecclesiis, v.g. Brugis: DEO EXCELSO BRVNONIQVE SACRVM.

(3) De cetero non videntur multiplicandæ statuæ Sanctorum, maxime ex devotione privata alicujus donatoris, aut transitoria quadam solemnitate. Non debent templa nostra *repleri* statuis Sanctorum, et non sine speciali ratione addenda est v. g. quinta aliqua statua B. M. Virginis, quando jam adsunt quatuor diversæ.

(4) Quod etiam fieri potest in choro : sed tunc melius est ut quærantur, si fieri potest, tales repræsentationes quæ simul ordinantur ad sacrificium missæ, ad cultum Eucharistiæ, vel ad vitam Christi.

In hac oratione, quæ inscribitur « ad poscenda suffragia Sanctorum », nominatim invocantur B. Maria V., S. Joseph et SS. Petrus et Paulus, sed etiam nominandus est Titularis ecclesiæ propriæ, si titularis sit Sanctus et de eo non celebretur missa aut officium, nec fiat commemoratio in missa aut officio, nec mentio expressa in ipsa oratione *A cunctis*, juxta sequentem rubricam breviario et missali insertam:

In præfata oratione A cunctis, *sicut et in ejus Postcommunione, ad litteram N, exprimitur nomen Titularis propriæ ecclesiæ*, non autem Patroni loci, *dummodo* a/ *Titulus non sit Persona divina vel mysterium Domini, aut* b/ *de ipso Titulo non dicatur missa, aut factum non fuerit officium, aut facta non sit commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem oratione* A cunctis *expressum; ac nomina sanctorum Angelorum et sancti Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti Joseph* (v. g. ... Maria, cum beato Michaële Archangelo, beato Joseph...)

In hisce omnibus casibus, in quibus Titularis ecclesiæ vel omittendus vel ante ceteros nominandus est, *omittuntur verba* atque beato N.

Attente sunt notanda ultima verba. Olim enim, in locum Titularis ecclesiæ omittendi, nominandus erat Patronus loci, saltem si talis vigebat consuetudo. Nova autem rubrica expresse et universim præscribit omissionom nominis Titularis. *Nunquam ergo nominandus est Patronus loci.*

Nota insuper exprimendum esse nomen Titularis ecclesiæ *propriæ*, h. e.: *a*/ in missa aut officii recitatione publica, Titularis ecclesiæ in qua celebratur; *b*/ in privata autem recitatione officii, Titularis ecclesiæ cui officium recitans est adscriptus ad normam dictorum supra p. 300 ss. (1).

III. Celebratio festi Titularis et Patroni.

---

(1) Cf. C. Callewaert, *Cæremoniale in missa servandum*, n. 163, Brugis, 1922.

1. Sub ritu duplicis I classis cum octava communi debent quotannis celebrari festa :

a/ *principalis Patroni loci*, h. e. tum oppidi aut civitatis (v. g. Cortraci, S. Martini), tum diœcesis (v. g. Brugensis, S. Donatiani), tum provinciæ et nationis (S. Joseph per totum Belgium), in singulis ecclesiis et oratoriis in respectivo territorio sitis;

b/ *Titularis ecclesiæ cathedralis*, in omnibus ecclesiis et oratoriis per diœcesim.

Nota. In ecclesiis regularium qui sequuntur kalendarium non diœcesanum sed proprium, hæc festa celebrantur *sine octava*.

c/ *Titularis uniuscujusque ecclesiæ* aut oratorii consecrati aut saltem solemniter benedicti; can. 1168, § 2 (cf. p. 214).

Si plures sint Patroni vel Titulares *æque principales*, (ut in ecclesia cathedrali Brugensi, S. Salvator titulo resurrectionis et S. Donatianus), singulorum festum est eodem ritu celebrandum. Patronus vero *secundarius*, puta Carolus Bonus, recolitur sub ritu duplici majori.

2/ Olim *cum feriatione in populo* seu ut festum de præcepto celebranda erant festa principalium Patronorum loci (1). Hæc obligatio, pro toto territorio reipublicæ Gallicanæ, per decretum Card. Caprara 9 aprilis 1802, suppressa fuit, seu potius, saltem quoad Patronum loci stricte dicti, oppidi aut civitatis, translata fuit in Dominicam proxime insequentem, si festum infra hebdomadam occurrat. Pro tota Ecclesia obligationem suppressit recentius Pius X (2) et Codex J. C. (can. 1247, § 2): « Ecclesiastico præcepto dies festi Patronorum non subjacent; locorum vero Ordinarii possunt solemnitatem

(1) Si agatur de festo quod de jure communi non erat de præcepto, feriatio in populo, si olim servata fuerit (et hodiedum ex libera devotione aliquatenus servetur), solet probare festum agi non Titularis solum sed Patroni loci.

(2) Motu proprio *Supremi disciplinæ*, 2 jul. 1911, n. III, ap. *Collat. Brugen.*, XVI, 539.

exteriorem transferre in Dominicam proxime insequentem ».

Debet nihilominus solemnitas et ordo officiorum in festo Patroni loci servari sicut antea seu sicut diebus dominicis. Ita statuit Card. Caprara, ita injungunt statuta diœc. Brugensis (p. II, tit. IV, § 4), et circa hæc nihil mutavit Pius X aut novus Codex (1).

2. In festo Patroni loci stricte dicti (non Titularis) tenetur parochus missam *celebrare pro grege*.

3. Dicta *solemnitas externa* a Card. Caprara injuncta, et ab Ordinariis locorum semper servata, apud nos igitur obligatoria est (2). Et ideo quoties festum Patroni oppidi aut civitatis occurrit infra hebdomadam, Dominica proxime insequente celebranda est in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis (3) una missa solemnis aut saltem cantata de festo Patroni, cum sola commemoratione Dominicæ ejusque evangelium in fine. Et hæc ipsa commemoratio omitti debet, si missa de Dominica etiam in cantu celebretur. De cetero officia hujus diei dominicæ debent, ratione dictæ solemnitatis, cum aliquo apparatu externo peragi.

4 Rubricæ novæ Breviarii (ut IX, 4) diserte statuunt quid sit agendum, « si Patronus loci præcipuus aut Titulus ecclesiæ... *descriptus sit in kalendario cum aliis Sanctis* ».

a/ « Si eis est ex natura sua conjunctus, scilicet quando inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedit (4), non est a sociis separandus », et officium fit simul de Patrono et de sociis ejus. Ubi v. g. S. Mauritius aut S. Ursula est Titularis, officium et missa celebrantur ut in breviario et missali sed sub ritu duplici I classis.

---

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, XVI, 541; Decr. S. C. Conc. 8 aug. 1911, ad II (*Collat. Brugen.*, XVI, 601); Litteræ S. Cong. Conc. 3 maii 1912 (*Collat. Brugen.*, XVII, 412 ss.)

(2) *Collat. Brugen.*, XVI, 541 s.; t. XIV, 421 ss.

(3) Etiam celebrari *potest* in oratoriis semi-publicis in quibus missa in dominicis cantari solet (D. 4269,9).

(4) V. g. SS. Joannes et Paulus, Cosmas et Damianus, Gervasius et Protasius, Mauritius et Socii, Ursula et Sociæ.

b/ « Si vero illis [Sociis] conjunctus sit ex occasione tantum, quia scilicet eadem die obierint (1), tunc a sociis separatur et de eo [h. e. de solo Titulari vel Patrono] agitur festum sub ritu competenti », nempe dupl. I classis. In secundo nocturno leguntur tantum quæ hunc solum respiciunt, si separatio facile fieri potest, puta in festo SS. Cornelii et Cypriani, et numerus lectionum completur ex communi.

Quid faciendum tunc de officio Sociorum?

a/ « Si Socii sint cum eo [Titulari] descripti in kalendario sub ritu pariter Duplici I vel II classis, in proximam diem reponuntur [tanquam in sedem fixam], juxta rubricas, sub ritu quo kalendario inscribuntur ». Pro lectionibus II nocturni sumitur pars legendæ quæ hos Socios respicit si separatio non ægre fiat, et completur numerus lectionum ex communi; secus omnia leguntur ex communi convenienti, v. g. pro S. Cypriano ex communi non plurimorum martyrum sed unius martyris pontificis.

b/ « Si vero inscripti fuerint sub alio quovis ritu, de eis fit aut omittitur commemoratio, juxta rubricas, in officio ipso de Patrono... » h. e. si kalendario inscripti sint sub ritu duplici majori minorive aut semiduplici, de eis fit commemoratio ad Laudes et in missis non cantatis; si vero sub ritu simplici, omnis commemoratio omittitur. Quid faciendum si casus hic occurrit in festo Patroni secundariis, vide novas rubricas Breviarii t. IX, 5.

C. Callewaert.

(1) V. g. SS. Fabianus et Sebastianus, Vincentius et Anastasius, Cornelius et Cyprianus, etc.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis julii propositas.

—

I.

Conversio eunuchi Aethiopis, Act., VIII, 26-40.

Q. *Disputa quæstionem utrum factum narratum* Act. Apost., *VIII, 26-40, sit intelligendum de conversione alicujus circumcisi, an vero incircumcisi.*

R. Cœperat doctrina et ecclesia Christi *inter Judæos* spargi sicut etiam inter illos Gentiles qui circumcisione admissa populo judaico inserti fuerant (*Act. Ap.*, I-VIII, 3); inde transierat etiam *ad Samaritanos*, qui quasi intermedii erant Judæos inter et Gentiles (VIII, 5-25); tandem Ecclesia plene se separabit a nationalismo judaico et portas latas aperiet *Gentilibus:* Jesus ad se convertet Saulum quem sibi assumet in instrumentum electum ad conversionem Gentilium (IX, 1-30) et per Petrum, introducendo Cornelium gentilem, quasi signum officiale dabit gentiles Ecclesiæ aggregandi (IX, 31-XI, 18). — Mediis in his factis circa exordia Ecclesiæ ab *Act. Ap.* narratis, refertur, VIII, 26-40, conversio et baptismus adeoque admissio in Ecclesiam, a diacono Philippo peracta, alicujus sic dicti *eunuchi Aethiopis*. Porrò *disputant* utrum vir ille fuerit *circumcisus*, adeoque vel *Judæus* proprio sensu, genere et origine, adeoque vi nativitatis et circumcisionis octava die ad populum judaicum pertinens, vel *proselytus proprie dictus* (1) i. e. Gentilis seu ethnicus libera voluntate ad

(1) De hisce *proselytis* proprie dictis seu *justitiæ*, in oppositione ad sic dictos *proselytos portæ* (quo nomine vocati fuerunt gentiles in terra Palæstinæ habitantes) vide CAMERLYNCK-VANDER HEEREN, *Comm. in Act. Ap.*, p. 78.

Judaismum conversus et per circumcisionem populo Israël cooptatus indeque toti legi mosaicæ observandæ omnibusque judaicæ religionis præceptis amplectendis obstrictus, — an vero fuerit *incircumcisus*, adeoque unus ex iis gentilibus quos Scriptura vocat *timentes Deum*, tales nempe qui non fuerant quidem circumcisione in populum Israël cooptati, sed tamen monotheismum Judæorum profitebantur, cultui synagogæ addicti erant et modo plus minusve stricto præcepta elementaria circa cibos, purificationes et sabbatum observabant et sicut Judæi templum hierosolymitanum adire et sacræ Scripturæ libros legere solebant.

Quod fuerit *incircumcisus* concludunt alii *a*/ exinde quod, ut aperte dicit v. 27, *eunuchus* seu *castratus* erat; jamvero castrati exclusi erant a populo judaico et a circumcisione (*Deut.*, XXIII, 1); — *attamen* huic argumento responderi potest nomen eunuchi non demonstrare eum fuisse castratum; etenim græca vox εὐνοῦχος (ab εὐνή, cubile, lectus, et ἔχω, habere, custodire) proprie dicitur de eo qui cubile curat vel custodit, qui cubiculo præfectus est, *cubicularius*, quales erant qui in aulis regum orientalium domui mulierum seu gyneceo (harem) præfecti erant; quum autem istud munus a castratis administrari soleret, vox εὐνοῦχος dicta est utique de castratis (quo sensu occurrit *Mt.*, XIX, 12); sed quum eunuchi illi etiam aliis officiis præponi et regum consiliarii esse solerent, eadem vox designare etiam poterat *ministrum aulicum* (*chambellan*, *grand officier*), sive eviratum, sive *etiam non eviratum* (quo sensu occurrit *Gen.*, XXXVII, 36 (σπάδων), XXXIV, 1) (1); — *b*/ ex eo quod Lucas videtur hanc conversionem narrare tamquam factum aliquod excedens

(1) Neque, si vox eunuchus hîc sumitur pro *ministro aulico*, habetur inanis repetitio in voce statim subjecta: δυνάστης Κανδάκης, i. e. *magistratus reginæ*; vox enim *eunuchus* Aethiopem nobis notificat qua *virum momentosum*, vox autem δυνάστης Κανδάκης pressius ipsius momentum determinat; quo sensu diceres gallice: *un personnage important*, *un ministre de la reine*.

conversiones quæ hucusque locum habuerunt; sit ergo conversio hæc non alicujus Judæi, non alicujus proselyti stricte dicti, non alicujus Samaritani — omnes hujusmodi conversiones in præcedentibus capp. *Act.* jam fuerant relatæ — sed alicujus ethnici, incircumcisi, utique timentis Deum; — *attamen* etiam huic argumento responderi potest hanc conversionem etiam proselyti stricte dicti vel Judæi potuisse a Luca narrari tamquam factum ideo extraordinarium quia alicujus præpotentis et momentosi et qui a longe venerat viri; et certe si *Lc.* illud factum *ideo* voluisset referre *quia* conversionem alicujus gentilis, an satis habuisset Æthiopem designare voce ambigua et subobscura *eunuchi?* nonne clarius hanc indolem in lucem posuisset, puta in responso ad quæstionem Aethiopis, v. 36: « *Quid prohibet me baptizari* »? Nota quoque jam statim dicenda.

Quod fuerit *circumcisus* — Judæus natus vel ex gentili proselytus stricte dictus — videtur omnino præferendum. Argumentum autem præcipuum (1), ni fallimur, habetur in ipso ordine quo Lucas varia facta in *Act. Ap.* relata disponit; infra enim, capp. x-xi centurio *Cornelius* omnino videtur referri *tamquam primus gentilis incircumcisus* qui baptismum christianum susceperit: statim ab initio, ipse cum familia sua, explicite exhibetur lectori tamquam *timens Deum*, i. e. gentilis incircumcisus (x, 2); in visione Petro concessa sub figura quadam exhibetur qua res immunda, nec Petrus, sibi relictus, eum admisisset in Ecclesiam (x, 11-16; cfr v. 20); a primo occursu cum Cornelio Petrus suum modum agendi, accedere ad immundos gentiles, justificat ex visione accepta (x, 28 s.); in oratione sua in lucem ponit etiam gentiles vocari ad christianismum (x, 34 ss.); obstupescunt omnes Spiritum

(1) Non utimur argumento Aethiopem illum venisse adorare in Jerusalem, sive precibus, sive etiam sacrificiis quæ in templo offerri curaverit (v. 27), et studiose legere Isaiam prophetam (vv. 28 ss.); hæc enim etiam ab incircumcisis timentibus Deum fieri poterant, uti dicitur in textu supra.

sanctum effundi in gentiles (x, 44.), et ob hoc singulare signum voluntatis divinæ jubet Petrus eos baptizari (x, 47) et tandem, per longum et latum debet Petrus justificare sese baptismum contulisse incircumcisis (xi, 1-18). Hisce positis quærimus num possibile sit Lucam conversionem Aethiopis, cap. viii tam simplici modo a Philippo diacono peractam et tam simplici modo a Luca narratam, habuisse tamquam conversionem alicujus incircumcisi, imo ea præcise intentione hanc voluisse referre ut notaret progressionem Evangelii ad incircumcisos (1)?

A. Vander Heeren.

II.

De Deo principio creationis.

Q. *Demonstra et breviter explica hanc propositionem : Pater, Filius et Spiritus sanctus non sunt tria mundi principia sed unum principium.*

R. — 1/ Sicut in tractatu de Deo trino demonstratur Patrem et Filium esse unum principium Spiritus sancti per unam spirationem active sumptam (2), ita nunc in tractatu de Deo creante probandum est Deum, quem conficimus esse creatorem mundi, et quem revelatione novimus esse unum essentia, trinum personis, esse causam omnis creaturæ quatenus est unus essentia, et non quatenus est trinus personis; aliis verbis, actionem creativam ad ipsam essentiam divinam, non autem ad personas divinas formaliter pertinere.

---

(1) Unde argumentum nostrum non est in eo quod, ante conversionem Cornelii a Petro peractam, non potuissent alii incircumcisi in Ecclesiam admitti; — quare enim non potuisset Philippus diaconus, ex peculiari mandato ab Angelo Dei et a Spiritu sancto accepto, incircumcisum Ecclesiæ aggregare? — sed argumentum in eo est quod Lucas dum capp. x-xi enarrat conversionem Cornelii eam videtur tamquam primam conversionem alicujus incircumcisi narrare. — Nota dicenda in resp. ad quæstionem I mensis sequentis.

(2) Cfr supra apud *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 308 s.

A/ — Propositio jam constat *a*/ ex iis quæ in priori tractatu dogmatico longius stabiliuntur et ab Ecclesia definita fuere, scilicet in Deo « omnia esse unum ubi non obviat relationis oppositio » (1); sed in creatione, quæ est opus Dei ad extra, nulla, uti patet, obviat relationis oppositio; unde una est actio creativa tribus personis communis (2).

b/ Ex ipsa notione creationis ceteroquin, quæ in limine tractatus de Deo creante statuitur, idem apparet: creare est facere *esse* res; sed principium alicujus actionis illud est cui effectus assimilatur; principium itaque actionis creativæ est ipsum *esse*, quod est commune tribus personis. Ad rem s. Thomas: « Creare est proprie causare sive producere esse rerum. Cum autem omne agens agat sibi simile, principium actionis considerari potest ex actionis effectu..... Et ideo creare convenit Deo secundum suum esse, quod est ejus essentia, quæ est communis tribus personis. Unde creare non est proprium alicui personæ, sed commune toti Trinitati » (3).

B/ — Attamen ex ipsis fontibus revelationis directe arguere licet et quidem *a*/ ex Scriptura sacra, in qua, quod satis liquet ex multis testimoniis allatis ad probandam hanc veritatem: « Deus creavit mundum », Deus dicitur creare, nulla persona divina præ ceteris adsignificata (4).

Deinde litteræ sacræ tribuunt opus creationis Patri (5) aut etiam Filio (6); imo s. Paulus verba, quæ in psalmo designant unum Deum, in epistola ad Hebræos ad solam personam Filii applicat (7). Atqui hoc eo explicatur quod creatio personis divinis per singularem communemque

---

(1) *Conc. flor.*, œcum. XVII, *Decretum pro jacobitis* (*Enchir.*, n. 703).

(2) Cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 225, apud *Collat. Brugen.*, VI, p. 225 s. et lege *ibid.*, VIII, 97 s.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 45, a. 6, c. coll. q. 36, a. 4, ad 7.

(4) Varia testimonia indicavimus evolvendo argumentum scripturisticum creationis apud *Collat. Brugen.*, XX, p. 177 s.

(5) *Lc.*, x, 21; *Act. Apost.*, IV, 24.

(6) *Jo.*, I, 3; *Coloss.*, I, 16.

(7) *Hebr.*, I, 10-12 coll. *Ps.* CI (hebr. CII), 26-28.

efficientiam competit, siquidem quod est proprium unius personæ divinæ de alia prædicari nequit.

b/ Eadem veritas ex traditione invicte constat. Et enim Patres sæpius proclamant omnem Dei operationem ad extra esse tribus personis communem, indicata quandoque simul ratione, unitate nimirum naturæ divinæ (1); Deum unum et trinum creare pluries affirmant (2); imo sat explicite vel etiam expressis verbis veritatem nunc demonstrandam inculcant.

Ita s. Athanasius: « Videamus similiter et præterea hanc ab initio traditionem ac fidem catholicæ Ecclesiæ, quam scilicet Dominus tradidit, apostoli prædicavere ac patres servavere.... Trinitas sancta et perfecta.... tota creandi et efficiendi vi prædita est.... nam Pater per Verbum in Spiritu sancto omnia facit » (3).

Similiter s. Gregorius nyssenus : « Omnis operatio divinitus ad creaturam perveniens.... ex Patre oritur et per Filium progreditur et in Spiritu sancto perficitur » (4).

Tandem omnino luculenter s. Augustinus : « Cum dicimus et Patrem principium et Filium principium, non duo principia creaturæ dicimus, quia et Pater et Filius simul ad creaturam unum principium est, sicut unus creator, sicut unus Deus.... Ad creaturam Pater et Filius et Spiritus sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus » (5).

---

(1) Ita s. Athanasius, *Adv. arianos oratio* III, 6 (MPG, XXVI, 332); *Ad Serap. epist.* III, 7 (MPG, XXVI, 633); s. Basilius, *Epist. ad Eustat.*, 7 (MPG, XXXII, 693); s. Cyrillus hieros., *Catech.* XVI. 24, (MPG, XXXIII, 952); s. Joannes chrysost., *In Jo. hom.* LXXXVI, 4 (MPG, LIX, 472); s. Cyrillus alex., *Adv. Nest.*, V, 6 (MPG, LXXVI, 240); s. Leo M, *Sermo* LXIV, 2 (MPL, LIV, 358).

(2) S. Irenæus, *Adv. hær.*, IV, XX, 1 (MPG, VII, 1032); s. Augustinus, *De Gen. ad litt., opus imperf.*, I (MPL, XXXIV, 221) et *De Gen. ad litt.*, IX, XV, 26 (MPL, XXXIV, 403); s. Fulgentius, *De fide, ad Petrum*, III, 25 (MPL, LXV, 683).

(3) *Ad Serap. epist.* I, 28 (MPG, XXVI, 593).

(4) *Quod non sunt tres dii* (MPG, XLV, 145).

(5) *De Trinitate*, V, XIII, 14-XIV, 15 (MPL, XLII, 920 s.).

Hæc veritas itaque, utpote a Deo revelata credi debet fide divina; sed et fide catholica teneri debet, quippe quæ ab Ecclesia definita et quidem solemniter atque explicite in concilio florentino: « Pater et Filius et Spiritus sanctus non tria creaturæ principia sed unum principium » (1).

2/ Rite intellecta propositione demonstrata, ad explicationem hæc pauca sufficiant.

a/ In agente creato distinguere possumus *principium quod* actionis seu id quod actione sua aliquid producit; deinde *principium quo* seu formam secundum quam sive *remote* sive *proxime* agens agit. Ita v. g. quando homo intelligit, principium quod est ipse homo; principium quo remotum est natura humana; principium quo proximum est facultas intellectus.

Hæc applicando per analogiam dicimus: *principium quo proximum* creationis est *voluntas* divina, non notionalis sed essentialis (2), simul cum potentia, si hæc ab intellectu et voluntate distinguatur (3); *principium quo remotum* est ipsa divina *essentia*, tribus personis communis et *eadem essentia* est simul *principium quod* creationis. Etenim ejus est operari cujus est esse; sed natura divina est subsistens, imo est ipsum esse subsistens; unde natura divina vere operatur creationem et est principium quod creationis (4).

b/ In creatis omne subsistens est simul incommunicabile; unde in iis principium quod operationis est etiam individuum seu suppositum seu persona, si sit rationalis

---

(1) *Conc. flor.*, œcum. XVII, *Decr. pro jac.* (*Enchir.*, n. 704); cfr et *Conc. constantinop.* III, œcum. V (a. 553), can. 1 (*Enchir.*, n. 213); *Conc. later.* (a. 649), can. 1 (*Enchir.*, n. 254); *Conc. tolet.* XI (a. 675), *Symb. fidei* (*Enchir.*, n. 281); *Conc. later.* IV, œcum. XII (a. 1215), cap. 1 (*Enchir.*, n. 428).

(2) Cfr *Sum. theol*, I, q. 37, a. 1, c. coll. q. 32, a. 2 et a. 3, c.

(3) Cfr VANDER MEERSCH, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 620 s., p. 473 s.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, VIII, p. 93 s. atque MAZZELLA, *De Deo creante*, n. 85 s., p. 63 s., Romæ, 1880².

naturæ. In divinis vero essentia seu natura est communicabilis et de facto communis tribus personis.

Inde quoniam principium quod, (in creatis ipsa persona si agatur de agente rationalis naturæ), est activum formaliter in quantum subsistens et non in quantum incommunicabile, nihil prohibet quominus sic loquamur: natura divina est principium quod creationis; sed natura divina est communis Patri, Filio et Spiritui sancto; unde *Pater et Filius et Spiritus sanctus* sunt creantes *una essentia* seu natura, itaque sunt *unum principium quod* creationis, unus creator (1).

H. Lamiroy.

III.

De variis acceptionibus vocis : Religio.

Q. *Determina præcipuas acceptiones vocis :* Religio ; *ostendendo etiam quonam sensu vox illa usurpetur in tractatu de virtute Religionis.*

R. Cum jam ex tractatu de virtute Religionis quæstiones plures proponendas atque explicandas aggrediamur, opportunum duximus per modum proæmii quædam præmittere tum de genuino sensu vocis : Religio, juxta varias ejus acceptiones, tum de actibus religionis in genere.

a/ Itaque, omissa disputatione de etymologia vocabuli (2), perantiqua sane et generalis acceptio religionis in eo est ut relationes designet necnon officia hominis erga Deum. Profecto genericus ille sensus non ea tantum

---

(1) Attamen, quamquam creare non est proprium alicujus personæ, potest uni præ ceteris appropriari, uti exponit s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 45, a. 6, ad 2; cfr Vander Meersch, *o. c.*, n. 863, p. 625; Mazzella, *o. c.*, n. 90 s., p. 65 s.

(2) De hac etymologia conferri possunt : cicero, *De natura deorum*, l. 2; Lactantius, *Div. Inst.*, l. 4. c. 8 ; s. Augustinus, *De civitate Dei*, l. 10, c. 3; *De Vera Rel.*, n. 111 ; *Retract.*, l. 1, c. 13, n. 9 ; s. Hieronymus, *In Amos*, ix, 6 ; s. Isidorus, *Etym.*, l. 10 n. 234 ; s. Thomas, 2, 2, q. 81, a. 1 ; Suarez, *de Virtute et Statu religionis*, tract. 1, l. 1, c. 1.

complectitur quæ sub nomine cultus Dei presse sumpti intelligi consueverunt, verum ea insuper omnia sive theoretica sive practica quibus homines cum Deo colligantur, adeoque etiam intellectualem ipsius Dei cognitionem necnon omnium veritatum quæ ad Deum resque divinas quomodocumque spectant.

Unde religio, hoc sensu intellecta, vera erit aut falsa, prout doctrina præsertim quam de Deo rebusque sacris proponit veritati necne respondeat ; diceturque objective vera religio : complexus omnium veritatum, et inde legum etiam et institutorum necnon officiorum quibus homines reipsa ad Deum ordinantur ; subjective vero erit : adimpletio omnium erga Deum obligationum, secundum illud Jacobi I, 26-27 : « si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo ».

Porro, ab hac genuina notione religionis universim sumptæ plurimum aberrant modernistæ, protestantes liberales et increduli multi, qui nomen quidem religionis retinent, sed quibus hæc ipsa jam non est « complexus *veritatum*, quibus mens imbuatur et ad plenissimam usque scientiam seu potius ultra eam convincatur (cf. Rom. IV, 21), sed est illis vagus et imperfectus sensus vagaque experientia interna, quæ cogitando quidem per intellectum ad certas formulas redigatur, at ad hujusmodi formulas, quæ non objectivam veritatem exprimant, sed sensui subjectivo mutabili et perfectibili respondeant et a cognitione scientifica ita sint sejungenda, ut, quod religio affirmet, omnino esse possit et sæpissime sit scientifice falsum ! » (1).

Quibus somniatoribus alios adde plures, eorum maxime qui philosophiam religionum exponere contendunt, quos

(1) LEHMKUHL, *Théol. Mor.*, I, n. 460 in nota.

si audias, « religio tandem nihil aliud erit quam vel infiniti perceptio, vel cognitio eorum quæ experientiæ non subjacent, vel aliquid absurdius » (1) ; adeo ut et atheismus positivus notionem religionis verificare videatur !

b/ Agedum, ex variis relationibus Deum inter et homines, hæc speciatim consideranda venit qua Deus creator noster est et gubernator, homoque proinde res et servus Dei, ab ipso suo primo principio absolute dependens. Quæ Dei excellentia servilisque vicissim conditio hominis fundamentum præbent et rationem suppeditant officii specialis ab humana creatura præstandi, quo nimirum servus Dominum suum colat, interne et externe profitendo propriam subjectionem Deique sublimitatem et dominationem. Ut enim ait s. Thomas : « cum servus dicatur ad dominum, necesse est quod ubi est propria et specialis ratio dominii, ibi sit specialis et propria ratio servitutis. Manifestum est autem quod dominium convenit Deo secundum propriam et singularem quamdam rationem, quia scilicet ipse omnia fecit, et quia summum in omnibus rebus obtinet principatum ; et ideo specialis ratio servitutis ei debetur ; et talis servitus nomine latriæ designatur apud Græcos ; et ideo ad religionem proprie pertinet » (2).

Nec sane, quod Deus ad ordinem supernaturalem

---

(1) Bouquillon, *De virtute Religionis*, p. 3, cum citatione ibidem ex Spencer, *Les premiers principes*, 1re partie. ch. 1 et 2 : « la religion, sous toutes ses formes, se distingue de toutes les autres croyances en ce qu'elle prend pour objet ce qui dépasse la sphère de l'expérience.... Si nous laissons de côté le code moral qui accompagne toute religion, et qui dans tous les cas n'est qu'un produit supplémentaire, une croyance religieuse peut se définir une théorie a priori de l'univers.... Le système que l'on regarde comme la négation de toute religion, l'athéisme positif, rentre dans la définition ; car l'athéisme lui-même, en affirmant que l'espace existe par soi, ainsi que la matière et le mouvement, et en le considérant comme une cause adéquate de tout phénomène, propose une théorie a priori, d'où, à ce qu'il croit, on peut déduire tous les faits ». — Cf. etiam Vermeersch, *Quæstiones de virtutibus religionis et pietatis*, p. 3.

(2) II-II, q. 81, a. 1, ad 3.

homines evexerit ipsosque amicos et filios suos effecerit, ideo jam infinita nostra relate ad ipsum vilitas et dependentia de medio tolluntur ; ab alia tamen parte non remanet inde religio hominis in naturali sua conditione. « Supernaturalis autem cultus et qui ab homine exercetur gratia prævento et adjuto, tribuitur Deo præsertim quatenus auctori gratiæ, lumine fidei dirigitur, et quoad formam publicam et externam determinatus est vel ab ipso Deo vel ab auctoritate supernaturali Ecclesiæ » (1).

Itaque religio, sensu stricto de quo in tractatu de virtute religionis, dicetur objective : supremus cultus soli Deo debitus, seu aliis verbis : « Dei certo cogniti et supremi domini agnitio honorisque supremi erga eum exhibitio » (2) ; subjective vero definietur : « virtus quædam moralis quæ hominem inclinat ad exhibendum debitum cultum et honorem Deo tanquam omnium Creatori ac Domino » (3).

Porro religio presse sumpta, non secus ac generice accepta, vera dicenda est aut falsa secundum id quod in intellectu supponit (4) ; et primo quidem prout necne debitum cultum præ se fert, seu verum modum quo Deus coli debet et vult : patet enim quamlibet speciem cultus supremo Domino non esse acceptam. Quare falsa vocanda est religio Judæorum et hereticorum, quorum ritus et ceremoniæ a vero cultu nunc imposito discrepant. Insuper falsa existit religio, si non ad verum Deum referatur sensus dependentiæ vel et exhibitio honoris, sed ad falsos deos prout faciunt pagani ; aut ad fatales naturæ vires sive ad abstractam quamdam Naturam aut ad infinitum aliquod Universum, vel etiam ad Deum quemdam sensu pantheistico intellectum (5). Et tandem : « ex dictis

(1) Bouquillon, *o. c.*, p. 9.
(2) Lehmkuhl, *o, c.*, ib.
(3) Bouquillon, *o. c.*, p. 2.
(4) Cf. Suarez, *o. c.*, tract. 1, l. c. 2.
(5) Cf. Vermeersch, *o. c.*, p. 4 ; Prümmer, *Man. Théol. Mor.*, II, n. 324, qui etiam notat sic dictas « Societates ethicæ culturæ » docere nunc identificationem religionis cum morali, ita ut tota religio consistat in bona vita morali, abstractione facta a quolibet cultu.

apparet cultum religiosum procedere a voluntate per rationis lumen directa ; adeoque tribui non posse nescio cui affectui cæco, nec etiam facultati alicui speciali, quæ sit vel supra rationem, vel ipsi quasi parallela » (1).

c/ Ulterius, per extensionem quandoque accipitur religio specifice sumpta, de cultu non latriæ tantum, verum etiam duliæ et hyperduliæ ; aliis verbis « extenditur interdum hæc significatio ad omnem cultum sacrum, sive Deo, sive etiam creaturis peculiarem ad Deum relationem habentibus, exhibitum » (2). Quare nonnulli auctores, ut Bouquillon (3), de cultu sanctorum ut in proprio loco sub tractatu de virtute religionis disserunt ; dum contra alii theologi hanc disputationem potius ad tractatum de Verbo Incarnato remittunt.

d/ Tandem, per appropriationem dicitur etiam religio « de statu seu instituto illorum qui per evangelica consilia tendunt ad perfectum Dei servitium » (4). Ut enim advertit s. Thomas : « id quod communiter multis convenit, antonomastice attribuitur ei cui per excellentiam convenit ; sicut nomen fortitudinis vindicat sibi illa virtus quæ circa difficillima firmitatem animi servat ; et temperantiæ nomen vindicat sibi illa virtus quæ temperat maximas delectationes. Religio autem, ut supra habitum est, est quædam virtus per quam aliquis ad Dei servitium et cul-

---

(1) Bouquillon, *o. c.*, p. 7, cum notis 1 et 2 : « inter alios, D. de Quatrefrages, in opere *L'espèce humaine*, docet hominem ab aliis animalibus differre non intellectu et ratione, sed duplici alia facultate, scilicet moralitate et religiositate ». Et citatur etiam Max Müller, *La science de la religion*, ch. 1 : « Lorsque nous disons que c'est la religion qui distingue l'homme de l'animal, nous n'entendons pas seulement les religions chrétienne et juive, nous ne songeons à aucune religion particulière, mais bien à certaine faculté de l'esprit, à cette faculté qui indépendamment, que dis-je ? en dépit du bon sens et de la raison, rend l'homme capable de saisir l'infini sous des noms divers, sous des formes différentes ».

(2) Dignant, *De virtute Religionis*, p. 1.

(3) Rationes cur sic procedat exponit in *o. c.*, p. 4.

(4) Dignant, *ib.*

tum aliquid exhibet. Et ideo antonomastice religiosi dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes. Unde Gregorius dicit (Super Ezech., hom. 20, inter med. et fin.) : sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant ; sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant. — In hoc autem perfectio hominis consistit quod totaliter Deo inhæreat, sicut ex supra dictis patet ; et secundum hoc religio perfectionis statum nominat » (1).

Nota. Restant adhuc derivatæ quædam acceptiones vocis : *religio,* quæ nonnunquam usurpantur et huc fere redeunt. Interdum nempe specialis quidam ritus vel ceremonia aliqua sive actus religionis vocatur religio, quasi pars pro toto ; prout in Exodo XII, 26-27 de Phase quæritur : quæ est ista religio ? aut sicut aliquid dicitur promitti interposita religione juramenti aut voti. Vel doctrina ritum hujusmodi proponens, aut etiam quælibet lex stabilis ad cultum Dei pertinens, eodem nomine decoratur ; sicut in libro Num., XIX, 2 legimus : « ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israël, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ etc. » ; et in Exodo, XIX, 9 : « eruntque mihi (Aaron et filii ejus) sacerdotes religione perpetua ».

Insuper, respectu habito ad vinculum seu debitum quo in materia cultus homo erga Deum adstringitur, accipitur quandoque religio de quocumque officio debite præstando etiam hominibus : ut cum loquuntur de religione adimplendi officii ; vel etiam usurpatur de quocumque debito conscientiæ : ut cum dicunt aliquid religioni esse, vel religionem esse exhibendam quibusvis necessitatibus (cf. s. Thomam, II-II, q. 81, a. 1, obj. 2). Et inde ulterius progrediendo, religio pariter nominatur anxia cura, timor et scrupulus in officio persolvendo, vel in quadam re peragenda : quemadmodum apud Latinos aliquid nimia

(1) II-II, q. 186, a. 1.

religione fieri dicitur (1), vel aliquod officium religionem injicere, id est conscientiæ scrupulum.

Tandem, comparative ad reverentiam et sanctam hominis addictionem quæ ad religionem pertinent, sumitur vox aliquando pro reverentia et addictione ipsi cultui debitis aut rei cuidam sacræ sive loco sacro, ut in Breviario legitur, die 11 Febr. : « augebatur in dies hominum concursus, quos loci religio ad specum advocabat » ; necnon pro amore peculiari et intensitate affectus erga quoddam objectum : prout quidam loquuntur de religione familiæ, patriæ etc.

IV.

De actibus Religionis in genere.

Q. *Quonam sensu religionis presse sumptæ distinguuntur actus* interni *et* externi, eliciti *et* imperati.

R. *A/* Duplici sensu de actibus internis ac externis religionis sermo moveri potest: prout nempe religio subjective pro ipsa virtute sumitur, vel objective pro ipso cultu Dei.

Primo sensu, stricte loquendo « per internos actus solum intelligimus eos qui proxime ac per se fiunt vel fieri possunt ab ipso habitu, proceduntque ex immediata inclinatione ipsius, quando ex habitu fiunt; aut si illum præcedunt, ipsum secum afferunt, vel efficiendo, ut in acquisitis, vel proxime ad illum disponendo, ut in infusis. Externos autem actus voco illos omnes qui non fiunt ab habitu, nisi mediantibus his prioribus actibus » (2).

Quæ cum ita sint, quoniam religio virtus est *voluntatem* inclinans ad debitum cultum Deo creatori et gubernatori reddendum, internus ejus actus præcise in appetitu seu affectu colendi Deum consistet; adeoque interni solum-

(1) Cf. Suarez, *o. c.*, tract. 1, l. 1, c. 1 et 2.
(2) Suarez, *o. c.*, tract. 1, l. 2, c. 1.

modo dicentur illi actus quibus ipsa voluntas immediate tendit in bonum illius virtutis, aut se avertit a malo ipsius. « Illi autem modi operandi vel sunt communes appetitui sensitivo et rationali, ut amare, desiderare, delectari, vel includunt proprium modum appetitus rationalis, ut sunt intendere et eligere. Sic ergo potest religio habere actum amoris simplicis complacentiæ in divino cultu per se spectato, et in honestate quæ in actu ipso colendi Deum inest et consideratur. Potest item habere propositum et intentionem colendi Deum in omnibus, et ad hunc finem eligere media. Præterea potest habere voluntatem, qua per modum usus activi applicet corporis membra, aut utatur aliis rebus aut potentiis ad exercendum ipsum cultum Dei. Potest denique de ipso et in ipso actuali cultu delectari propter ipsum honorem Dei. Nam per omnes hos actus tendit voluntas in eamdem honestatem religionis, licet diverso modo propositam aut applicatam; omnesque illi actus ita sunt inter se connexi, ut unus ex alio oriatur, ideoque non est dubium quin omnes ad eamdem virtutem pertineant, quidquid sit de physica distinctione eorum inter se. Idemque dicendum est de actibus, quibus voluntas vult vitare malum immediate oppositum honestati divini cultus, seu quibus fugit carentiam illius boni » (1).

Unde sequitur externos hoc sensu dicendos esse omnes alios religionis actus, illos etiam qui per actus corporis exteriores minime fiunt, ut puta orationem mentalem: « quia non sunt in se ipse affectus religionis, verum ab eo procedunt atque gignuntur » (2).

---

(1) Suarez, *ib.*

(2) Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, I, n. 463. En totum textum auctoris: « ille honoris Dei appetitus sive intentio est ipsissimus religionis actus, a virtute religionis *elicitus*; cultus autem ipse, quem vult, intendit, exhibet, est actus quidem religionis — imo maxime actus religionis vocatur — at per immediatum religionis actum *imperatus* tanquam ejus essentiale complementum. Prior actus virtutis religionis *internus* dicitur, alii omnes dici possunt *externi* ejus virtutis actus, non quod

Altero sensu, qui nimirum communius adhibetur, religio hic objective pro ipso cultu accipitur; et tunc utique externi vel interni dicentur ejus actus, prout necne per actus corporis Deo exhibentur. Quod bene notat Suarezius (1), sensum objectivum et subjectivum inter se conferens.

B/ Porro, ad actus religionis *elicitos* et *imperatos* quod attinet, non una videtur esse theologorum sententia. Omnes certe conveniunt *elicitos* esse illos actus religionis subjective sumptæ, quos stricto sensu internos supra vocavimus: hi profecto a libera voluntate per habitum religionis immediate procedunt atque gignuntur (2). Nec etiam discussio viget circa actus aliarum virtutum, quos aliquando religio in proprium finem assumit atque dirigit: hi enim omnium consensu *imperati* dicuntur,

---

actus in se externi et sensibiliter apparentes esse debeant (nam possunt esse actus, qui plane mente et animo humano absolvantur et intra latent), sed quia non sunt in se ipse affectus religionis, verum ab eo procedunt atque gignuntur. Melius fortasse ipsa res exprimitur, si priorem actum vel actuum speciem vocamus actus religionis *secundum ipsum affectum*, posteriores actus religionis *secundum exercitium* ». Insuper legas n. 466 et 467, ubi ostendit auctor, ad mentem Suarezii, quomodo interni affectus gratitudinis erga Deum, fidelitatis et pœnitentiæ tanquam specifici actus religionis considerari possint.

(1) *Ib.* c. 2: « Adverti potest aliud esse loqui de cultu sub nomine cultus, aliud vero sub nomine actus; cultus enim solum dicitur internus vel externus, quia intus in anima vel extra per corpus fit: uterque autem cultus dici potest actus *externus* ipsius religionis, quia sic denominatur per habitudinem ad virtutem, tanquam ad principium suum quodammodo extrinsecum seu remotum. Actus autem ipse immediate procedens a religione, quem vocamus internum, non est proprie cultus neque intrinsecus neque extrinsecus, sed est affectus colendi, qui a cultu distinguitur, sicut actus a materiali objecto. Nihilominus sæpe confundi solent hæ voces, ita ut omnis cultus interior dicatur etiam actus interior religionis, quomodo nos sæpe cum multis loquemur, advertendo illa duo non converti: quia non omnis actus internus potest dici cultus, sed ille tantum qui remotus seu imperatus est; nam alius, qui est propinquior et elicitus, non est cultus, sed affectus cultus, ut dixi ».

(2) Attamen « nota actus elicitos virtutis religionis etiam a peccatore elici posse sub influxu gratiæ actualis habitus vicem supplentis, quamvis tunc actus *virtutis* religionis proprie dici nequeant ». DIGNANT, *De virtute Rel.*, n. 12.

cum ab alia jam virtute eliciantur, et solummodo per imperium voluntatis et religionis ad cultum Dei convertantur. Sic potest actus temperantiæ aut alterius virtutis moralis sive etiam theologicæ a religione imperari, seu in exercitium cultus exhiberi; sicut e converso actus religionis ab aliis etiam virtutibus moralibus aut maxime a theologicis imperari queunt.

Verum, de ceteris actibus datur opinionum discrepantia, scilicet de actibus cultus tum internis, puta de oratione mentali, tum externis v. g. de sacrificio: utrum nempe actibus elicitis aut potius imperatis religionis adnumerandi sint.

Primum tenet s. Thomas: « Ad primum ergo dicendum quod religio habet duplices actus: quosdam quidem proprios et immediatos quos *elicit*, per quos homo ordinatur ad solum Deum, sicut sacrificare, adorare et alia hujusmodi: alios autem actus habet, quos producit mediantibus virtutibus quibus *imperat*, ordinans eos ad divinam reverentiam; quia scilicet virtus ad quam pertinet finis, imperat virtutibus ad quas pertinent ea quæ sunt ad finem. Et secundum hoc actus religionis per modum imperii ponitur esse: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum; quod est actus elicitus a misericordia; immaculatum se custodire ab hoc sæculo, imperative quidem est religionis, elicitive autem temperantiæ, vel alicujus hujusmodi virtutis » (1).

Proinde ex sententia divi Thomæ omnes actus *cultus*, seu illi qui ex natura sua hanc habent honestatem ut cultum Deo exhibeant, nec utique alterius virtutis speciem præ se ferunt, dicendi sunt a religione eliciti. Quæ sententia communius admittitur, eo vel magis quod secus prædicti actus a nulla virtute elicerentur.

Attamen contradicit Suarezius, speciatim loquens de actibus externis religionis prout distinguuntur ab inter-

---

(1) II-II, q. 81, a. 1, ad 1.

nis (1); sentitque illos omnes, stricte loquendo, *imperatos* esse vocandos. Nam elicere, ait, est efficere proprie et per se; jamvero habitus non efficit hoc modo nisi actus suæ potentiæ, seu hic voluntatis: voluntas autem per se et immediate non afficit motus corporis qui assumuntur in cultum, sed solum applicat potentias exsequentes ad movendum; nec magis dici potest voluntas elicere actionem externam cultus v. g. adorationem corporalem, quam actum visionis corporalis et cetera hujusmodi.

Contra, jam adverterat Cajetanus, explicans locum parallelum s. Thomæ (2), non requiri ad actum elicitum cujusdam virtutis, puta religionis, ut eliciatur ab ipsa potentia cui virtus inhæret: modo hæc potentia moveat potentias exsequentes ex immediata inclinatione illius virtutis, ita ut substantia quidem actus positi sit a potentia inferiore seu exsequente, modus vero ejus accidentalis, v. g. promptitudo et facilitas, a virtute de qua agitur. Et hoc jam sufficit, ait, ut *attribuantur* illi virtuti hujusmodi actus qua ejus actus eliciti, modo tamen per aliam virtutem proxime non eliciantur (3).

Verum, allata ratio Suarezium non convincit, quia et actibus imperatis æque applicabilis est; ideoque satius ducit illos actus « vocare *immediate imperatos,* in opposi-

---

(1) *Ib.*, c. 3, ubi notat: « si consideretur actus externus ut conjunctus interno, et quatenus ex utroque fit unus moraliter, sic optime dicetur talis actus elicitus a religione, quando eliciendo internum, immediate trahit externum, et illum proxime informat,.. et ita locutus est s. Thomas ».

(2) Nempe II-II, q. 81, a. 4, ad 2. Cf. ad hunc locum PÈGUES, *Comm. litt. de la Somme.*

(3) « Virtuti attribuuntur ut proprii actus non solum si ejusdem sint potentiæ in qua est habitus virtutis, sed etiam actus aliarum potentiarum, dummodo non per aliam virtutem illos eliciant: ut patet in actibus justitiæ, temperantiæ et oppositorum vitiorum. Justitiæ siquidem proprius actus est non solum velle reddere cuique suum, sed exteriori actu reddere quod suum est; et similiter injustitiæ actus est auferre alienum. Temperantiæ quoque actus est non solum concupiscere moderate cibum, sed etiam exterior sumptio moderata; et similiter intemperantiæ est exterior luxuria, etc. ».

tione ad *imperatos mediate* seu alia mediante virtute, de quibus supra » (1).

Equidem, si de exposita utrinque doctrina judicandum sit, concordia de ipsis rebus vigere, et discussio potius de nomine versari videtur, ut ceterum concludit ipse Suarezius (2). E. HOSTEN.

V.

De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

I. Het voorloopig bestuur van 1814.

V. *Beschrijf de heerschende gemoedstemming der Belgen ten opzichte der katholieke Kerk, tijdens het voorloopig bewind, dat ons land bestuurde sedert den aftocht der Franschen (Febr. 1814) tot aan de vereeniging met Holland (Maart 1815).*

A. De Kerkgeschiedenis van ons land onder de regeering van Willem I, waarover we thans enkele vragen zullen stellen (3), is in vele opzichten belangrijk. Angstige tijden immers beleefde de Kerk van Belgie in deze korte spanne tijds : hare rechten zag zij miskend, hare vrijheid zelf bedreigd door eenen vorst, die 't misschien wel goed

---

(1) DIGNANT, *ib.*, n. 11.

(2) *Ib.*, : « Nihilominus certum est quosdam esse actus externos qui in ratione actus honesti et studiosi, non postulant fieri nisi ex motione immediata religionis per actum voluntatis pertinentem de se ad illam virtutem ; alios vero esse qui non fiunt ex immediate motione voluntatis per actum religionis, sed per actum alterius virtutis misericordiæ, aut temperantiæ, vel alterius similis..... Jam ergo, rectene dicantur priores actus eliciti a religione, et posteriores imperati propter dictam differentiam, et ad explicandam illam, quæstio est de nomine. Tamen quia periti in hac arte ita loquuntur, ita etiam nos loqui possumus. Satis vero esset priores vocare proxime imperatos, posteriores vero remote, quia illi sine alia virtute media imperantur, hi vero media alia virtute. Non video enim cur, sicut voluntas dicitur imperare genuflexionem, non dicatur etiam religio illam imperare, immediate concurrendo, et efficiendo illam voluntatem ».

(3) De bijzonderste werken hiertoe dienstig zijn : DELPLACE, S. J., *La Belgique sous Guillaume 1er, roi des Pays-Bas.* Louvain, 1899 ; (schrijver van dit werk behandelt vooral de godsdienstkwestie, maar steunt enkel op de gedrukte bronnen ; hij heeft allerbest de « openbare

meende met zijn nieuwe onderdanen en daarbij dikwijls handelen moest naar het goeddunken der mogendheden, maar die toch het groot ongelijk had, in zijn onkunde van kerkelijke zaken, de leiding te volgen van fanatiek protestantsche of josephistische raadgevers. Algemeen wordt aangenomen dat de godsdienstkwestie een der belangrijkste factoren geweest is der omwenteling van 1830.

Reeds van het begin af heerschte misverstand tusschen koning Willem en de katholieke Belgen ; daartoe brachten niet weinig bij, de werking der geheime diplomatie, vooraleer nog de samenvoeging van Belgie en Holland openbaar was gekend, en de daaruit volgende onzekerheid waarin de Belgen verkeerden betreffende hun lot en de gewenschte waarborgen voor hun katholiek geloof. Deze onzekerheid schiep eene gemoedstemming bij de katholieken van ons land, die eerlang tot erge verwikkelingen zal leiden. Wij hebben het hier, in onze eerste en inleidende verhandeling over die heerschende gemoedstemming tijdens het voorloopig bewind Deze gemoedstemming was gekenmerkt door eene algemeene en beginselvaste gehechtheid aan den katholieken godsdienst, zooals het blijkt uit de bezorgheid der Belgen, eerst voor het herstel van den vroegeren toestand der Kerk, en later voor de erkenning van den katholieken godsdienst als eenigen openbaren godsdienst in ons land.

---

meening » van dezen tijd nagegaan) ; P. ALBERS, S. J., *Geschiedenis van het Herstel der hierarchie in de Nederlanden.* 2 Bd. Nijmegen, 1904-1905, en CH. TERLINDEN, *Guillaume Ier, roi des Pays-Bas et l'Eglise Catholique en Belgique*, 2 vol., Bruxelles, 1906. Deze beide laatste monographieën hebben rijkelijk aan onuitgegeven bronnen geput, namelijk de laatsgenoemde aan het archief van het Staatssecretariaat en van de Congregatie der Kerkelijke Zaken te Rome. Een goed overzicht *(Notice historique sur Mgr de Broglie)* benevens nuttige documenten kan men vinden in *Recueil des Mendements, lettres pastorales etc. publiés par S. A. le prince Maurice de Broglie*, Gand, 1843. Zie ook BRACQ, *Leven van Z. H. Mauritius de Broglie....* Gent, 1844 ; BALAU, *Soixante-dix ans d'histoire contemporaine de la Belgique* Louvain, 1891; CLAESSENS, *La Belgique chrétienne depuis la conquête française jusqu'à nos jours* 2 vol. Bruxelles, 1883.

1. *Het voorloopig bewind tot aan het optreden van Willem van Oranje (Febr. 1814 — 1 Aug. 1814).*

Tot groot genoegen der Belgen, werd na den volkerenslag van Leipzig (18 Oct. 1813), die Napoleon verplichte tot den terugtocht over den Rijn, ook ons land allengerhand van Franschen gezuiverd. Nu was het uit met die zware offers in geld en jonge mannen, die de veelomvattende plannen, de matelooze heerschzucht van keizer Napoleon, hoe langer hoe meer hadden geëischt! Behalve bij enkele ambtenaars van het keizerrijk, die meestal ten andere van Franschen oorsprong waren, was de vreugde algemeen. Zelf bij de toenmalige liberalen, vonckisten van 1790, die eens de fransche omwentelaars en hunne « nieuwe denkbeelden » met open armen hadden ontvangen, maar al ras hadden ondervonden dat ze onder vreemde dwingelandij hun eigen oude vrijheden er bij inschoten. Vooral echter de katholieken juichten bij den val van Napoleon ; sinds lang immers zagen ze in hem een vijand van de Kerk. Het concordaat van 1801, hoe gewenscht ook in den toenmaligen treurigen toestand, was hier nooit zeer welkom geweest; het kon ten andere geen voldoening geven: daar de beruchte organieke artikelen en andere cæsaro-papistische maatregelen der fransche regeering, zooals de wetten betreffende de kloostergeloften, het onderwijs, de kerkelijke diensten, de betrekkingen met Rome, de vrijheid vernietigden der Kerk en het concordaat ontkenden dat ze voorgaven te regelen. De mistevredenheid steeg ten top, toen in 1810 Napoleon volop in strijd kwam met den Paus, Rome bezet hield en Pius VII zelf gevankelijk naar Frankrijk voerde ; de verwikkelingen en vervolgingen die in deze omstandigheden in onze bisdommen ontstonden zijn genoeg gekend (1).

---

(1) Zie Claeys Bouûaert, *Le Diocèse et le Séminaire de Gand pendant les dernières années de la domination française*, Gand 1913.

De bondgenooten konden dus gerust op de door hen bevrijde Belgen rekenen, en hen zelf belasten met het bestuur van het land. Dit werd dan ook gedaan, enkele dagen na de inneming van Brussel (1 Febr. 1814), door het aanstellen van een voorloopig bewind met een bestuurraad, enkel uit Belgen bestaande. De hertog echter van Beaufort-Spontin, die tot algemeen gouverneur benoemd werd, en de andere leden van het voorloopig bestuur behoorden tot dien adel of hoogere burgerij, die vroeger Oostenrijk gediend had, tijdens de fransche revolutie uitgedreven werd, en naderhand onder het fransche keizerrijk afzijdig was gebleven. Het is van belang dit op te merken, want de voorloopige regeering, vooral de hertog van Beaufort, zal, alhoewel zonder gevolg, een voorname rol spelen, wanneer de vraag gesteld zal worden: wat er verder met Belgie moest gebeuren.

Deze vraag, het spreekt van zelf, werd dadelijk gesteld door de bevolking, en 't moet gezegd, de algemeenheid, zoowel van het volk als van de burgerij en den adel, zag uit naar Oostenrijk (1). Joseph II en de brabantsche revolutie schenen vergeten, terwijl men met welbehagen de goede dagen herdacht van Maria-Theresia. Vurig werd door al wie invloed had, geijverd voor een nieuwe vereeniging of althans een innig verband met Oostenrijk; een gezantschap, geleid door den hertog van Beaufort zelf, werd naar den oostenrijkschen keizer gezonden om hem voor deze oplossing te winnen.

De geestelijkheid intusschen ging volop mede met het voorloopig bewind; zij ook wenschte de « restauratie », maar de restauratie ten volle met al de vroeger erkende

---

(1) Ook de hoofdbevelhebbers der verbonden legers; zij waren het die 't raadzaam vonden een gezantschap naar den oostenrijkschen keizer te zenden. Enkele Belgen schijnen nochtans de hoop gekoesterd te hebben op een heel onafhankelijk maar versterkt Belgie. Zie DELPLACE, t. a. pl. bl. 14.

vrijheden, instellingen en gebruiken der Kerk in België. Zij gaf aan het oostenrijkschgekleurd bewind haren vollen steun : Te Deum's werden gezongen, op aanvraag van de regeering, om God te bedanken over de nederlaag van Napoleon (1) ; de inlijving in het leger der verbondenen werd aan de geloovigen als een heilige zaak aangeprezen (2). Wederzijds kreeg de Kerk van de regeering voldoening voor hare wenschen : zoo trof de regeering maatregelen om de seminaristen, die naar Wesel verbannen waren of zich verscholen hielden naar hun seminarie terug te brengen (3) ; zij schonk kloosters en colleges aan de belanghebbenden terug (4) ; maar wat boven alles de kroon spande, was de principsverklaring bevat in een rondschrijven der regeering op 7 Maart aan de kerkelijke overheid van het land. Deze verklaring luidde als volgt :

« Le Gouvernement, conformément aux intentions de leurs hautes puissances alliées, maintiendra inviolablement la puissance spirituelle et la puissance civile dans leurs bornes respectives, ainsi qu'elles sont fixées par les lois canoniques de l'Église et les anciennes lois constitutionnelles du pays. .... C'est donc aux autorités ecclésiastiques que l'on devra s'adresser pour tout ce qui concerne la religion » (5).

Deze tegemoetkomingen brachten natuurlijk de geeste-

---

(1) Zie *Recueil des mandements*, p. 211.

(2) *Ibid.* p. 213.

(3) CLAEYS BOÚÚAERT, *o. c.*, p. 295; *Recueil....*, p. 211.

(4) Namelijk het Klein Seminarie van Roeselare ; zie DESCHREVEL, *Histoire du Petit Séminaire de Roulers*, Roulers, 1906, p. 239 ss. Zie ook DELPLACE, *o. c.*, p. 17-18.

(5) Zie TERLINDEN, *o. c.*, p. 10. Deze verklaring werd door enkelen al te breed opgevat. In 't Namensche gaf men het burgerlijk huwelijk op, en de overheid liet begaan. (DELPLACE. *o. c.*, p. 17). Bij ons ook wilden enkele pastoors den leeken burgerstand afschaffen zelfs meiers weigerden er aan nog mede te werken; maar het bisdom vond deze handewijze gevaarlijk en ongeoorloofd. Zie *Litteræ ad RR. adm. DD. decanos, de Matrimoniis et sepulturis* van 21 April 1814 in *Recueil...* p. 214.

lijkheid en de katholieken nog meer in het vaarwater der voorloopige regeering, zij hadden echter ook voor gevolg er enkelen van af te keeren ; de liberalen immers, oude vonckisten, en andere zeldzame partijgangers der moderne vrijheden konden geen vrede nemen met een gebeurlijk herstel van het oud regiem; zij schaarden zich bij de kleine maar woelige groep orangisten, die, heimelijk gesteund door den prins van Oranje, reeds aanstonds na den aftocht der Franschen fel propaganda maakten voor de vereeniging met Holland (1). Een hevige pennetwist ontstond te dier gelegenheid : pamphletten en vlugschriften werden rondgestrooid waarin, niet zonder overdrijving langs weerkanten, het voor- of nadeel der gewenschte of gevreesde vereeniging werd uiteengezet. De gemoederen werden door deze geschriften opgehitst en bij de katholieken stond het hoe langer hoe meer vast, dat alleen een samengaan met Oostenrijk den godsdienst kon ten goede komen. Zij waren intusschen in hunne hoop bevestigd, door de aanstelling aan het hoofd van het voorloopig bewind van den gunstig bekenden oostenrijkschen generaal, baron de Vincent (5 Mei 1814). (2)

---

(1) Reeds in 1790 hadden enkele vonckisten, nl. in hun dagblad *La République belge*, de vereeniging met Holland gevraagd; ze kwamen met hunne wenschen, aanstonds na de uitdrijving der Franschen. weerom voor den dag; en steunden de agenten die de prins van Oranje naar onze gewesten zond om de vereeniging voor te bereiden. Een eerste, vluchtschrift kwam van deze zijde: *La réunion de la Belgique à la Hollande serait-elle avantageuse ou désavantageuse à la Belgique* par ABC; het liberaal beginsel van godsdienstige gelijkheid werd er volop in gehuldigd, wat dan ook krachtige tegenspraak verwekte. Zie DELPLACE. *o. c.*, p. 26 ss. en *Appendice bibliographique*.

(2) De oostenrijksche keizer had nochtans aan de belgische gezanten genoeg te verstaan gegeven dat ze zich moesten aan eene vereeniging met Holland verwachten. Doch de Belgen wilden er zich niet bij neerleggen, of dachten misschien wel dat er verandering op 't spel was; in alle geval, na de benoeming van baron de Vincent, kwamen van alle kanten bij het voorloopig bestuur smeekschriften toe ten voordeele van Oostenrijk. Zie DELPLACE, *o. c.*, p. 25. — Hier moet

II. *Het voorloopig bewind onder Willem van Oranje (1 Aug. 1814 — 16 Maart 1815).*

De goede dagen van Maria-Theresia zouden echter niet terugkeeren! Terwijl de goedgeloovige Belgen smeekschriften inzonden, met Oostenrijk onderhandelden en hunne kinderen gaven voor de bevrijding van het land, werd zonder hen over hun lot beslist.

De prins van Oranje, die reeds sedert 1813 souvereine vorst was der Vereenigde Nederlanden (de vroegere Republiek), had ook sinds lang het oog op Belgie (1); zoover bracht hij het dat hij, wijl de coalitie-oorlog tegen Napoleon nog aan den gang was, Engeland won voor zijne plannen. De vrede van Parijs (op 30n Mei 1814) besliste dat Holland een vermeerdering van grondgebied zou krijgen; maar het stond reeds vast onder de diplomaten, namelijk in het congres te Chatillon gehouden van 3 Febr. tot 15 Maart, dat deze vermeerdering ten minste Belgie zou bevatten. Engelands politiek had hier tegenover Oostenrijk gezegevierd; het was ook onder engelschen invloed dat, in de Conferentie van Londen (21 Juni), in zeer geheime besprekingen, de voorwaarden werden bepaald der vereeniging. Van allergrootste belang zijn de twee eerste voorwaarden, die jammer genoeg te lang onbekend bleven; zij luidden als volgt:

« Art. 1er. Cette réunion devra être intime et complète, de façon que les deux pays ne forment qu'un seul et

---

nochtans bijgevoegd, dat in al die verwarring sommige katholieken begonnen naar Frankrijk op te zien, waar met het herstel der Bourbons de « restauratie » volop doorgevoerd werd. De gouverneur generaal verdacht zelf Mgr de Broglie van al te groote sympathie voor Frankrijk, omdat hij in zijnen herderlijken brief van 14 Juni (Zie *Recueil*... p. 220) een zeker spijt uitte zijn bisdom van het vernieuwde Frankrijk afgescheiden te zien. Zie DELPLACE, *o. c.*, p. 33, 51.

(1) Zie in het VIIe Deel van BLOK's *Geschiedenis van het nederlandsche volk* (Leiden, 1907 bl. 306 vlg.) het goed gedocumenteerd verhaal der werking van den prins van Oranje om de verbinding der twee natiën en zelfs nog meer uitgebreid gebied te bekomen.

même État, régi par la constitution déjà établie en Hollande et qui sera modifiée d'un commun accord d'après les nouvelles circonstances.

Art. 2. Il ne sera rien innové aux articles de cette constitution, qui assurent à tous les cultes une protection et une faveur égales, et garantissent l'admission de tous les citoyens, quelle que soit leur croyance religieuse, aux emplois publics ».

Zoo was den prins van Oranje, die het londensch protocol aanvaardde op 31 Juli, door hooger macht de weg afgesneden tot elke principieele toenadering op godsdienstig gebied ; hij had nu slechts te wachten tot het Congres van Weenen (1 Oct. 1814 — 9 Juni 1815) het nieuw koninkrijk goedkeurde en er de grenzen van bepaalde.

Doch niets belette dat Willem voorloopig in aanraking kwam met zijne toekomende onderdanen, « pour préparer, zooals de diplomaten hadden gezegd, et opérer l'amalgame des deux pays sur les bases adoptées par les Puissances ». Hij werd dan ook aanstonds aan het hoofd van het voorloopig bewind in Belgie aangesteld, om dit land « uit naam der geallieerden » te besturen ; hij kwam naar Brussel de plaats innemen van baron de Vincent op 1 Aug. 1814.

Deze aanstelling veroorzaakte in Belgie bittere teleurstelling. Alhoewel immers de beslissingen van Londen geheim waren gebleven, begon men toch duidelijk in te zien, dat wat nu voorloopig was, bestendig zou worden ; het ergste scheen men in dit geval te moeten vreezen op godsdienstig gebied ; nog nooit immers was ons land bestuurd geweest door iemand die niet katholiek was. Was het wel mogelijk, zoo sprak en schreef men langs alle kanten, dat menschen van verschillenden godsdienst in vrede met elkander leefden. Enkele katholieken begonnen zich nochtans in het onvermijdelijke te schikken, maar ijverden des te meer, opdat het Katholicisme als eenige godsdienst in Belgie zou erkend blijven en, zooniet de bestuurlijke, dan toch de godsdienstige

scheiding zou worden toegepast (1). De kerkelijke overheid rekende het zich ook als een plicht openlijk hare meening uit te drukken en een laatste kans te wagen tot het verkrijgen van de noodige waarborgen, bijaldien een protestantsche vorst, zooals 't hoe langer hoe meer zeker scheen, over het katholieke Belgie werd aangesteld. Op 8 October 1814, zonden de groot-vikarissen van Gent naar het internationaal Congres, sedert enkele dagen te Weenen vergaderd, een uitvoerig memorandum waarin ze met aandrang de mogendheden smeekten de godsdienstige belangen van ons land niet over het hoofd te zien. Het Congres zou er moeten voor zorgen, zoo schreven ze met eerbiedige vrijmoedigheid, dat, zooals vroeger in onze gewesten geschiedde, een nieuwe vorst, bij zijne aanstelling, plechtig en op eed belove den katholieken godsdienst in zijn vroegeren toestand te behouden met al zijn rechten en bekomen voorrechten. Daarbij, om alle misverstand betrekkelijk de verklaring van dezen vroegeren toestand te voorkomen, zouden de mogendheden best nu in de akte van overgave van Belgie waarborgartikelen inlasschen, waarvan de voornaamste zouden zijn : 1) behoud der artikelen op stuk van godsdienst vroeger door de vorsten bij hunne blijde inkomst beloofd ; 2) onafhankelijkheid van het geestelijk gezag in zuiver kerkelijke zaken; in gemengde zaken zou kunnen beroep gedaan worden op een staatsraad, bestaande echter uit katholieken alleen, waaronder twee bisschoppen ; 3) vrijheid en gemak voor geestelijkheid en geloovigen met den H. Stoel te onderhandelen, daarom ook herstel der nuntiatuur te Brussel ; 4) verplichting zoohaast mogelijk een concordaat te sluiten met den H. Stoel ten einde de grenzen der bisdommen en de

(1) Zie over de vlugschriften en persartikelen van dezen tijd DELPLACE, *o. c.*, 45 ss. Een der bijzonderste ijveraars voor het behoud van den vroegeren godsdiensttoestand was priester de Foere van Brugge die met Januari 1815 zijn *Spectateur belge* begon uit te geven.

wijze van benoemen tot de kerkelijke waardigheden te regelen : 5) vaste bepaling eener bezoldiging voor de geestelijkheid ; deze bezoldiging zou immer onafhankelijk dienen te blijven van het burgerlijk gezag, en zou kunnen geschieden door herstel der kerkelijke tienden ; 6) herstel der leuvensche hoogeschool, der religieuse orden en voornamelijk der Jesuieten (1).

Dergelijke waarborgen werden ook in de andere bisdommen gevraagd (2), maar eilaas elk eerbiedig vertoog der kerkelijke overheid bleef onbeantwoord. Het Congres van Weenen keerde niet meer terug op het londensch protocol ; Belgie werd bij Holland gevoegd zonder de gewenschte waarborgen, en de prins, die aangesteld werd om beide landen samen te besturen, was om zeggens in de onmogelijkheid gebracht eenigzins toe te geven aan de hooge eischen der katholieke belgen. Hij zou toch de versmelting beproeven ; wij zullen verder zien met welke middelen en met welk gevolg. Op 14 Febr. 1815 had het Congres de algeheele vereeniging voor goed vastgesteld en de grenzen bepaald ; een maand daarop, 16 Maart 1815, nam de souvereine vorst den titel aan van Koning der Nederlanden. REN. DESCHEPPER.

VI.

De materia calicis.

Q. *Quænam debet esse materia calicis?*

R. I. **Historia**. De calice quo Christus Dominus in ultima Cœna usus est nihil certi novimus (3); sed conjicere licet eum fuisse vas quoddam hoc tempore usuale,

---

(1) Zie TERLINDEN, *o. c.*, p. 15.

(2) Namelijk door de groot-vikarissen van Mechelen; zie het stuk bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 19.

(3) Cf. ROHAULT DE FLEURV, *La messe, études archéologiques*, Paris, t. IV, p. 45-153, planches CCLXX-CCCXXIV ; H. LECLERCQ, *Diction. d'archéol. et de liturgie*, v° *Calice*, t. II, 1595-1645; H. THURSTON, *The catholic Encyclopedia*, t. III, v° *Chalice*. (optimum summarium).

sicut fuerunt sane etiam calices eucharistici quo utebantur primi sacerdotes, qui nempe SS. Eucharistiam celebrare solebant in cœnaculo domorum privatarum. Calices usuales non solum forma sed et materia erant valde diversi : alii enim erant ex auro, argento, lapide pretioso, alii contra ex materia cummuni, ligno, cornu, et potissimum ex vitro. Transacta persecutionum periodo, jam frequentiora sunt testimonia de calicibus eucharisticis aureis vel argenteis, quos v. g Pontifices romani offerebant basilicis Urbis; calices tamen lignei et præsertim vitrei remanent in usu communi. Paulatim autem, ex plurimis episcoporum et synodorum statutis, medio ævo, oritur legislatio quædam communis, inculcans materiam quæ reverentiæ SS. Sanguini debitæ omnino conveniat, solidam nempe et quantum fieri potest pretiosam, exclusis notatim cornu, ligno et vitro.

Quarum ordinationum summam et substantiam habemus in Corpore juris, Decreto Gratiani, cap. XLV, dist I, *de consecratione:*

« Ut calix Domini cum patena, si non ex *auro*, omnino ex *argento* fiat. Si quis autem pauper est, saltem vel *stanneum* calicem habeat. De *ære* (koper) aut ex *auricalcho* (rood koper) non fiat, quia ob vini virtutem æruginem pariterque vomitum provocat. Nullus autem in *ligneo* aut *vitreo* calice præsumat missam cantare ».

Et addit Glossa: « non in *ligneo*, quia porosum est; aut *vitreo*, quia vitrum fragile est et immineret periculum effusionis ».

II. Ex quibus orta est **disciplina hodierna**, quam exhibent Missale et decreta.

« Calix debet esse vel *aureus vel argenteus*, aut saltem habere *cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata*, ab Episcopo consecratus » (1). Et inter defectus in ipso ministerio occurrentes ponitur: « si non adsit calix cum patena *conveniens*, *cujus cuppa*

(1) *Missale, Ritus celebr.*, I, 1.

debet esse aurea vel argentea, vel stannea, non ærea vel vitrea » (1).

Cuppam *stanneam* (tin), de qua non agit prior et præcipuus textus, admittunt auctores, secundum textum decreti Gratiani, in casu paupertatis vel persecutionis (2). Et quamvis nonnulli pro cuppa stannea non exigant inaurationem, communius et merito censent hanc etiam, non minori titulo quam argenteam, debere esse « intus inauratam », ut statuit Ritus celebrandi.

His regulis standum esse declaravit S. Rit. Congregatio, quum peteretur utrum liceret consecrare calices « ex *stanno* vel *ære*, vel *auricalcho*, cum cuppa tamen ejusdem materiei aurata » (3), aut « ex *alluminio*, sive puro sive aliis metallis commixto » (æs alluminii = bronze d'aluminium) (4). Specialia tamen quædam indulta benigne concessit S. Sedes. Pius IX, 6 jan. 1847, Parisiensi Societati missionum, sub certis conditionibus indulsit usum calicum *ex ære albo*, vulgo *cuivre blanc* (5). Sed ex ipsis terminis patet esse concessionem particularem.

Postea, 6 dec. 1866 permisit adhiberi calices et patenas « ex alliminio aliis metallis commixto, vulgo *bronze d'aluminium*, si cuppæ calicum et patenæ, in tota superficie argento prius, et deinde auro in partibus a rubrica requisitis obducantur », modo serventur cautelæ in adnexa instructione præscriptæ (6). Sed de his nihil insertum fuit in Cellectione authentica, adeo ut hæc permissio non habeat vim legis nec universim ea uti possimus.

---

(1) *Missale, De defectibus*, X, 1.

(2) Tales fuerunt adhibiti apud nos tempore revolutionis gallicæ vulgo « beloken tijd » nuncupato.

(3) S. R. C., 16 sept. 1865, in Æsina, n. 3136, ad IV: « standum rubricis ».

(4) S. R. C., 1 sept. 1866, in Molinen.... « nihil innovandum ». Decretum non est assumptum in Collectione authentica; cf. eruditi Voti consultoris compendium ap. *Acta S. Sedis*, II, 232.

(5) *Collectanea Constitutionum S. Sedis ad usum Societ. Missionum*, Parisiis 188, nn. 428 s.

(6) Quæ vide ap. *Ephem. Liturg.*, I (1887), 632 ss.

Ut ex præfatis elucet, præceptum cadit tantum in *cuppam et patenam*. Unde merito censent auctores *pedem* et *scapum cum nodo* posse confici ex qualibet materia solida, munda ac decenti, adeo ut non sit damnandus v. g. nodus eburneus (ivoor). Monet tamen S. Carolus Borromæus in *Instructionibus super ædificiis ecclesiarum* lib. II; « calicis pes ex aurichalco inaurato permitti potest, si præ inopia ex auro argentove fieri non potest ». Et sane præstat calicem minus artificiose ornare ut et pes possit esse argenteus.

« Abundet unusquisque in sensu suo, scribit Sugerius abbas: mihi, fateor, hoc potissimum placuisse ut quæcumque chariora, quæcumque charissima sacrosanctæ Eucharistiæ administrationi super omnia deservire debeant. Si libatoria aurea, si phialæ aureæ, si martoriola aurea ad collectam sanguinis hircorum aut vitulorum aut vaccæ rufæ, ore Dei aut prophetæ jussu deserviebant, quanto magis ad susceptionem Sanguinis Jesu Christi, vasa aurea, lapides pretiosi, quæque inter omnes creaturas charissima, continuo famulatu, plena devotione exponi debent » (1). Revera quantum potes, tantum aude!

C. Callewaert.

(1) Citatum in laudato Voto consultoris, *Act. S. Sedis*, II, 235.

De oratione deprecativa in Breviario.

(cfr suprà p. 329)

III. PRECES.

In Precibus servatur nobis venerabile quoddam vestigium primitivæ orationis litanicæ.

« Obsecro primum omnium, ait S. Paulus (I Tim. II, 1, 2), fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro *omnibus hominibus*, pro *regibus* et *omnibus qui in sublimitate sunt*, ut quietam et *tranquillam vitam* agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui *omnes homines vult salvos fieri* et ad agnitionem veritatis venire ». Hanc « regulam ecclesiasticam traditam a magistro Gentium » ut ait S. Ambrosius (1), non solum inculcant Sancti Patres, sed « ea utuntur sacerdotes nostri ». Revera orationes liturgicæ pro tota Ecclesia, pro iis qui sunt in auctoritate ecclesiastica aut civili constituti, pro omnibus in speciali necessitate degentibus, pro conversione paganorum, pro pace, pro remissione peccatorum, inveniuntur jam in epistola S. Clementis I (a. 96) c. 59-60, postea commemorantur a pluribus scriptoribus; occurrunt s. IV in liturgia Constitutionum Apostolicarum (lib. VIII, c. X et XXXVI-XXXIX) et dein in multis documentis. Fiebant autem tum in missa (ubi remanent hodie in Parasceve Orationes solemnes), tum in officio *ad Laudes* et *ad Vesperas*. In officio fieri solebant ad modum Litaniarum : uni proponenti intentionem *(oremus pro... ut...* vel simpliciter : *Pro...)* respondebat communitas : *Kyrie eleison* vel *Oramus te Domine, exaudi et miserere,* vel aliquid simile.

(1) S. Ambros., *In I Tim.*, II.

In Occidente a sæc. v-iv propositis intentionibus additi sunt versus appropriati (1) v. g. *Oremus pro rege nostro*. V. *Domine salvum fac regem*... *Oremus pro omni gradu Ecclesiæ*... V. *Sacerdotes tui induant justitiam*... (2). Unde vocati sunt *capitella* seu *capitula de psalmis* (3) aut *versiculi* (4).

Hæ preces recitandæ erant ab antiquis ad Laudes matutinas et ad Vesperas (5), ubi hodiedum recitantur adhuc diebus pœnitentialibus preces flebiles quæ antiquam servaverunt indolem.

Sed jam in Regulis S. Cæsarii, S Aureliani, « capitella » dicenda injunguntur ad singulas horas finiendas. Similiter in Regula S. Benedicti a quo vocantur « *supplicatio litaniæ* » vel *Kyrie*, quia semper exordiuntur a *Kyrie eleison* (6), vel *missæ*, quia præparabant dimissionem seu finem officii (7). Hic conjunctæ sunt cum *Pater noster* quo in nonnullis ecclesiis absolvebatur officium. Unde nunc semper preces ubique incipiunt : *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, *Pater noster*...

In precibus istis generatim non solum invocabatur misericordia Dei (*Kyrie*... *Miserere*...) sed explicite petebatur venia pro peccatis. Imo decursu temporis insertus est psalmus *Miserere* (8), vel et *Profundis*. Unde dicebantur flexis genibus ; habebant caracterem pœnitentialem, qui minus videbatur congruere officiis festivis, in quibus ideo cœperunt omitti.

---

(1) Cf. Gennadius, *De scriptor. eccles.*, 79.

(2) Hæc et similia exstant in permultis antiquis manuscriptis.

(3) Cf. v. g. *Regula S. Cæsarii* 21; *Reg. Aureliani*, in fine.

(4) S. Columbani *Reg. Cænob.*, 7.

(5) Cf. *Consistut. Apostolorum.*, l. viii ; *Peregrinatio ad loca sancta*.

(6) Juxta Regulam S. Aureliani *Kyrie* ter repetitum dici debet : ad initium horæ, post psalmos et post capitellum.

(7) *Conc. Vasense*, can. 3.

(8) Amalarius, *De eccl. off.*, iv, 4, fuse explicat preces, insistendo in earum indole pœnitentiali ; priores versus sunt « pro minimis peccatis, psalmus pro maximis ». Omittuntur tempore « Paschali, Pentecostes, dominicis diebus et festis ».

Revera in his precibus post *Kyrie* et *Pater noster*, primis versibus petimus misericordiam Dei quia peccavimus ; sequentibus seccessive oramus pro omni gradu Ecclesiæ, sacerdotibus, Papa, Episcopo (1), pro auctoritate civili seu rege, pro populo, congregatione propria, pro pace, deinde pro benefactoribus, defunctis, fratribus absentibus, afflictis et captivis ; tandem adduntur duo versiculi ad petendam gratiam Dei et auxilium Christi pro nobis, et præparatur Oratio subsequens (*Domine exaudi... Dominus vobiscum* (2).

Non ita in aliis horis. In *Completorio* enim sunt imprimis laudes Deo delatæ et deinde supplicatio præparans orationem finalem (3). *Ad Primam* sunt partim laudes, sed præsertim supplicationes quibus petimus puritatem conscientiæ et liberationem a malo, quibus præparatur Confessio generalis et absolutio, et in fine adjiciuntur quidam versus quæ præparant Orationem. Ad ceteras *Parvas horas*, paucis versibus petuntur dispositiones bonæ ad Orationem finalem. Ex quibus elucet has omnes preces multum discrepare a precibus Laudum et Vesperarum.

Juxta hodiernam disciplinam distinguuntur Preces in *feriales* et *dominicales*.

Feriales seu flebiles dicuntur flexis genibus in choro (D. 2682, 41), in officiis pœnitentialibus : in officiis feriarum Adventus, Quadragesimæ et Passionis usque ad feriam IV Majoris hebdomadæ, Quatuor temporum (præ-

---

(1) Versus pro Episcopo omittitur Romæ ubi episcopus est Papa pro quo oratur in præcedenti versu, alibi vero ad litteram N. ab omnibus nomen diœcesani Episcopi exprimatur. Vacante Apostolica vel episcopali sede, alteruter vel uterque respectivus versus cum suo responsorio præteritur (Ordinar.)

(2) In recenti reformatione breviarii Pius X addidit orationem pro Papa et pro episcopo, suppressit vero psalmum *De profundis* ad Laudes et *Miserere* ad Vesperas. Quam merito duplex hæc mutatio sit inducta ex præcedentibus apparet.

(3) Iidem versus recitantur partim in ultima parte hymni *Te Deum* partim post hunc hymnum. Quare in Completorio et in Prima addatur *Credo*, videbimus infra.

terquam infra octavam Pentecostes) et Vigiliarum, præterquam Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis et Pentecostes.

Dicuntur autem, prout prostant in Ordinario, ad horas singulas, excepto Matutino, etiam quando separatur a Laudibus (D. 4011, 1). Ad Primam sunt longiores quam preces dominicales. Sedulo notandum Preces feriales dicendas esse « si fiat officium de feria aut vigilia currenti etiamsi in eo peragenda sit commemoratio Duplicis aut Semiduplicis ad instar Simplicis redacti », ut non raro occurrit in feriis privilegiatis.

Dominicales Preces dicuntur, ad Primam (et sunt breviores) et ad Completorium tantum, extra festa duplicia eorumque octavas.

Dicendæ igitur sunt « in quolibet officio semiduplici, in officio Sanctæ Mariæ in sabbato, in festis simplicibus et in feriis per annum communibus aut temporis paschalis. Omittuntur tamen in vigilia Epiphaniæ et Pentecostes et in omnibus insuper diebus in quibus ad Laudes habita sit commemoratio Duplicis vel factum fuerit officium aut commemoratio cujusvis octavæ (etiam simplicis) vel feriæ VI post octavam Ascensionis ».

C. Callewaert.

Acta SS. Congregationum.

E S. Congr. Rituum.

I.

BERGOMEN. (1)

Ordinarius Bergomensis Sacræ Rituum Congregationi sequentia dubia reverenter exposuit :

« I. An liceat vel expediat in solemnioribus processioni-
« bus, quibus defertur Ssmum Eucharistiæ Sacramentum,
« præcipue cum finis imponitur Eucharisticis conventi-
« bus, deferre Ssmum Sacramentum super currum trium-
« phalem, baldachino coopertum, magnificeque exorna-
« tum, equis tractum, super quem ascendit etiam sacerdos
« qui processioni præest, quique Ostensorium regit
« genuflexus ?

« II. An usus currus et equorum, ut supra, liceat vel
« expediat cum, loco Ssmi Sacramenti, deferuntur vel
« statuæ Beatæ Virginis Mariæ, vel Sanctorum exuviæ ?

« III. An usus currus et equorum, ut supra, liceat vel
« expediat non solum ratione extraordinariæ solemnitatis,
« sed etiam cum processio iter nimis longum percurrere
« debeat ?

« IV. An currui equis tracto possit substitui vehiculum
« quod vulgo *automobile* audit? ».

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, præpositis quæstionibus respondendum censuit: *negative in omnibus, et ad mentem.* Atque ita rescripsit et declaravit die 28 octobris 1922.

Mens est: Quoad primam quæstionem præclarum exstat exemplum Congressus Eucharistici Internationalis Romæ habiti anno 1922, in quo nullus currus adhibitus fuit pro deferendo Ssmo Eucharistiæ Sacramento in solemni processione; idque omnino factum est iuxta dispositiones *Cæremonialis Episcoporum*, lib. II, cap 33, *de processione Ssmi Sacramenti in Festo Corporis Christi*, et Decretorum.

Ex Secretaria S. R. C., die 22 februarii 1924.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 103 s.

II.

DUBIA (1)

Sacræ Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione proposita sunt sequentia dubia ; nimirum :

« I. An in novis rubricis generalibus Missalis Romani « tit. I, n. 1, ubi agitur de pluribus Missis Conventualibus « sive in choro sive extra chorum celebrandis, compre- « hendantur etiam ecclesiæ Religiosorum in quibus « adest obligatio chori?

« II. An post editionem typicam Breviarii Romani, « adhuc in suo robore maneat decretum S. R. C. 3572 « Rhedonen. 27 Februarii 1883, ad I, quo Hymnus *Te* « *Deum* in Officio parvo B. Mariæ V., dici debet a Nativi- « tate Domini usque ad Adventum; in Adventu autem et « a Septuagesima usque ad Pascha, tantummodo in « festis B. Mariæ Virginis? »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, respondendum censuit:

Ad I. *Negative;* seu non comprehendi, nec teneri Religiosos, iuxta Rubricas generales Missalis tit. III, n. 2 et canones 413, §§ 1, 2 et 610, § 2 Cod. iur. can. et Decreta (1331-1332) 13 Februarii 1666 ad 6; (2514) 27 Martii 1779 ad 5; et Decretum generale (3757) 2 Decembris 1891 ; seclusis legitima consuetudine aut eorum constitutionibus.

Ad II. *Affirmative.*

Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 2 maii 1924.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. Præfectus

L. † S. Alexander Verde, *Secretarius.*

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 248 s.

Acta Pii XI de anno sancto.

Summus Pontifex Pius Pp. XI die 29 maii 1924 solemniter indixit universale jubilæum anni sancti 1925 in Urbe celebrandum inde a prima vespera Natalis Domini anni 1924 usque ad primam vesperam Natalis Domini anni 1925 (1). Præter finem communem omni jubilæo, homines scilicet alliciendi ad culpæ expiationem vitæque emendationem, huc in specie præsens jubilæum magnum spectat, ad excitandos nimirum animos universe ad altiorem sanctitatis gradum atque ad societatem hominum civilibus et religiosis dissidiis misere divisam vinculo fraternæ charitatis coadunandam.

Conditiones ad lucrandam hanc plenissimam peccatorum indulgentiam sunt 1. confessio, 2. s. communio, 3. visitatio quatuor basilicarum s. Petri, s. Pauli, s. Joannis ad Lateranum et s. Mariæ majoris semel saltem in die, per viginti dies continuos aut interpolatos pro iis qui Romæ degunt cives aut incolæ, per decem vero dies pro iis qui peregre venerunt, tandem 4. preces ibidem fusæ ad mentem Summi Pontificis. Mens autem S. P. præter intentiones consuetas peculiare aliquid hac jubilæi occasione intendit, ut pax scilicet inter populos restituatur, ut acatholici omnes ad veram Christi Ecclesiam confugiant, ut res Palæstinenses juxta sanctissima jura catholici nominis ordinentur et componantur. Pro iis vero qui aut morbo aliaque legitima causa in Urbe vel in ipso itinere prohibiti aut morte interim prærepti visitationes præcriptas nondum compleverint neve inchoaverint, sufficit ad lucrandam indulgentiam ut a culpis rite absolvantur ac s. communione reficiantur, quin memoratas basilicas invisere debeant.

Uti semper promulgata jubilæi indulgentia fieri solet, ita nunc constitutione *Ex quo primum* diei 5 julii 1924 (2) extra Urbem suspenduntur indulgentiæ et facultates per totum anni sancti decursum, iis tamen exceptis quæ sequuntur.

---

(1) Indictio jubilæi, *Infinita Dei misericordia*, cfr hoc tomo, p. 265 ss. — Qui plura velit circa indulgentiam jubilæi anni sancti conferat *Collat. Brugen.*, t. V, anni 1900.

(2) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 305 ss.

A. *Quoad indulgentias.*

« Ex indulgentiis, quæ pro vivis concessæ sunt, ait S. P., has quæ sequuntur, integras atque immutatas permanere volumus :

I. Indulgentias *in articulo mortis* lucrandas.

II. Eam, qua frui omnibus licet, quotquot, ad sacri æris pulsum, *Salutationem angelicam*, aliamve pro temporis ratione precationem, recitaverint.

III. Indulgentias iis tributas qui pie templa inviserint, ubi Sacramentum augustum *quadraginta horarum* spatio adorandum proponitur.

IV. Indulgentias, quas eos lucrari decretum est, qui Sacramentum augustum, cum ad ægrotos defertur, comitentur, aut cereum vel facem per alios ferendam ea occasione mittant.

V. Indulgentiam, toties quoties lucrandam, iis concessam, qui Sacellum Portiunculæ in templo S. Mariæ Angelorum, prope Assisium, pietatis causa, adierint.

VI. Indulgentias, quas S. R. E. Cardinales, Apostolicæ Sedis Nuntii, itemque Archiepiscopi et Episcopi in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent.

Ceteras omnes indulgentias plenarias et partiales, aut ab Apostolica Sede directe concessas, aut ab aliis quoquo pacto concessas concedendasque ex facultate iure ipso vel peculiari indulto sibi facta, decernimus, per totum Annum Sanctum vivis nequaquam prodesse, sed tantummodo vita functis. Præsentium interea auctoritate Litterarum præcipimus ac mandamus, ut, præter Indulgentias jubilæi easque, quas superius singillatim excepimus nullæ præterea aliæ uspiam, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ aliisque pœnis arbitrio Ordinariorum infligendis, publicentur, indicantur vel in usum demandentur ».

B. *Quoad facultates.*

« Facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicæ Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, dispensandi præterea ab irregularitatibus et impedimentis, cuilibet quoquo modo concessa, extra Urbem eiusque suburbium, per jubilæi Maximi decursum, suspendimus nullique suffragari volumus.

Ne tamen ab innovata præsentis temporis disciplina recedamus, hæc per exceptionem decernimus ;

I. Ratæ sint facultates omnes per Codicem iuris canonici quovis modo concessæ, exceptis facultatibus ex privilegio provenientibus, per Codicem non revocato, ut ad canones 4 et 613.

II. Ratæ item firmæque sunto facultates pro foro externo ab Apostolica Sede tum Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis factæ, tum Ordinariis locorum et Antistitibus religiosorum Ordinum quoquo modo in subditos suos tributæ.

III. Quas denique facultates S. Pœnitentiaria Nostra impertire solet Ordinariis aut confessariis pro foro interno, easdem ne extra Urbem quidem suspendimus, sed ita ut erga eos dumtaxat pœnitentes exerceantur, qui, quo tempore confessionem peragunt, iudicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire ».

Altera constitutione *Si unquam alias* diei 15 julii 1924 (1) amplissimæ pœnitentiariis et aliis in Urbe confessariis tribuuntur facultates extraordinariæ pro anno jubilæi.

Tandem in constitutione *Apostolico muneri* diei 30 julii 1924 (2) indulgentiæ jubilæi conceduntur, uti fieri solet, monialibus aliisque stabili impedimento detentis cum opportunis facultatibus circa absolutiones.

Hujus concessionis participes sunt:

I. « In primis moniales omnes, quæ in cœnobiis degunt sub claustri perpetui disciplina ; item quæ in iisdem monasteriis aut probandæ et postulantes sunt aut tirocinium exercent aut educationis aliave legitima de causa, etsi per maiorem tantummodo anni partem, commorantur. Neque excipi volumus mulieres earum contubernales, quæ, famulatus vel stipis colligendæ gratia, sæpta religiosa egrediuntur.

II. Omnes religiosæ Sorores, scilicet votorum simplicium, quæ ad Congregationem pertineant iuris sive pontificii sive diœcesani, quamquam severiore claustri

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI. p. 309 ss. Advertamus quod ibi p. 314 stipulatur: « Pœnitentiarii ac confessarii, ... sciant se descriptis facultatibus non posse uti denuo cum iis pœnitentibus, qui indulgentiam — quam acquiri pluries licet in defunctorum suffragium, iteratis operibus præscriptis — jam semel lucrati sint ».

(2) *Ibidem*, p. 316 ss.

lege non adstringuntur, una cum suis novitiis, probandis, atque educandis puellis — semiconvictricibus quoque, ut aiunt, non tamen externis, aliisque communi cum ipsis mensa utentibus, domicilio vel quasi domicilio.

III. Pariter Oblatæ, seu piæ feminæ, vitæ societate coniunctæ, etiamsi vota non emittant, quarum tamen Instituta ab Ecclesiastica auctoritate vel ratione stabili vel ad experimentum probata sint, una cum suis novitiis, probandis, puellis educandis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, ut de Congregationibus religiosis n. II diximus.

IV. Omnes feminæ ad quemvis Tertium Ordinem Regularem pertinentes, quæ sub uno eodemque tecto, cum approbatione ecclesiastica, communiter vivunt, itemque, ut supra, omnes earum contubernales.

V. Puellæ et mulieres in gynæceis seu Conservatoriis degentes, quamvis non sint Monialibus, Sororibus religiosis, Oblatis Tertiariisve concreditæ.

VI. Anachoretæ et Eremitæ, non ii quidem, qui nullis adstricti clausuræ legibus vel communiter vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus obtemperantes vivunt; sed ii, qui in continua — licet non omnino perpetua — clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt et monasticum aut regularem Ordinem profitentur, ut Cistercienses Reformati B. M. V. de Trappa, Eremitæ Camaldulenses et Carthusiani.

VII. Christifideles utriusque sexus, qui captivi in hostium potestate versantur, aut in carcere custodiuntur aut exsilii pœnas deportationisve luunt aut apud pœnales domos ad opus damnati reperiuntur; item ecclesiastici vel religiosi viri, qui in cœnobiis aliisve domibus, emendationis gratia, detinentur.

VIII. Christifideles utriusque sexus, qui morbo vel imbecilla valetudine prohibentur, quominus, intra jubilæi annum, aut Urbem adeant aut in Urbe præscriptas Patriarchalium Basilicarum visitationes instituant; qui in nosocomiis, conducti vel sponte ipsi sua, ægrotantibus, continuatâ operâ, adsunt; item operarii, qui, cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot dies atque horas abstinere; senes denique, qui septuagesimum ætatis suæ annum excesserint ».

Conditiones vero ab iis intra annum sanctum implendæ ad lucrandum jubilæum sunt confessio, communio,

preces ad intentiones Summi Pontificis supra indicatas et tandem opera religionis, pietatis et caritatis quæ Ordinarius per se vel per prudentes confessarios visitationi basilicarum Urbis pro conditione et valetudine singulorum ac pro loci temporisque rationibus substituerit (1). Imo etiam bis intra anni sancti decursum indulgentiam jubilæi lucrari possunt si injuncta opera iteraverint.

Præterea licet « unicuique eorum, quos supra memoravimus, sibi confessarium eligere a suo Ordinario ad præscripta Codicis approbatum, cui, vi præsentis Constitutionis, pro confessione dumtaxat ad lucrandum jubilæum instituta, concedimus, ut, sine detrimento earum facultatum, quas forte alio titulo exercere possit, personas supra dictas in foro sacramentali tantum absolvere queat a quibusvis censuris et peccatis etiam Apostolicæ Sedi speciali modo, non tamen specialissimo modo, reservatis, excepto casu hæresis formalis et externæ, impositis salutari pænitentia aliisque secundum canonicas sanctiones rectæque disciplinæ regulas iniungendis. Præterea confessario, quem monialis sibi elegerit, potestatem facimus dispensandi a votis privatis quibuslibet, quæ ea ipsa post professionem sollemnem nuncupaverit quæque regulari observantiæ minime adversentur. Confessarios autem supra memoratos volumus etiam dispensando commutare posse omnia vota privata, quibus Sorores in Congregatione votorum simplicium, Oblatæ, Tertiariæ regulares, puellæ et mulieres communibus domibus vitam agentes, sese obstrinxerint, iis votis exceptis quæ Nobis et Apostolicæ Sedi reservata sint (2): factaque commutatione, a votorum etiam iuratorum observatione absolvere ».

---

(1) Etiam *inchoata* illa opera in locum visitationum injuncta sufficiunt si morbus periculosus oppresserit.

(2) Cfr Can. 1309: « Vota privata Sedi Apostolicæ reservata sunt tantummodo votum perfectæ ac perpetuæ castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quæ emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum ætatis annum ».

Notæ Bibliographicæ

Janssens, Al. (Miss. van Scheut). *De h. Drievuldigheid.* Gent, Uitgeversfirma « Tspycker », 1924. — In 8, 124 bl. — Pr. 9.35 fr.

Dit is een eerste traktaat van een reeks leerboeken der dogmatica in 't vlaamsch, die zeker bij ontwikkelde leeken bijzonder bijval zal oogsten. Na kortbondige inleidende gegevens over eenige begrippen (mysterie, persoon, natuur, verhouding), over 't kerkelijk spraakgebruik en de vorming der terminologie (bl. 1-9), beschouwt S. achtereenvolgens in vier hoofdstukken: het mysterie der h. Drievuldigheid uit de openbaring bewezen (bl. 11-62); de leer der uitgangen of processies in God (bl. 63-101); de verhouding van de Drieëenheid naar buiten (bl. 103-107); de h. Drievuldigheid en de rede (bl. 109-121).

Zooals uit deze korte samenvatting van 't boek aanstonds blijkt, komt de positieve theologie, die 't dogma moet vaststellen, hier tot haar volle recht, des te meer daar in het tweede hoofdstuk nog bewijzen uit de h. Schrift en Overlevering worden bijgebracht. De scholastieke theologie wordt met veel zorg, doch hier en daar wat heel kortbondig uiteengezet. Het werk van P. Janssens zou er zeker bij winnen kon S. in een volgende oplaag dichter bij de volgorde van s. Thomas blijven en den gedachtengang volgenderwijze ontwikkelen: de uitgangen in God (processiones); dan de verhoudingen (relationes); eindelijk de goddelijke personen. Dan ook zou beter uitschijnen hoe positieve en scholastieke theologie, of liever nog positieve en speculatieve methode (1) nopens een zelfde dogma achtereenvolgens moeten en kunnen gebruikt worden en dan verder ineenwerken. Hier en daar zou in 't scholastieke deel ook nadere bepaling en verder uitleg gewenscht kunnen worden, bijzonder waar spraak is over den uitgang van den h. Geest; circuminsessio en circumincessio staan ook zoo ver van elkander niet af (2), als S. schijnt te denken.

Het boek zal nochtans heel nuttig zijn voor ontwikkelde leeken, die begeeren hun geloof grondig te kennen; zou het dan ook voor hen niet beter zijn geweest waren de latijnsche aanhalingen uit den tekst geweerd gebleven en enkel in de voetnotas, waar 't noodig scheen, aangegeven? Voor onze priesters die deze hooge waarheden aan het volk moeten prediken en hun godgeleerdheid in 't latijn studeerden, wat ook beter is en zeker volgens de inzichten van Z. H. den Paus (3), zal het boek van P. Janssens heel dienstelijk zijn, daar de vertaling der latijnsche bewoording over 't algemeen juist en wel gepast is (4).

---

(1) Cfr *Epist. apost.* diei 1 aug. 1922 (*Collat. Brugen.*, XXII, p. 358).

(2) Zie hooger bl. 373.

(3) Pius pp XI, *Epist. cit.*, apud *Collat. Brugen*, XXII, p. 355 s.

(4) Ons dunkt ook (zie *Ons Geloof*, aug.-sept. 1924, bl. 383) dat *uitboezeming* min wel de *spiratio activa* weergeeft; daarbij is *accidens* zeker niet door *toevalligheid* te vertalen.

Pègues, Th (O. P.). *Commentaire français littéral de la Somme théologique de saint Thomas.* T. XV. *Le Rédempteur.* Paris, Téqui, 1924. — Gr. in 8, VIII-641 p. — Pr. 30 fr.

Le présent volume aurait dû paraître dans le courant de l'année 1920, mais les difficultés de l'après-guerre, nous avertit l'A., en ont empêché la publication jusqu'à ce jour. Il est inutile sans doute de faire à nouveau l'éloge de l'œuvre magistrale du T. R. P. Pègues; nous ne pourrions que répéter ce qui a été dit déjà plus d'une fois dans cette revue même. Dans un compte-rendu précédent (1), nous avons fait connaître le but que l'A. se propose ainsi que la méthode qu'il emploie; il nous suffira dès lors d'indiquer exactement le sujet que traite ce t. XV et de montrer la place qu'il occupe dans l'ensemble de l'œuvre.

Avec ce t. XV de son commentaire la T. R. P. Pègues aborde la troisième partie de la somme théologique et le présent volume comprend les 26 premières questions de cette troisième partie. Il y est traité, remarque l'A., de ce qu'on appelle parfois le mystère du Christ, pour le distinguer des questions qui suivent, et qui formeront la matière du prochain volume, depuis la question 27 jusqu'à la question 59, où s. Thomas traite de ce qu'on a appelé les mystères du Christ. Ce t. XV peut donc s' intituler *Le Rédempteur;* le tome suivant portera comme titre *La Rédemption.* Le premier correspond donc à un traité de Verbo incarnato, où il ne serait question que de l'incarnation du Verbe; le second à un traité de Deo redemptore où l'on ne considérerait que l'œuvre de la rédemption. Cette division a certainement l'avantage de marquer fortement l'unité de ce traité dogmatique si diversément intitulé souvent; elle marque bien également la thèse de s. Thomas: la fin prochaine de l'incarnation est la rédemption du genre humain (2).

L'importance des questions traitées dans ce t. XV ressort suffisamment de son objet: le Christ, vrai Dieu et vrai homme; et le mode dont s. Thomas a traité cet objet est si parfait, que le Christ lui-même, nous dit l'A., a daigné se porter garant de cette perfection: c'est au moment où le s. docteur venait de terminer son étude sur le Christ, qu'il fut gratifié de cette vision extatique, dans la chapelle de Saint-Nicolas, où le Fr. Dominique de Caserte entendit ces paroles qui partaient du crucifix, devant laquel s. Thomas se trouvait en extase: « Bene scripsisti de me, Thoma ».

Nous recommandons vivement l'excellent ouvrage du T. R. P. Pègues à tous ceux qui, dans une langue vivante et claire, désirent goûter à sa source la doctrine si riche et si sûre du «Doctor communis».

Van der Meersch, J. *Tractatus de divina gratia.* Ed. altera. Brugis, Beyaert, 1924. — Maj. in 8, XV-391 p. — Pr. 25 fr.

In hac altera editione tractatus sui de gratia cl. A. præter emendationes quasdam, quædam etiam adjungit tum in explicandis thesibus et

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XXII, p. 95 s.
(2) *Ibidem.* XX, p. 455 s.

earumdem demonstrationibus, tum in exponendis auctorum opinionibus, tum in solvendis objectionibus; novas hinc inde addit considerationes; in appendice vero tractat de B. M V. omnium gratiarum mediatrice necnon de caritate prout hæc est forma virtutum. Methodo utitur præcipue scholastica, non neglecto tamen munere quod theologiæ positivæ designatur, atque, uti testatur illust. ac rev. Episcopus in approbatione sua, egregium conscripsit tractatum, « qui genuinam Ecclesiæ doctrinam et theologicam scientiam de gratia Dei accurate exhibet atque iis qui hujus materiæ studio incumbunt tutam demonstrat viam ».

H. Lamiroy.

Mothon, P. (O. P.). *Institutions canoniques à l'usage des curies épiscopales, du clergé paroissial et des familles religieuses.* T. I. Des Personnes; T. II. Des sacrements et du culte divin; des délits et des peines; T. III. Formulaire et table analytique des matières. Paris-Bruges, Desclée, 1922-24. — In 8, xxii-928, xv-859 et xxv-852 p. — Pr. 20 fr. par vol.

Ces *Institutions canoniques* ont été conçues par l'auteur comme une vulgarisation des canons du Code de droit canonique et des décisions récentes du S. Siège. Dans son premier volume il expose les lois et principes contenus dans les deux premiers livres du Code, en omettant tout ce qui se rapporte au Pontife Romain, aux officiers de la Curie Romaine considérés en eux-mêmes, au concile œcuménique et aux supérieurs des pays de missions. Le 2e volume expose la plupart des questions traitées au troisième et au cinquième livre du Code. Le 3e comprend trois parties: un formulaire de 510 p., quelques pages d'additions et de corrections et une table analytique des matières par orde alphabétique de 270 p.

L'auteur avertit ses lecteurs que son ouvrage « a été rédigé en vue d'un but pratique, bien plus que scientifique ». Nous ne nions pas qu'il ait son utilité à ce point de vue, mais ce sera probablement le formulaire, qui rendra le plus de services aux curies épiscopales et aux prêtres, parce que d'une part il facilite de beaucoup la besogne en épargnant les recherches inutiles et que d'autre part il évite les inexactitudes et les oublis, qui se glissent aisément dans la rédaction d'un acte juridique. Cependant, même à ce point de vue pratique nous nous sommes demandé, en parcourant le livre, si toutes les solutions indiquées sont bien conformes aux principes juridiques. D'autres auteurs (1) ont fait au sujet du premier volume des critiques bien fondées, croyons-nous et nous regrettons que l'auteur, qui en a admis quelques-unes dans les additions au 3e volume, ne les ait pas utilisées davantage.

Au 2e volume on trouve des questions canoniques, des questions de morale et des questions liturgiques. Les premières, les plus nombreuses, ne sont bien souvent qu'une traduction sans commentaire des

(1) Cfr J. Creusen, dans *Nouvelle Revue Théologique*, 1923, p. 219.

canons du code. Remarquons qu'on risque d'être inexact, en se permettant trop de liberté dans une traduction de textes juridiques, qui sont souvent très serrés et où chaque mot porte. La lecture des art. 1821, 2516, 2521, 2386, 2743, 2746, 2749, 2751, 2676, 2760, 2762, 2776, 2786 et 2787 prouvera suffisamment cette assertion. L'exposé des règles et rubriques à observer dans la plupart des offices liturgiques sera probablement la partie la plus utile de ce volume.

En somme, tout en reconnaissant les réels mérites de cet ouvrage, nous pensons toutefois qu'il pourra difficilement servir de fil conducteur en des matières aussi complexes et aussi importantes.

Vermeersch, A. (S. J.). *Petit catéchisme des vœux solennels.* Bruges, Beyaert, 1924. – In 8, 50 p. — Pr. 1,50 fr.

Ce petit livre du R. P. Vermeersch rendra de grands services à beaucoup d'âmes vouées au service du Seigneur. C'est un catéchisme où l'on trouve une réponse brève, mais claire et exacte à une foule de questions, qui ont été formulées par des religieuses après l'apparition du Décret de la S. Congrégation des religieux, en date du 23 juin 1923, qui rouvrit aux moniales de France et de Belgique la perspective des vœux solennels. On y trouve un exposé très net des conditions à remplir pour obtenir la solennité de la profession et la description des effets éventuels que cette solennité entraînerait. Nous recommandons très vivement ce petit catéchisme à toutes les moniales intéressées, qui difficilement trouveront un guide plus sûr.

J. Brys.

Poppe, E. J. M *Eucharistische parochiewerking.* Averbode, Abdij, 1923. — In 8, IV-144 bl. — Pr. 3 fr.

Dit boek is eene verdere uitbreiding van 't verslag door schrijver voorgelezen op 't diocesaan eucharistisch congres van Gent. Een dubbele vraag wordt er in beantwoord: 1° Hoe zal men de veelvuldige h. Communie in voege brengen 1. onder de kinderen, 2. onder de volwassenen; 2° Op welke wijze zal men de kleinen tot de h. Communie voorbereiden? We hopen dat al onze priesters dit boek zullen lezen: 't mag hun bijna onveranderd als een handleiding gelden in geheel hun eucharistische werking. 't Straalt van de leering die erin steekt, 't gloeit van den ijver die het ingaf, 't leeft van juiste menschen- en kinderenkennis.

Tanquerey, Ad. *Précis de théologie ascétique et mystique.* Desclée et Cie, Bruges, 1923. — 2 vol. in 12, XXXVI-396-27, XII-1007 p. — Pr. 18 fr.

Ce livre est le digne couronnement d'une vie entièrement consacrée à l'étude du dogme et de la morale (1), à l'enseignement théologique,

(1) Tous nos lecteurs connaissent du même auteur. *Synopsis theologiæ dogmaticæ specialis, Synopsis theologiæ moralis et pastoralis, Brevior synopsis theologiæ dogmaticæ, Brevior synopsis theologiæ moralis et pastoralis.*

à la formation du clergé et à la direction des âmes. Aussi ce *Précis* présente-t-il toutes les qualités requises pour devenir à brève échéance un manuel classique de cette branche de la théologie et un livre de chevet pour les âmes en quête de vie intérieure et de perfection chrétienne. La partie dogmatique se distingue dans sa concision, par sa clarté et sa précision; l'exposé se poursuit avec méthode et netteté; les moyens généraux de perfection sont décrits en vue de leur application pratique, et ici l'auteur fait preuve d'une profonde expérience du cœur humain. Dans la première partie de l'ouvrage, sont exposés les principes, c. a. d. d'une part les dogmes qui sont à la base de toute vie spirituelle, d'autre part les moyens généraux de perfection qui en découlent.

La seconde partie est plutôt psychologique et retrace les trois étapes classiques de l'ascension spirituelle de l'âme avec les moyens spéciaux que chacune d'elles comporte. L'auteur ne s'arrête pas à mi-chemin : il nous mène jusqu'au plein épanouissement de la vie surnaturelle, c. a. d. la contemplation mystique, infuse ou passive.

Outre les qualités déjà mentionnées signalons encore un grand mérite de cet ouvrage, à savoir sa bibliographie chronologique, méthodique et sagement triée: nos confrères y trouvent un précieux catalogue des meilleurs livres spirituels, sauf à compléter par eux-mêmes certaines lacunes, d'ailleurs inévitables. Le *Précis* de M. Tanquerey devrait être entre les mains de tout nos prêtres.

Charles, P. (S. J.). *La prière de toutes les heures*. Trois séries de 33 méditations. Bruges, Beyaert, 1923-1924. — 3 vol. in 8, XIV-170, XIV-166, XIV-168 p. — Pr. La série 5 fr.

L'auteur, en une langue dont on admire la richesse et la précision des termes, en un style dont le réalisme parfois éveille l'attention en choquant un peu, s'attache à pénétrer le lecteur de cette pensée que la vie présente n'est que le noviciat de la vie future, un apprentissage au métier de bienheureux, un essayage aux fonctions d'élu. Comment on peut aller vers Dieu, comment Lui-même vient vers nous, comment on aboutit à Dieu par un sacrifice total de notre amour propre. « Quand nous nous serons réconciliés du fond du cœur avec tout notre devoir; quand l'ambiance morne, le milieu terne, la besogne aride ne seront plus des obstacles à notre oraison, nous pourrons commencer à prier toujours et nous ne cesserons plus de trouver Dieu » (1). Sans doute, dans ces méditations, tout ne plaira pas également à chacun, mais chacun y trouvera cependant de quoi nourrir son âme.

A. LEGRAND.

(1) 3e série, p. XIII.

Opera ad redactionem missa (1)

Blanc, E. (Mgr). *Les visions de Saint Jean.* Paris, Téqui, 1924. — In 12, VIII-473 p. — Pr. 10 fr.

De Katholieke Missie. Brugge, Excelsior, 1924. — In 8, XIV-348 bl.

Flicoteaux, E. (DOM) *Le culte du saint précurseur.* Esschen, Imp. Saint-Alphonse, 1924. — In-8, 59 p. — Pr. 2 fr.

Gaell, R. *Les grandes guérisons de Lourdes. Celle qui ressuscita.* 7e mille. Paris, Téqui, 1924. — In-8, VIII-241 p.

Hanquet, R. *Documents relatifs au grand schisme.* Textes et analyses, t. I Suppliques de Clément VII. Vol. VIII des Analecta Vaticano-belgica. Bruxelles, Imbrechts, 1924.

Het Eucharistisch uur, naar het engelsch door P. Bernardinus D'Hooghe, O. F. M. Mechelen, St-Franciscus-drukkerij, 1924. — In 12, XXII-230-27* bl. — Pr. 3 fr.

Honoré, L. (S. J.) *Le secret de la confession.* Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, XXI-158 p.

Lanier, H. *Sur les pas de l'Immaculée.* Paris, Téqui, 1924. — In 32, 93 p. — Pr. 1 fr.

Léon de s. Joachim (Carm. disc.). *La bienheureuse Thérèse de l'Enfant-Jésus.* Bruges, Desclée, 1924. — In 8, 47 p.

Le salut assuré par la dévotion á Marie. 5e ed. Paris, Téqui, 1924. — In 32, XI-187 p. — Pr. 2 fr.

Perreyve, H. *Méditations sur les saints ordres*, nouv. éd. Paris, Téqui, 1924. — In 24, 196 p. — Pr. 1,50 fr.

Id. *Œuvres posthumes, sermons*, 6e ed. Paris, Téqui, 1924. — In 12, 374 p. — Pr. 6 fr.

Uccello, S. (C. SS. S.) *Biblia Mariana* seu Commentarium biblico-patristicum in litanias lauretanas necnon in varia B. Virginis Mariæ nomina, titulos ac præconia alphabetice disposita. Accedit Commentarium Mariale-Eucharisticum ex Patrum scriptis. — Torino, Marietti, 1924. — In 16, VIII-400 p. — Pr. 12 lib. ital.

Id. *Enchiridion sacerdotale* ad Eucharisticam adorationem atque prædicationem faciendam juxta quadruplicis sancti sacrificii finis methodum. Accedit Epitome Eucharistica ex ss. Patrum ac scriptorum dictis. Torino, Marietti, 1924. — In 16, 356 p. — Pr. 7 lib. ital.

Verschaeve, C. *De schoonheid in 't Evangelie.* Brugge, Excelsior, 1924. — In 8, 32 bl.

Id. *Jakob van Artevelde.* Brugge, Excelsior, 1924. — In 8, 137 bl.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc indicantur, in sequentibus fasciculis parebunt.

Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam.

Tabula III.

Regnum Dei supernaturale, per peccatum turbatum, restauratur et perficitur per Verbum incarnatum, Redemptorem (1).

Pars altera.

Adventus Christi, ejusque opus redemptionis.

I. — Vita Christa abscondita.

In plenitudine temporum exspectabatur Salvator a Judæis (2), utpote quibus concreditæ erant promissiones et quorum tota institutio et conservatio per sæcula signum erat supernaturale veritatis promissionum. Exspectabatur etiam a Samaritanis (3). Exspectabatur a Gentilibus, qui nuntium ejus ab Israëlitis dispersis audierant et miseriis obruti facile credebant. Exspectabatur tandem et a diabolo, qui jam ab initio lapsi generis humani præmonitus fuerat (4).

A Judæis autem exspectabatur juxta prophetias ut filius David, et ut alter David recte quidem secundum intellectum spiritualem, ex falso vero et carnali intellectu oraculorum, perperam uti rex terrenus, qui armis devinceret orbem et, ubique terrarum exstincta idololatria, cultum veri Dei regnumque judaïcum restitueret, regnaturus in perpetuum (5).

---

(1) Vide supra pag. 353-354.

(2) Uti constat ex pluribus evangeliorum locis, v. g., *Matt.* II, 1 et sqq.; XI, 3 sqq.; XXI, 9; XXVI, 63; XXVII, 11, 37, et loc. parall. aliorum evangeliorum; item *Luc.*, II, 25, 26, 38; III, 15; XXIII, 51 (*Marc.*, XV, 43); XXIV, 21; *Joan.*, I, 19-27, 41, 45-51.

(3) *Joan.*, IV, 25-30.

(4) *Gen.*, III, 15.

(5) Cf. I *Paral.*, XVII, 11-14.

Contra hanc universalem exspectationem judaïcam, venit Christus in summa humilitate, quod tamen ipse Messias esset *fidei* præbens argumenta clarissima. Scilicet, in plenitudine temporum, et cum removisset Deus familiam David ab omni spectabilitate humana, secundum oracula prophetarum Virgo Maria, ex stirpe David, pauper, desponsata Joseph fabro, pariter de familia Davidis, credidit nuntio Gabriëlis archangeli, et postquam credens consenserat divinæ voluntati, ignorantibus sponso et diabolo, Nazareth, in civitate Galileæ, concepit Christum de Spiritu Sancto (1).

Christus autem statim a conceptione acceptavit munus redimendi morte sua a morte æterna fratres suos secundum carnem omnes, satisfaciendo morte sua divinæ justitiæ, et merendo ut Deus concederet pro omnibus media salutis : remissionis peccatorum et gratiæ perveniendi ad vitam æternam. In duplicem hunc finem — *Sedulo nota* — scilicet mortis suæ vicariæ, et communicationis fructus ejus per *fidem* in Ipsum, ædificationis proinde Ecclesiæ ad similitudinem suam : primo quidem, permanet Christus in statu paupertatis, humilitatis, omnimodæ passibilitatis, contra universalem Judæorum et diaboli exspectationem ; secundo vero, simul dat signa supernaturalia suæ missionis divinæ seu quibus demonstrat se esse Messiam, Christum. Et hæc quidem signa Judæis erant vel motiva credendi, si essent bonæ voluntatis, vel, si secus, occasio incredulitatis adeoque contradictionis, nempe negationis et postea persecutionis. Diabolo vero, qui ex iisdem signis cognoscebat Jesum esse Christum, sed contra exspectationem eum videbat humilem ac passibilem, et simul ignorabat redemptionis modum, humilitas et passibilitas Christi erant ratio cogitandi se posse Christum perdere ac redemptionem impedire. Ita, ex diversis motivis, Judæi increduli et diabolus Christi mortem intendebant, illi quidem quoniam Chris-

(1) Vide *Matth.*, I, 18 sqq. ; *Luc.*, I, 26 sqq.

tum rejiciebant, hic vero quia, cognoscens Christum simulque ignorans modum redemptionis ac videns eum passibilem, putabat se morte Christi impediturum redemptionem (1).

Igitur Christus, adimplens missionem suam, mittit per longum iter, a Nazareth Galileæ in civitatem Juda (puta Hebron), matrem suam, ipso gravidam, ad præcursorem suum, ut hunc ipse sanctificaret in utero matris ejus, Elisabeth. uxoris Zachariæ sacerdotis inferioris ordinis, viri justi, utque per Spiritum sanctum eis revelaret mysterium incarnationis. Ibidem facit permanere matrem suam usque ad circumcisionem præcursoris, qua occasione cognati et vicini testes sunt apertionis oris Zachariæ, prædicantis — verbis intellectui divinitus illuminato claris, sed diabolo et male dispositis dubiam seu obscuram relinquentibus Christi divinitatem — incarnationem Verbi in matre præsente, et annuntiantis filium suum futurum præcursorem ejusdem Verbi incarnati, Messiæ seu Christi exspectati (2), ut hi adstantes testes res gestas inter suos ulterius divulgarent et spem Israël erigerent.

Reversus Nazareth Christus per angelum notificat mysterium Joseph inquieto, ut fide agnosceret Christum (3).

Instante partu, ut adimpleta conspiceretur prophetia de origine Christi et loco nativitatis ejus, occasione prævisæ et ad hoc ex parte Dei præordinatæ descriptionis universi imperii romani, mittit Mariam et Joseph in Bethleëm, ut ibidem nasceretur et cum Maria et Joseph in tabulis publicis inscriberetur. Effecit autem ut non esset

---

(1) Cf. hymnum, témpore Passionis *Pangue lingua lauream certaminis*, præsertim his tribus strophis :

Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret :
Et medelam ferret inde
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Conditor ;
Atque ventre virginali
Carne amictus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia :
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat :
Et Dei manus pedesque
Stricta cingit fascia.

(2) Vide hæc omnia narrata *Luc.*, 1, 39 sqq.

(3) Vide *Matt.*, 1, 18 sqq.

locus in diversorio et ut ipse nasceretur in stabulo. Verum manifestavit se per angelos pastoribus ovium, ut in præsepio fide agnosceretur et adoraretur, et per ipsos aliis hominibus annuntiaretur natus Salvator (1).

Octavo die a nativitate, quamvis esset supra legem, voluit circumcidi et sibi imponi nomen *Jesus*, utpote Salvator, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur (2). Voluit circumcidi ut, præter datum humilitatis et obedientiæ exemplum, profiteretur se esse de semine Abrahæ ; et ut diabolus, videns eum esse passibilem, hac occasione seipsum deciperet : ignorans enim redemptionis modum, exinde nihil non movit ut Christum e vivis tolleret, et ita opus redemptionis contra seipsum perficeret.

Die quadragesimo a nativitate mittit matrem suam ad templum, licet et ipsa Legi non esset subjecta, ad se oblatione pauperum purificandam ; sed et ipse, Legi superior vultsecundum Legem offerri et in forma pauperum redimi : tum ut, præter novum dandum exemplum humilitatis, ostenderet se esse de gente judaïca, tum ut in ipso templo se manifestaret Simeoni et Annæ, qui ipsum publice agnoscerent et prophetando annuntiarent suam missionem et passionem (3), necnon aliis hominibus piis, qui omnes bonum nuntium inter suos divulgarent, sicut ante nativitatem jam in montanis Judææ et in Jerusalem fecerant Elisabeth et Zacharias, et post nativitatem in Bethleëm pastores ovium.

Et hæc quidem omnia ut, collatis prophetiis cum iis quæ divulgabantur, homines pii præpararentur ad fidem in Christum, ad regnum Dei seu Ecclesiam, dum Christus postea publice prodiret et regnum suum prædicaret ac institueret.

Verum Christus, qui venerat ad redimendum omnes

---

(1) Vide *Luc.*, II, 1 ssq.
(2) *Luc.*, II, 21, coll. I, 31 et *Matt.*, I, 21.
(3) Hæc omnia vide apud *Luc.*, II, 22 sqq.

homines, quamvis non prædicaturus ipse extra terram Israël, voluit et a Gentibus agnosci et adorari.

Elegit igitur e Gentibus primitias, et Magos quidem, sapientes et divites, tum quia ex gentilitate sapientiores potius et ditiores crediturí erant in eum, tum ut haberent accessum ad aulam regiam Herodis, eorum dictis fides adhiberetur, tota civitas Jerusalem conturbaretur, consuleretur Scriptura et, occisione infantium prævisa et non impedita, jam latius per orbem nativitas Christi divulgaretur. Hunc in finem fecit apparere stellam, juxta prophetiam Balaam gentilis (1), Magos instruxit quod stella significaret nativitatem Messiæ in Judæa, eos movit ut irent eum adoraturi, in itinere subtraxit stellam ut accederent in Jerusalem ad regem, eloquio divinæ Scripturæ instructos mittit in Bethleëm, stella rursum apparente ducit ad locum ubi erat, et ubi invenerunt eum in summa humilitate, ut fide eum agnoscerent et adorarent. Tandem per angelum monitos remittit per aliam viam in regionem suam, ne redirent ad Herodem qui, instigante diabolo, meditabatur mortem Christi. Voluit autem Christus non impedire quin rex impius, putans se a Magis illusum, occideret omnes pueros in Bethleëm et in circuitu, a bimatu et infra secundum tempus stellæ, quod exquisierat a Magis, ut nativitas Christi magis per orbem nota fieret.

Ipse autem Christus, præmonito per angelum Joseph, fugam init in Ægyptum, et inde post mortem Herodis revertitur, non Bethleëm, in ditione Archelaï, impii et crudelis sicut pater ejus, et ubi facilius potuisset recognosci, sed Nazareth, unde Messias non exspectabatur, et « ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas : quoniam Nazaræus vocabitur (2) ». Quod forte ita intelligendum est : humilis ac contemptus erit sicut Nazaræi, etsi aliunde fidei præbiturus argumenta inconcussa suæ

(1) Vide *Num.*, XXIV, 17.
(2) *Matt.*, II, 23 ; consule interpretes.

missionis. Hæc fuga in Ægyptum et reditus facti sunt ut adimpleretur quod typice prædictum erat per prophetam dicentem : « Ex Ægypto vocavi filium meum » (1), ut diabolus confirmaretur in cognitione passibilitatis Christi, et ut, tempore apparitionis ejus in publicum, sola fide propter opera agnosceretur, vel ab incredulis rejiceretur (2).

Cum esset Jesus duodecim annorum, absentibus matre, patre putatitio, cognatis et notis, se miscet inter auditores doctorum Legis in Jerusalem per triduum, ut suis interrogationibus et responsis intelligere faceret ex Scripturis Christum advenisse, et, non obstante cæde bethleëmitica, suo tempore appariturum. Et hæc quidem erant quæ dicebat : « Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse ». Reversus Nazareth subditus erat Joseph et Mariæ, usque in diem apparitionis suæ in Israël (3).

Quid autem, tempore vitæ suæ absconditæ, per exempla virtutum, per supplicationes ad Patrem, per alia, fecerit in ordine ad redemptionem hominum, ad constitutionem futuræ suæ Ecclesiæ, et porro ad fœcundandam Ecclesiæ operam in finem usque mundi, Ipse novit qui fecit.

Et primo quidem intuitu mirum videri potest divinum Salvatorem inter homines apparere voluisse ut infirmum infantem, sicuti alios pueros paulatim excrescentem secundum corpus, et proficientem secundum animam « sapientia, et ætate, et gratia apud Deum, et homines » (4), et imo per triginta circiter annos absconditam omnino ac humilem vitam duxisse, dum tres tantummodo annos vitæ publicæ, prædicatione et opere redemptionis complendo insumpserit. Attamen præterquam quod ab ipsa conceptione sua, secreta actione multa

(1) *Osee*, XI, 1 (cf. *Exod.*, IV, 22) et *Matt.*, II, 15.
(2) De his omnibus *Matt.*, c. II.
(3) De his *Luc.*, II, 41 sqq.
(4) *Luc.*, II, 52.

effecit omniaque direxit ad opus suum redemptionis, ut supra notavimus, ad vitam absconditam non defuerunt rationes altissimæ multiplices jam insinuatæ. Sic enim demonstravit se vere hominem, ex humano genere natum. Et hæc humana natura quam assumpsit ex Virgine, operatione divina summi amoris, Spiritui sancto attributa, cum esset non tantum immunis a peccato, utpote natura Filii Dei, sed omnino integra, sicut eam Deus creavit in Adamo, adeoque pleno jure neque passioni neque morti subjecta, voluit tamen in ordine ad opus redemptionis eam assumere passibilem et mortalem, cum omnibus infirmitatibus nostris, absque illis quæ sunt ex peccato aut ad peccatum ducunt, et important rebellionem carnis adversus spiritum, virium sensibilium adversus superiores rationis vires. Sic clarius demonstravit se humanam vere naturam assumpsisse.

Præterea, ita agendo, puer natus in paupertate, summa humilitate et omnimodis doloribus et laboribus, et in hisce succrescens præbere potuit omnibus cujusvis ætatis et conditionis hominibus exempla cunctarum virtutum, quod et fecit quam perfectissime ; fuitque exemplar vitæ interioris omni exceptione majus, quo speciatim futuros suos apostolos, omnesque eisdem in quovis apostolatu successuros præclare docuit vitam externam apostolicam seu activam nequaquam fœcundam fore, nisi fundatam in vita interiore ac contemplativa ; quæ quidem doctrina eo clarior apparet quod ipse ad apostolatum exercendum, non egebat præparatione.

Mysteria vitæ absconditæ Christi, exempla ejus abnegationis cunctarum rerum terrenarum, commercium ejus intimum continuumque cum Patre cœlesti, supplicationes ejus pro humano genere redimendo, hæc omnia nobis præbent inexhaustam sanctarum meditationum materiam, nosque conducunt ad vitam unionis contemplativæ intimæ cum Deo.

† G.-J., Episc. Brugen.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis augusti-septembris propositas.

—

I.

Conversio eunuchi Æthiopis, Act Ap., VIII, 26-40.

Q. *Ex responso ad quæstionem præcedentem* (1), *determina quonam tempore, in historia primitivæ Ecclesiæ in libro Actuum relata, factum illud reponendum sit* (2).

R. Conversio Æthiopis a Philippo diacono peracta narratur quidem in *Act. Ap.*, post ministerium ab eodem Philippo apud Samaritanos incœptum et a Petro et Joanne absolutum, et ante conversionem Pauli ab ipso Christo et conversionem Cornelii ethnici a s. Petro. Nihilominus non ita patet factum Æthiopis etiam chronologice illo loco esse locandum, non quidem quasi ordini a Luca intento ulla in re contradici possit, sed ideo præcise quia non ita patet Lucam ordinem quo narrat intendisse tamquam ordinem quo facta locum habuerant (3). Missis enim aliis considerationibus quæ hinc inde forte invocari possent, habet s. Lucas, tum in Ev. tum in Act., aliquam in disponendis factis *methodum* sibi specialem quam *eliminationis* seu *exclusionis* vocant; nimirum non raro de persona vel de eventu quodam usque ad certum quod-

---

(1) Vide supra, pp. 393 s.

(2) Non *absoluti*, sed *relativi* temporis determinationem quæstione intendebamus.

(3) Quis non novit similem quæstionem moveri de Evangelio s. Matthæi, eamque communiter solvi in sensum negativum: s. Matthæus sæpius facta quæ refert non ordine chronologico disponere intenderit, sed ordine logico, dicta aut facta Jesu, quamvis tempore et loco distantia, propter similitudinem ad invicem apponere.

dam punctum omnia quæ de eo narranda novit refert et quasi exhaurit, ut deinde, quæstione illa sic eliminata seu exclusa, ordine temporis retrogrediens, alios eventus enarrandos assumat, quin tamen attentionem lectoris in hanc temporis inversionem provocet (1). — Nonne etiam hîc eamdem methodum applicuit? Ad hanc quæstionem sic respondere liceat:

1/ Hypothesi conversionem eunuchi Æthiopis hîc extra suum locum chronologicum narrari *nihil obstat:* ex una enim parte Lucas nullam omnino indicat connexionem chronologicam sive cum factis præcedentibus, sive cum factis sequentibus, — ex altera parte, etiamsi conversio hæc Æthiopis et ministerium apud Samaritanos statim supra narratum fuissent ab invicem tempore distantia et aliis factis in *Act.* relatis, puta conversione Cornelii, separata, obvium erat omnino ut Lucas, pro methodo sua eliminationis, ea duo facta unum alteri apponeret: in utroque enim facto videbat Philippum diaconum occupare primum locum et ideo bene potuit, antequam ad alia narranda transiret, hæc facta Philippi prius eliminare.

2/ Si vera esset sententia quam plures — quamvis immeritò, ut putamus (2) — propugnant, Æthiopem illum fuisse incircumcisum, tunc omnino probabilius æstimaremus conversionem illam *de facto* extra suum locum chronologicum fuisse a Luca relatam, dum de facto post conversionem Cornelii infra, cc. x-xi narran-

---

(1) Quod ut exemplo facili pateat: in evangelio suo incœpit, 1, 57 ss., dicere de Joanne Baptista; refert ejus nativitatem, circumcisionem, effectum in vicinos, canticum patris, et, siquidem de Joanne occupatur, pergit referre ejus pueritiam, adolescentiamque et commorationem in deserto usque ad annum trigesimum. His omnibus absolutis, sic quasi *eliminata* historia Joannis, nunc retrogreditur Lucas, et, quin indicet se non servare ordinem temporis, narrationi commorationis Joannis in deserto adjungit narrationem nativitatis Jesu. Quam male interpretaretur intentionem Lucæ et quantum erraret qui ordinem narrandi pro ordine chronologico assumeret! Cfr Camerlynck-Vander Heeren, *Commentarius in Actus Apostolorum*, p. 37.

(2) Vide supra, pp. 394 s.

dam esset reponenda. Revera in illa sententia non bene intelligitur *a*/ quomodo Philippus diaconus, nulla memorata revelatione speciali (1), tam facile solvat quæstionem de baptizandis ethnicis, dum ipse Petrus, princeps Apostolorum indigebit momentosa revelatione divina ad quæstionem eamdem solvendam; — *b*/ quomodo Lucas nullo verbo in lucem ponat indolem extraordinariam hujus conversionis alicujus ethnici, dum tamen infra tamquam gravissimam describet hujusmodi admissionem gentilium (cfr x-xi, xv); — *c*/ quomodo in sequentibus, ubi continuo agitabitur quæstio de admittendis ethnicis incircumcisis, nemo, neque ipse Lucas in narrando, neque Petrus aut Paulus aliive Apostoli, neque missionarii citandi xi, 19 ss., qui iidem videntur ac viii, 4, ullam allusionem faciat ad actum illum qui tanti momenti fuisset Philippi (2).

3/ In sententia quam supra tamquam omnino probaliorem elegimus (3), Æthiopem illum fuisse circumcisum quemdam, nihil utique demonstrat conversionem illam extra suum locum chronologicum narrari: illud tamen ex dictis sub 1°/ bene possibile esse apparet.

A. Vander Heeren.

II.

De libertate Dei in opere creationis.

Q. *Proba Deum* libere *creavisse mundum.*

R. — Agitur in propositione probanda de libertate electionis, quæ est proprietas voluntatis, qua hæc sese determinare potest ad unum medium in finem, alio

---

(1) Et si revelationem hujusmodi tam momentosam habuisset, nonne Lucas eam memorasset ?

(2) Aiunt quidem: conversio illa Æthiopis incircumcisi fuerit factum ordinis potius privati soliusque diaconi Philippi et communiter ignotum; ast hoc, præterquam satis gratis supponitur, non explicat illud quod diximus sub *a*/ et sub *b*/.

(3) Vide supra, pp. 395 s.

recusato, uti s. Thomas dilucide exponit, ubi de libertate tractat (1).

Inde jam statim apparet propositionem in quæstione positam demonstrari posse ex iis quæ in tractatu de Deo statuuntur de voluntate divina; pauca, quæ hanc materiam spectant, in quadam responsione supra breviter explicavimus (2). Re enim vera, siquidem Deus solummodo necessario vult bonitatem suam et potest velle alia a se, ut cum ipsis communicet suam bonitatem, ad quam hæc tunc ordinantur tanquam ad finem, non necessario igitur, sed secundum consilium voluntatis suæ seu liberrime eadem alia a se vult esse, si quando quædam creare decernit (3).

Juvat tamen in tractatu de Deo creante argumentum adhuc adstruere ex testimoniis, quæ in fontibus revelationis, in Scriptura sacra et in traditione orali, continentur.

1/ Jam sub vetere testamento in psalmis aperte declaratur libertas electionis Dei in omnibus quæ facere statuit: « Omnia quæcumque voluit, fecit » et rursus: « Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis » (4).

Sub novo testamento pariter in Apocalypsi: « Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem: quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt » (5); atque omnino clare s. Paulus: Deus « operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ » (6).

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 83, a. 3, c., coll. I-II, q. 8, a. 3 et q. 13, a. 1 et a. 3.

(2) Supra, p. 222 s., ubi de necessitate in voluntate divina.

(3) Cfr s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 19, a. 3, c.; *Contra Gentes*, I, 81, 88; II, 23; *De potentia*, q. 3, a, 15; *De veritate*, q. 23, a. 4; ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, n. 179 et n. 214, apud *Collat. Brugen.*, V, p. 100 s. et VI, p. 655 s.; Van der Meersch, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 474, p. 372.

(4) *Ps.* cxiii, 3 (2) [hebr. cxv, 3] et *Ps.* cxxxiv [hebr. cxxxv], 6.

(5) *Apoc.*, iv, 11.

(6) *Ephes.*, i, 11. — Adverte assertum Apostoli esse generale, licet in præcedentibus magis respexerit ordinem supernaturalem in quo

2/ In traditione orali haud minus aperta testimonia quam plurima reperire est.

Ita sæculo secundo apud Athenagoram (1) et etiam apud s. Irenæum, qui decessit sæculo tertio ineunte : « Neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libere fecit omnia [Deus] » (2); « ipse a semetipso fecit libere et ex sua potestate, et disposuit et perfecit omnia » (3).

Eamdem veritatem, eodem fere tempore, testantur Tertullianus (4) et s. Hippolytus: « Deus unus..... dum voluit, fecit omnia quæ sunt » (5).

Sæculo quarto s. Athanasius Deum omnia fecisse deliberativa voluntate affirmat (6); ita pariter s. Augustinus: « Inconcusse credere et tenere debemus quoniam quidquid creaturarum in cœlo, quidquid in terra, quidquid in mari et in omnibus abyssis, a Domino factum est; quia omnia quæ voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis [Ps. CXXXIV]. Non omnia quæ fecit, coactus est facere, sed omnia quæcumque voluit fecit [Ps CXIII]. Causa omnium quæ fecit, voluntas ejus est.... Deus bonitate fecit, nullo quod fecit eguit: ideo omnia quæcumque voluit fecit » (7).

Hisce verbis s. doctor simul exprimit specialem perfectionem libertatis divinæ, uti in tractatu de Deo proponitur. Deus enim nullam causam habet finalem agendi, nullum finem propter quem acquirendum agit et qui vere causat volitionem eorum, quæ sunt ad finem, seu

---

Deus etiam agit libere, uti rursus docemur *I Cor.*, I, 27 et XII, 11 necnon *Rom.*, IX, 18; sed hæc testimonia quæ non respiciunt quæstionem solvendam, omittimus, sicut prætermittimus omnes textus in quibus agitur de divina gubernatione.

(1) ATHENAGORAS, *De resurrectione mortuorum*, 12 (MPG, VI, 996).

(2) S. IRENÆUS, *Adv. hær.*, II, 1, 1 (MPG, VII, 710).

(3) *Ibidem*, II, XXX, 9 (MPG, VII, 822); cfr et IV, XX, 1 (MPG, VII, 1032).

(4) TERTULLIANUS, *Adv. Hermogenem*, 16 (MPL, II, 211).

(5) S. HYPPOLYTUS, *Philosophumena*, X, 32 (MPG, XVI, 3, 3446); cfr ejusdem *Contra hæresim Noeti*, 10 (MPG, X, 817).

(6) S. ATHANASIUS, *Adv. arianos oratio* III, 61 (MPG, XXVI, 452).

(7) S. AUGUSTINUS, *Enarr. in ps.* CXXXIV, 10 (MPL, XXXVII, 1745).

vere movet voluntatem divinam ad eadem volenda, quod in præcedenti quadam responsione etiam explicavimus (1).

Eamdem perfectam libertatem divinam rursus inculcat s. episcopus hipponensis alia occasione: « In eo vero quod dicitur: vidit Deus quia bonum est [Gen., I, 10], satis significatur Deum nulla necessitate, nulla suæ cujusquam utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est, id est, quia bonum est » (2).

Deum omnia libere creavisse itaque fide divina credendum est, utpote revelatum; sed et fide catholica eadem veritas teneri debet.

Mentem suam aperuit Ecclesia primo in proscribendis quibusdam erroribus Petri Abælardi (3); deinde in concilio florentino firmiter credendum, profitendum et prædicandum docet: « Unum Deum verum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, esse omnium visibilium et invisibilium creatorem: qui quando voluit, bonitate sua universas.... condidit creaturas » (4).

Errore denuo exorto sæculo decimo nono, Pius IX eumdem rursus proscripsit (5), atque mox in concilio vaticano solemniter et explicite definitum est: Deum « non ad augendam suam bonitatem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per

---

(1) Supra, p. 284 s., ubi de rationabili voluntate divina; cfr etiam ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 229 s., apud *Collat. Brugen.*, VI, 337 s. et VAN DER MEERSCH, *o. c.*, n. 475 s., p. 372 s.

(2) *De civitate Dei*, XI, 24 (MPL, XLI, 338).

(3) *Conc. senonense* (a. 1140), apud *Enchir.*, n. 374.

(4) *Conc. florent.*, œcum, XVII (a. 1438-1445), *Decr. pro jacobitis* (*Enchir.*, n. 706).

(5) In brevi « Eximiam tuam », diei 15 junii 1857, ad Card. de Geissel, arch. coloniensem, de falsa doctrina A. Günther: « Neque ignoramus, ea iisdem libris doceri et statui, quæ catholicæ doctrinæ de suprema Dei libertate a quavis necessitate soluta in rebus procreandis adversantur » (*Enchir.*, n. 1655); in eadem libertate divina jam institit Gregorius XVI, in damnandis operibus Georgii Hermes, per breve « Dum acerbissimas », diei 26 sept. 1835 (*Enchir.*, n. 1620).

bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio » condidisse omnia (1); unde et « si quis Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse quam necessario amat seipsum, anathema sit » (2).

H. Lamiroy.

III-IV.

De impedimentis mixtæ religionis et disparitatis cultus.

III. Q. *Expone notionem impedimenti mixtæ religionis et disparitatis cultus.*

R. 1/ De notione impedimenti mixtæ religionis.

Notio exponitur in can. 1060 codicis juris: « Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectæ hæreticæ seu schismaticæ adscripta; quod si adsit perversionis periculum conjugis catholici et prolis, conjugium ipsa etiam lege divina vetatur ».

Hoc itaque impedimentum *impediens* existit inter duas personas valide *baptizatas*, quarum altera est, *tempore matrimonii*, *catholica*, altera vero *sectæ* hæreticæ vel schismaticæ, *christianæ* scilicet *confessionis*, *adscripta*.

Persona *catholica* est quæ externæ Ecclesiæ communioni aggregata est, quod ratione baptismi suscepti vel professionis fidei fieri contingit.

Ratione *baptismi* catholicus est qui propria voluntate aut, si infans sit, voluntate parentum vel tutorum a ministro catholico baptizatur, vel imo a laïco in mortis periculo, dummodo propria voluntate catholicæ Ecclesiæ

(1) *Conc. vatic.*, œcum. XX (a. 1869-1870), sess. III, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 1 (*Enchir.*, n. 1783).

(2) Ita in can. 5 (*Enchir.*, n. 1805). — Per decretum s. Officii, diei 14 dec. 1887, sub pontificatu Leonis XIII, damnata fuit inter alias propositiones A. de Rosmini-Serbati, hæc 18: « Amor, quo Deus se diligit etiam in creaturis et qui est ratio, qua se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quæ in ente perfectissimo semper inducit effectum: hujusmodi enim necessitas tantummodo in pluribus entibus imperfectis integram relinquit libertatem bilateralem » (*Enchir.*, n. 1908).

ita aggregari velit aut, si infans sit, parentes habeat catholicos.

Professione fidei catholicus fit qui, a ministro acatholico baptizatus et in secta hæretica vel schismatica educatus, postea cum Ecclesia reconciliatur, sive simplici fidei professione coram clerico deputato ab episcopo, si nondum 14 annos compleverit, sive professione fidei et abjuratione hæreseos, si majorem ætatem adeptus sit.

Quod spectat hanc materiam, catholicus remanere censetur qui, baptismo vel professione catholicus, postea omnem fidem aperte rejicit, sectæ massonicæ adscribitur, vel imo personaliter de hæresi damnatur, quousque in aliqua secta *christianæ* confessionis non est receptus.

Sectæ hæreticæ vel schismaticæ *adscribitur* qui juxta peculiarem usum forte existentem et requisitum in secta recipitur vel, si nihil peculiariter postulatur, sectæ nomen dat, aut etiam, uti videtur, ob suam agendi rationem, sciens et non contradicens, ab aliqua secta tamquam membrum reputatur et ut tale tractatur.

Quia oportet ut, *tempore matrimonii* celebrandi, altera pars catholica sit, altera sectæ confessionis christianæ adscripta, quæri potest utrum catholicus, qui ad hæreticam sectam transit ab eaque rursus recedit, quin tamen cum Ecclesia reconciliari velit (quia omnem fidem amisit), catholicus an vero sectæ adscriptus censeri debeat ; et, e consequenti, an matrimonio ejusmodi personæ cum parte catholica impedimentum obstet mixtæ religionis. Putamus hujusmodi personam potius catholicam censendam esse atque agi, in casu, de matrimonio ineundo cum peccatore publico, de quo in can. 1065, 1066 statuitur.

2/ De notione impedimenti disparitatis cultus.

Notio datur in can. 1070 : « Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex hæresi aut schismate conversa ».

Disparitas cultus est impedimentum *dirimens ex jure ecclesiastico* matrimonium contrahendum inter partem *non baptizatam* et partem *baptizatam* quæ *est* vel *fuit catholica*, ratione scilicet baptismi vel professionis fidei. Qua de causa, etiamsi pars baptizata ab Ecclesia recesserit et tempore matrimonii contrahendi sectæ jam (vel rursus) adscripta sit, impedimento adhuc ligatur. Quod in can. 1070 non exprimitur, sed indubie subintelligendum est, quia apostata non præsumitur ex sua defectione beneficium exemptionis a legibus ecclesiasticis accipere.

Non liquet impedimentum disparitatis cultus existere inter partem non baptizatam et partem baptizatam in Ecclesia catholica quæ, ab acatholicis nata, ab infantili ætate in hæresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adolevit (1). Ratio dubitandi est quia sub novo jure (can. 1099, § 2) matrimonium inter hujusmodi personas in forma can. 1094 contrahi non debet.

Nota. a/ Impedimenta ecclesiastica mixtæ religionis et cultus disparis fundantur in præsumptione periculi universalis. Qua de causa non cessant si in casu aliquo particulari periculum non datur. Quodsi revera adest periculum, nuptiæ jure quoque divino naturali prohibentur. Cessat autem prohibitio juris divini quando periculum perversionis conjugis catholici et prolis futuræ sat remotum redditur et urget conjugii celebrandi ratio adeo gravis ut periculum hoc remotum et scandalum communitatis permitti possit.

b/ In singulis casibus mixtæ religionis ante dispensationem sedulo indagandum est an baptismus, a parte acatholica receptus, sit certo validus: quodsi, uti sæpe contingit, ut dubie validus sit habendus, dispensandum erit *ad cautelam* etiam super impedimento disparitatis cultus.

---

(1) Eadem animadversio valet, quod spectat impedimentum mixtæ religionis, de matrimonio ineundo inter partem hæresi adscriptam et partem baptizatam in Ecclesia catholica sed ab acatholicis natam et sine ulla religione educatam.

Quodsi *casu* vel *contra præscriptum cdn.* 750-751 a ministro catholico baptizata fuerit, major adhuc datur ratio dubitandi.

IV. Q. *Describe cautelas et cautiones quæ pro dispensatione in his impedimentis requiruntur.*

R. 1/ *Cautelæ* sunt conditiones quæ, juxta jus naturale, verificari debent ut matrimonia mixta, inspectis malis quæ ex hujusmodi conjunctionibus oriuntur, contrahi possint. Nimirum postulatur *a/* ut moraliter certo absit periculum proximum perversionis partis catholicæ et prolis natæ vel nascendæ ; *b/* ut adsint rationes contrahendi matrimonium tantæ ac tales ut permitti possint periculum remotum perversionis cui exponitur pars catholica et proles, necnon scandalum quod datur catholicis, quæ mala gravia nunquam vel vix unquam pænitus vitari queunt, ordinarie difficulter removentur (1), in peculiaribus tamen adjunctis minus timenda esse possunt, puta, quando agitur de matrimonio convalidando et ignoratur a populo partem unam esse acatholicam eaque prævidetur brevi moritura.

Deficientibus his conditionibus jure naturæ impositis, dispensatio Ecclesiæ auffert impedimentum ecclesiasticum; adeoque in casu disparitatis cultus matrimonium ob dispensationem valide quidem contrahitur sed illicite, remanente prohibitione juris naturalis. *Potest* etiam Ecclesia ob gravem rationem tolerare ut matrimonium, non ablato impedimento mixtæ religionis et manente prohibitione juris naturæ, coram parocho celebretur.

2/ *Cautiones* sunt assecurationes de verificatione prædictarum conditionum. Ecclesia super impedimento mixtæ religionis et disparitatis cultus non dispensat, nisi cautionem præstiterit *a/ conjux acatholicus* de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo, et *b/ uterque conjux* de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda, moralisque habeatur certitudo

(1) Saltem quod spectat periculum perversionis, et in regionibus in quibus dantur sat multi acatholici etiam quod spectat periculum scandali.

de cautionum implemento (1). Non exigitur juramentum jure communi, sed juxta formulas in provincia belgica probatas et adhibendas, juramentum *apud nos* exigi debet.

Hæc postulantur jure ecclesiastico (can. 1061, 1071), nam, inspecto jure naturali, ut Ecclesia dispensare possit sufficit quæcumque certitudo habeatur de cautelarum verificatione, imo dari queunt adjuncta in quibus pericula perversionis ex cohabitatione concubinaria prævidentur oritura vel permansura et simul rationes tantæ in favorem matrimonii invocari valent, ut Ecclesia sine illa certitudine vel imo sine cautione dispensare *possit* super ecclesiastico impedimento et tolerare ut matrimonium coram parocho celebretur, convalidetur vel in radice sanetur. Quamobrem S. Sedes aliquando cautiones ex parte solius conjugis catholici exigit, imo nonnunquam nullas cautiones præstandas imponit et gravibus tantum verbis in mentem revocat partis catholicæ obligationem qua semper tenetur, pro viribus tutandi baptismum et educationem universæ prolis utriusque sexus, tam forte natæ quam forsitan nascituræ, in catholicæ religionis sanctitate et prudenter curandi conversionem conjugis ad fidem catholicam (2).

Cautiones *regulariter* scriptis exigantur (can. 1061). Forma *scripta* (3) non est itaque absolute necessaria, sed est normaliter adhibenda.

V. Coucke.

---

(1) Ideo, cum petitur dispensatio ab impedimentis mixtæ religionis aut disparitatis cultus, necesse est ut libello supplici addantur scripto exaratæ et a partibus subscriptæ cautiones canone 1061 requisitæ; nec satis est declarare partes esse paratas ad illas cautiones præstandas. Præterea oportet ut parochus testetur moralem haberi certitudinem de cautionum implemento (*Acta Congr. prosyn.*, 30 maii 1922).

(2) Vide facultates Supr. S. Congr. S. Officii, 16 sept. 1922, apud *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 411.

(3) En duplicem formulam ab Episcopis Belgii probatam et in tota provincia ecclesiastica belgica adhibendam:

a/ Je soussigné N.N. . . . . demeurant à . . . . . déclare *sous la foi du serment:*

1° que je permettrai que tous les enfants de l'un et de l'autre sexe,

V.

De necessitate directionis spiritualis.

Q. *Proba necessitatem directionis spiritualis* (1).

R. — **Propositio.** — Directio spiritualis est moraliter necessaria ad perfectionem vitæ christianæ acquirendam, seu est medium normale ad progressum in vita spirituali (2).

Explicatur. — Directio de qua agimus non est directio illa generalis quæ *pastoralis* vocatur, et quæ omnibus fidelibus generatim aut alicui categoriæ speciali animarum media generalia præscribit ad justitiam et sanctitatem christianam conducentia: hæc scilicet exercetur a Romano Pontifice, ab episcopo, a parocho, a superiore communitatis relate ad gregem ipsis respective commissum;

sed est directio *personalis*, directio *conscientiæ* quæ singulis animabus hæc eadem media generalia habitua-

---

qui naîtront de mon mariage avec N.N. . . . catholique romaine, soient baptisés et élevés dans la religion catholique romaine;

2° que je permettrai toujours à ma future épouse et à tous mes enfants le libre exercice de leur culte.

Fait à . . . . le . . . .

Signature de la partie non catholique.

b) Je soussignée N.N. . . . . catholique romaine, promets *sous la foi du serment*, de faire baptiser et d'élever tous nos enfants dans la religion catholique romaine.

Fait à . . . . le . . . .

Signature de la partie catholique.

(1) Circa hanc materiam utiliter consuli possunt opera sequentia: Schram, O. S. B., *Institutiones theologiæ mysticæ*, P. II, cap. I, § 327 ss.; M. J. Ribet, *L'ascétique chrétienne*. chap. XXXIV; A. Tanquerey, *Précis de théologie ascétique et mystique*, t. I, p. 342 ss., n. 530 ss.; *Diagnostic et traitement des âmes ou l'art de la direction*, par l'auteur du secret des communions ferventes; [L. Beaudenom], *Pratique progressive de la confession et de la direction*; V. Gérard, apud *Collat. Namurc.*, t. XV, 1920-1921, p. 65 ss. 177 ss., 273 ss.; J. Schryvers, C. SS. R., *Les principes de la vie spirituelle*, p. 504 ss.; Fr. Vincent, *S. François de Sales, directeur d'âmes*, p. 397 ss.

(2) A. Tanquerey, *o. c.*, t. I, p. 342.

liter applicat juxta necessitates earum peculiares, in ordine ad eas adducendas ad hunc gradum sanctitatis, ad quem a Deo destinantur. Hæc ordinario a sacerdote et quidem a confessario tribuitur (1).

Dividitur autem in directionem asceticam et mysticam: *ascetica* scil. respicit animas quæ per vias ordinarias ad perfectionem conantur, easque manuducit in lucta contra sequelas et causas peccati, in progressiva praxi virtutum christianarum, præcipue theologalium, usque ad perfectum exercitium charitatis (2);

mystica vero respicit eas animas privilegiatas quæ per contemplationem passivam seu infusam, vel et per gratias gratis datas, extases scil., revelationes, visiones, ad intimiorem cum Deo unionem a Spiritu sancto adducuntur (3).

Unde directio spiritualis, de qua hîc sermo fit, est manuductio, per ducem idoneum, animæ individuæ piæ ad sanctitatem vitæ christianæ per vias Dei acquirendam (4). Sensus vero propositionis est: juxta providentiam Dei ordinariam ad sanctitatem nemo pertingit nisi ope talis directionis spiritualis.

Probatur. I. — *In s. Scriptura* plurima sunt verba e quibus hæc moralis necessitas moderaminis in vita christiana haud difficile eruitur (5). Ita v. g. « Væ soli, ait Ecclesiastes, quia cum ceciderit non habet sublevantem se » (6); in libro autem Proverbiorum: « Frater qui

---

(1) Postea ex professo agemus de directore spirituali.

(2) A. Saudreau, *Les degrés de la vie spirituelle*. Ibi describitur directio danda variis animabus juxta stadium vitæ spiritualis in quo versantur.

(3) Pro directione mystica cfr in specie A. Poulain, S. J., *Les grâces d'oraison*; M. Godinez, S. J., *Praxis theologiæ mysticæ* (ed. Watrigant); F. Naval, O. P., *Theologiæ asceticæ et mysticæ cursus*.

(4) P. Grou, S. J., *Manuel des âmes intérieures*, p. 109: « Diriger une âme, c'est la conduire dans les voies de Dieu,.... c'est contribuer de tout son pouvoir à l'élever au degré de sainteté auquel Dieu la destine ».

(5) Vide plures textus apud Schram, *o. c.*, § 328.

(6) *Eccle.*, IV, 10.

adjuvatur a fratre quasi civitas firma » (1); et s. Paulus de Christo affirmat: « Ipse dedit quosdam quidem apostolos.... alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi » (2).

Præterea multa sunt exempla scripturistica in quibus elucet hæc œconomia divina ducendi scilicet animas non immediate sed per intermedios homines ad implenda consilia Dei. Ita Samuel edocetur ab Heli ut audiat vocem Domini (3), eunuchus reginæ Candacis docetur a diacono Philippo (4), angelus mittit centurionem Cornelium ad s. Petrum (5), imo ipse Dominus mittit Saulum ad Ananiam (6).

II. — *Traditio ecclesiastica* luculenter necessitatem directionis spiritualis demonstrat.

A. — Doctrina communis est Doctorum Ecclesiæ et auctorum asceticorum, quam s. Augustinus jam his verbis exprimebat: « Sicut cœcus sine ductore, sic homo sine doctore rectam viam vix graditur » (7).

Pauca sufficiant testimonia. Joannes Cassianus (8), sæc. IV-V, qui doctrinam monachorum Palæstinæ, Syriæ, Ægypti in suis scriptis consignat atque monachis in Occidente inculcat, insistit vivide in necessitate ductus spiritualis et in periculo quod iis imminet qui hoc

---

(1) *Prov.*, XVIII, 19.

(2) *Eph.*, IV, 11-13. Hic textus proprie agit de directione pastorali; haud immerito tamen et ad directionem conscientiæ applicatur.

(3) *I Reg.*, III.

(4) *Act. Ap.*, VIII.

(5) *Act. Ap.*, X.

(6) *Act. Ap.*, IX.

(7) *Sermo 112 de tempore.* Vide alios multos textus citatos apud SCHRAM, *o. c.*, § 328; RIBET, *o. c.*, p. 355-358.

(8) *De cœnobiorum institutionibus*, l. IV, c. 9 et *Collationes*, II, 2, 5, 7, 10-11. Cfr A. TANQUEREY, *o. c.*, p. 343 sq.; P. POURRAT, *La spiritualité chrétienne*, t. I. p. 256 ss.

medium negligunt. — S. Joannes Climacus, sæc. VI, eamdem doctrinam inculcat monachis orientalibus, tum incipientibus scilicet, tum proficientibus necessariam esse directionem ducis spiritualis (1). — S. Bernardus, sæc. XI-XII, novitiis dicit : « Sed quoniam arcta et ardua est via quæ ducit ad vitam, tanquam parvulis in Christo pædagogus vobis, o filioli, ac nutritius necessarius est qui doceat, deducat, foveat vos et tamquam alludat parvulis, ac blanditiis quibusdam consoletur » (2). Et ad canonicum regularem Ogier hæc nota verba scribit : « Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.... Facilius imperare et securius possum præesse aliis multis quam soli mihi » (3) — S. Catharina Senensis, sæc. XIV, verbo et litteris directionem spiritualem tradebat et commendabat sociabus et discipulis suis (4). — S. Vincentius Ferrerius, sæc. XIV-XV, scribit : « Numquam Christus suam gratiam ministrabit, sine qua nihil possumus, si homo habet a quo possit instrui et deduci, et negligit vel non curat alterius ducatum amplecti, credens sibi sufficere, et per se posse investigare quæ sunt utilia ad salutem » (5). — P. Michæl Madingus, cognominatus Godinez, S. J., sæc. XVII, non dubitat scribere : « Vix decem ex mille animabus, quas Deus ad perfectionem vocat, vocanti correspondent; et ex centum, quas vocat Deus ad contemplationem, nonaginta novem deficiunt : quapropter dico multos esse vocatos, sed valde paucos electos.... Una ex causis potissimis est inopia magistrorum spiritualium (infelices communitates, ubi desunt

---

(1) *Scala paradisi*, grad. I, IV. Cfr A. TANQUEREY, *o. c.*, p. 344 ; P. POURRAT, *o. c.*, t. I, p. 453 ss., coll. t. II, p. 145, 178.

(2) *Sermo VIII de diversis*, 7. Cfr P. POURRAT, *o. c.*, t. II, p. 57-58. Sine hac directione, pergit s. Bernardus, periculum est ne discretione careant, quæ « discretio mater virtutum est et consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet ne quid nimis ».

(3) *Epistola* 87, 7. Cfr A. TANQUEREY, *o. c.*, p. 344 sq. ; P. POURRAT, *l. c.*

(4) Cfr P. POURRAT, *o. c.*, t. II, p. 313.

(5) *Tractatus de vita spirituali*, c. IV. Cfr P. POURRAT, *o. c.*, p. 303 sq.

hujusmodi magistri, vel si adsunt, incogniti sunt, vel nullo habentur pretio): qui sunt post divinam gratiam naucleri, qui animas per hoc incognitum mare vitæ spiritualis recta conducunt » (1). — Tandem s. Franciscus Salesius, sæc. XVII, totam traditionem catholicam de directione spirituali recapitulans, ac theoriam de hac materia instaurans, scribit: « Le jeune Tobie commandé d'aller en Rages: Je ne sçay nullement le chemin », dit-il. « Va donc, répliqua le père, et cherche quelque homme qui te conduise ». Je vous en dis de mesme, ma Philothée: Voulés-vous à bon escient vous acheminer à la dévotion? Cherchés quelque homme de bien qui vous guide et vous conduise. C'est icy l'advertissement des advertissements: quoy que vous cherchiés, dit le devot Avila, vous ne trouverés jamais si asseurement la volonté de Dieu que par le chemin de cette humble obéissance, tant recommandée et pratiquée par tous les anciens devotz » (2).

Pauci hi textus abundanter probant in Ecclesia catholica vigere traditionem non interruptam circa necessitatem directionis spiritualis.

B. — Huic doctrinæ concordat in historia Ecclesiæ praxis constans sanctorum.

Pauci admodum citantur sancti qui sine interventu ductoris humani sanctitatem vitæ adepti sunt, sola edocti interna Spiritus sancti inspiratione (3), de quibus merito notat s. Gregorius: « Quorum tamen libertas vitæ ab infirmis in exemplum non est trahenda: ne dum se quisque similiter sancto Spiritu impletum præsumit discipulus hominis esse despiciat et magister erroris fiat » (4).

---

(1) *Praxis theologiæ mysticæ*, l. VIII, c. I, (editio Watrigant, 1921), p. 219.

(2) *Introduction à la vie dévote*, L. I, ch. IV.

(3) Citantur v. g. Moyses, s. Joannes Baptista, s. Paulus eremita, s Maria Ægyptiaca. Cfr s. FRANÇOIS DE SALES, *Traité de l'amour de Dieu*, l. VIII, ch. 12.

(4) L. I, *Dialog.*, c. I.

Innumera contrà extant exempla sanctorum in quorum vita elucet influxus sancti alicujus directoris : ita v. g. sancta æmulatione conjuncti apparent s. Hieronymus cum s. Paula, b. Raymundus Capuensis cum s. Catharina Senensi, s. Joannes a Cruce cum s. Theresia, s. Franciscus Salesius cum s. Joanna de Chantal (1).

Ex dictis tamen immerito concluderes directionem spiritualem, qualis nostris diebus exercetur, ab initio fuisse praxim universaliter in Ecclesia vigentem : ea scilicet præcipue sub influxu s. Francisci Salesii cœpit ubique invalescere (2).

C. — Doctrina opposita, qua nimirum omnis interventus alicujus auctoritatis externæ, utpote contrarians liberæ actioni Dei in nos et proprio uniuscujusque sensui, a novatoribus sæc. XVI prorsus repudiatur, multoties fuit ab Ecclesia reprobata.

Ita in propositione 11ª pseudo-illuminatorum ab inquisitione hispanica damnata anno 1623 : « Quod dumtaxat sequi quisque debet Spiritus sancti nutum et inspirationem internam, ad aliquid faciendum aut contrà omittendum, et non aliter ». Item in prop. 22 (3).

---

(1) RIBET, *o. c.*, p. 355. Alia vide exempla citata apud FABER, *Progrès de l'âme*, p. 334.

(2) FRANCIS VINCENT, *o. c.*, p. 398 : « S. François de Sales n'est pas seulement l'un des princes de la direction spirituelle, il en est l'un des premiers théoriciens, et, on peut le dire, l'un des fondateurs. Sans doute, à toutes les époques de l'histoire, on trouve pratiquée, sous diverses formes, dans la chrétienté, la direction de conscience..... néanmoins jusqu'au XVIe s., la direction ne se pratique pour ainsi dire qu'à l'état erratique et intermittent..... On peut admettre avec BOEHMER, (*Les jésuites*, p. 245) que ce sont les jésuites qui ont fondé, comme pratique courante, la direction de conscience..... Mais à l'heure où paraît s. François de Sales, la pratique de la direction n'est pas encore très répandue en dehors des monastères..... Il faudra le prodigieux succès de *l'Introduction à la vie dévote* et sa diffusion dans toute l'Europe, pour que s'accrédite définitivement dans le monde religieux laïque le recours à un guide qualifié, chargé de jalonner quotidiennnement la route du chrétien ».

(3) Cfr FABER, *o. c.*, p. 328.

Similiter in propositione 66 inter propositiones damnatas Michaelis de Molinos : « Risu digna est quædam doctrina nova in Ecclesia Dei, animam ad interna quod attinet, gubernari debere per episcopum, et, si is idoneus non fuerit, per alium animæ ab ipso datum directorem... » (1).

Iterum in Americanismo doctrina hæc a protestantismo oriunda reprobata est a Leone XIII juxta quam « externum magisterium omne ab iis qui christianæ perfectioni adipiscendæ studere velint, tamquam superfluum, imo etiam minus utile rejicitur : ampliora, aiunt, atque uberiora nunc quam elapsis temporibus, in animos fidelium Spiritus sanctus influit charismata, eosque, medio nemine, docet arcano quodam instinctu atque agit ».

Cui assertioni opponit Pontifex : « Ad communem legem id pertinet, qua Deus providentissimus, uti homines plerumque fere per homines salvandos decrevit, ita illos quos ad præstantiorem sanctimoniæ gradum advocat, per homines eo perducendos constituit, ut nimirum, quemadmodum Chrysostomus ait (2), per homines a Deo discamus » (3).

Idem error modernismum pervadit atque adeo iterum ab Ecclesia cum modernismo fuit reprobatus (4).

Hæc constans traditio Ecclesiæ his verbis a Leone XIII complectitur : « Hæc agendi ratio [directio nimirum spiritualis] jugiter in Ecclesia obtinuit ; hanc ad unum

---

(1) Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum*, n. 1286, coll. n. 1288.

(2) *Homilia I in Inscr. altar.*

(3) Litteræ apostolicæ *Testem benevolentiæ*, 22 januarii 1899. Denzinger-Bannwart, *o. c.*, n. 1970 ; Cfr *Collat. Brugen.*, t. IV, 1899, p. 193 ss., notatim p. 197 sq.

(4) Encyclica Pii X *Pascendi*, 7 sept. 1907. Cfr Denzinger-Bannwart, *o. c.*, n. 2071 ss., in specie n. 2091 ss. *Collat. Brugen.*, t. XII, 1907, p. 597 ss., 661 ss., notatim p. 614 ss. — Merito, citatis falsis propositionibus, notat Faber, *o. c.*, p. 328 : « propositions qu'on retrouve à chaque instant et presque dans les termes où elles furent condamnées, dans la bouche d'une foule de catholiques qui les répètent à leur insu pendant le cours de la conversation ».

omnes doctrinam professi sunt, quotquot decursu sæculorum, sapientia ac sanctitate floruerunt ; quam, qui respuant, temere profecto ac periculose respuent » (1).

III. — *Argumenta rationis.*

Ratio fide illustrata eamdem necessitatem directionis spiritualis probat.

A. — Ex indole *sociali* perfectionis christianæ (2).

Opus sanctificationis nostræ nequaquam est opus mere individualisticum quod unusquisque solus, juxta proprium sensum et interpretationem personalem inspirationis cœlestis perficere habet, uti docuerunt Reformatores.

Verum est opus sociale, et quidem non hoc tantum sensu quod sanctitas præter vitam privatam etiam perficiat vitam socialem seu relationes cum proximo, sed hoc præcipue sensu quod vera sanctitas sit per essentiam hierarchica, idque duplici modo, quatenus 1 nonnisi in dependentia ab et in conjunctione cum hierarchia ecclesiastica acquiri potest, et quatenus 2. tota quanta huc tendit ut perfectam hierarchiam intra nos ipsos inter varias facultates nostras inducat (3). Est scilicet sanctificatio plena evolutio alicujus membri unius corporis mystici quod est Ecclesia, quæ evolutio nisi sub influxu continuo capitis invisibilis, Christi, et capitis visibilis, hierarchiæ ecclesiasticæ, obtineri non potest. Hic vero influxus hierarchiæ exercetur partim publice, per directionem pastoralem, partim privatim, per directionem conscientiæ (4).

---

(1) *L. c.*

(2) Cfr J. Schryvers, *o. c.*, p. 504 ss. ; Ribet, *o. c.*, p. 359.

(3) Ideo, sicut quavis ætate anteriore, ita nostro quoque tempore cavendum est a quibusvis « aspirationibus » quamtumvis idealisticis, nisi actu sint « catholicæ » seu « hierarchicæ ». Sponte enim degenerant in quemdam pseudo-mysticismum, et haud raro vel ad hæresim vel ad schisma deveniunt.

(4) Lege *Eph.*, IV, 15-16.

B. — Ex difficultatibus quæ operi sanctificationis inhærent.

1/ Si jam toties auxilio confessarii egemus in ordine ad rectum judicium efformandum atque exequendum circa licitum et illicitum in individuis vitæ nostræ circumstantiis, quanto magis indigemus consilio et adjutorio directoris ad recte discernendum inter id quod bonum et id quod perfectius est, et ad generose hoc præ illo eligendum. « Qui perfectiora sectantur, ait Leo XIII, hoc ipso quod ineunt intentatam plerisque viam, sunt magis errori obnoxii, ideoque magis quam ceteri doctore ac duce indigent » (1).

2/ In parte negativa, ut aiunt, perfectionis acquirendæ, seu in exuendo veterem hominem cum vitiis et inordinatis passionibus ejus, quomodo in propria causa recte quisque judicabit, quomodo ad debitum locum ferrum et ignem quisque sibi applicabit ad secandum et comburendum quod sanctitati acquirendæ impedimento est (2)?

3/ Quoad partem positivam, cooperationem nimirum ad gratiam et instinctum Spiritus sancti ad usque proficiendum in virtutibus et in unione cum Deo, contra periculum illusionum ex carne propria et ex diabolo provenientium, in discernendo spiritu quo impellimur, sæpe indigemus auctoritate quadam extrinseca quæ

---

(1) In litteris apostolicis supra citatis, *Testem benevolentiæ*, apud *Collat. Brugen.*, t. IV, p. 198.

(2) « Hé, pourquoy voudrions-nous estre maitres de nous-mesmes pour ce qui regarde l'esprit, puisque nous ne le sommes pas pour ce qui est du corps ? Ne sçavons-nous pas que les medecins lors qu'ils sont malades appellent d'autres medecins pour juger les remèdes qui leur sont propres ? De mesme les advocatz ne plaident pas leur cause, d'autant que l'amour-propre a accoustumé de troubler la rayson ». S. François de Sales, *Sermons recueillis*. Pour la fête de N.-D. des Neiges, 5 Août 1617. Cfr Fr. Vincent, *o. c.*, p. 403 qui ipse pergit : « Porter un diagnostic impeccable sur ses maladies spirituelles est aussi difficile que de bien connaître son mal corporel. Il y faut une liberté d'esprit qu'on n'a pas quand on est en cause. Le recours au spécialiste s'impose ».

dijudicet, approbet aut improbet cum certitudine requisita (1).

Nota. Ex dictis tamen erronee concluderes directionem spiritualem esse necessariam necessitate medii insupplebilis. Etenim, ut scribit s. Vincentius Ferrerius: « Deficientibus eis et non inventis qui foris instruerent, tunc pietas divina per se supplet quod exterius minime reperitur, si tamen corde humili et ferventi ad Deum accedunt » (2). Vel, ut ait Schram (3): « Hæc regula exceptionem admittit, quando Deus ex providentia extraordinaria, vel in defectu hominis idonei, vel quia singulariter vult benefacere, dignatur aut per seipsum aut per angelum, totum magisterium altiori modo præstare ».

Coronidis instar juvat paucis verbis indicare utilitates quas procurat directio spiritualis (4).

a/ Sub respectu mere psychologico influxus moderatoris vires et animum moderati adauget mirabilem in modum. « Cette présence aimée, sentie, prochaine... par sa seule existence est une force de redressement et de perfectionnement » (5).

b/ Sub respectu vero morali et spirituali directio occasionem præbet moderato plurium virtutum exercen-

---

(1) « Il y a des ames qui ne veulent, à ce qu'elles disent, estre conduites que par l'Esprit de Dieu et leur semble que tout ce qu'elles s'imaginent soit des inspirations et des mouvements du Saint-Esprit, qui les prend par la main et les conduit en tout ce qu'elles veulent faire, comme des enfans, en quoy certes elles se trompent fort ».... Deinde citat exemplum s. Pauli missi a Domino ad Ananiam.... « Et nous autres penserons estre plus favorisés de Dieu que saint Paul, croyant qu'il nous veut conduire luy-mesme sans l'entremise d'aucune créature ? — *Vrays entretiens spirituels. Entretien 12.* Cfr Fr. Vincent, *o. c.*, p. 402, qui pergit : « L'inspiration individuelle, dont pourtant le saint ne fait pas fi, lui semble sujette à de grandes illusions, et c'est par la direction qu'il croit pouvoir la soustraire au péril du libre examen ». Cfr Faber, *o. c.*, p. 330, 336 ss.

(2) *Tractatus de vita spirituali*, c. IV.

(3) *O. c.*, § 329.

(4) V. Gérard, *o. c.*, p. 67.

(5) Fr. Vincent, *o. c.*, p. 404. Lectu digna sunt quæ ibi ulterius exponit et quæ citat ex M. J. Payot, *Education de la volonté.*

darum, præsertim humilitatis et obedientiæ (1), ipsique affert securitatem, fiduciam et internam pacem, simul ac solatium et gaudium sanctæ amicitiæ.

A. LEGRAND.

VI.

De calicis forma.

Q. *Quænam sit oportet* forma *calicis?* (2)

R. 1/ Forma alicujus rei artificialis aptanda est primario ejus naturæ et usui in quem destinatur. Est autem calix missæ scyphus seu vas ad continendum et potandum vinum sacrificii. Debet calix: 1/ tempore missæ vinum aut vini species ita *continere* in altari ut firmus stet et non facile evertatur; 2/ ad sacram communionem ita præbere sacras species *potandas* ut plene, facile et sine periculo deperditionis ebibi possint; 3/ pluries debet manu apprehendi ut elevetur, reponatur etc. Unde jam licet concludere: *cuppam* convenientem esse partem essentialem; *pedem* esse necessarium; *nodum* seu pomellum intermedium esse omnino congruum.

2/ Rubricas si interrogemus, nihil positive præscribunt; sed passim commemorant calicis cuppam, pedem et etiam nodum a cuppa et pede aliquatenus distantem. Hæc tria ergo manifeste saltem supponuntur adesse in calice liturgico.

3/ Inter decreta S. R. C. unum novimus, diei 30 junii 1922, quo S. Rit. Congregatio, interrogata utrum quatuor calices, quorum effigies in ephemeride *Benediktinische Monatschrift* exhibentur et encomiis efferuntur, in missæ

---

(1) Per directionem « efficimur *sicut parvuli*, qui non valent ipsi judicare, et intrabimus in regnum cœlorum ». H. MAHIEU, *Probatio charitatis*, 3ª ed., p. 450.

(2) Vide opera, supra p. 420, citata C. Leclercq, Ch. Rohault de Fleury et H. Thurston; cf. JOH. GEHARDY, *Praktische Ratschläge über Kirchliche Gebaüde, Kirchengeräte...*, Paderborn, 1913, § 54.

sacrificio adhibere liceat, respondit: « Ad Rmum Dm Ordinarium loci, qui curet ne calices a *formis traditionalibus* differant, ob *periculum effundendi sacras species* et *excitandi admirationem* » (1).

4/ **Traditionalis formæ** evolutio paucis ita exponi potest. In antiquissimis qui asservantur calicibus, ob S. Communionem etiam sub specie vini dispensatam, cuppa solet ampla esse et profunda, pes autem, nec largus nec altus, immediate ope alicujus nodi, cuppæ conjungitur (ss. VII-X). Tempore styli « romanici », calix manet depressus altitudine; cuppa larga fit minus profunda; pes, latior et semper rotundus, paulo altius erigitur et nodus separatur a cuppa: unde prævalent lineæ et massæ horizontales, cuppæ nempe, nodi et pedis (usq. ad s. XIII). Calix vero « gothicus » habet tendentiam ut in altum assurgat: cuppa jam minus patet et dum fundus deprimitur sensim ad summum labrum latior evadit; inter pedem, qui sæpe pluribus semicirculis absolvitur, et cuppam construitur scapus, in cujus medio formatur nodus qui, in ultima periodo maxime, profusis ornamentis oneratur. Ceterum totus ornatus solet esse architectonicus.

Post periodum artis gothicæ, cuppa adhuc fit angustior sed minus conica et magis erecta, in formam sæpe tulipæ; scapus longior evadit et pluribus interdum nodis ornatur: pes autem formis et figuris oneratur diversis plasticis aut pictis. Ita excressit altitudo calicis non raro usque ad 25 aut 30 cm. Post s. XVIII, servatur quidem generatim eadem forma generalis, sed ornatus ad priorem simplicitatem reducitur (slyle empire) (2). Nostris tandem temporibus, dum reditur ad parvam altitudinem antiquam, intenditur etiam simplicitas et puritas linearum et quæritur forma quæ magis ad « romanicam » accedit.

5/ Ex præfatis deduci possunt quædam **regulæ directivæ practicæ**.

Cuppa semper est pars essentialis, id propter quod

---

(1) Vide decretum commentario nostro illustratum ap. *Coll. Brug.*, XXII, 432-434.

(2) Vide ap. ROHAULT DE FLEURY, *La messe*, t. VI, p. 151, tabellam chronologicam, quæ delineatis figuris calicis historiam exhibet.

cetera omnia. Debet etiam talis apparere. Sit ergo sat magna et pes ac scapus ita construantur ut manifeste ordinentur ad cuppam portandam ejusque valorem adaugendum. Præstat ut cuppa sit satis aperta, tum propter momentum ejus, tum ut in fine canonis facilius possit « signari ter a labio ad labium »; si tamen nimis late pateret, aut si fundus esset latior quam labrum, esset periculum ne sacræ species ad S. Communionem præter labia sacerdotis defluerent. Sit satis profunda, ut vitetur periculum effusionis si forte calix ex improviso propulsetur. Habeat fundum angustiorem, ut massa liquidi confluat.

Pes calicis, sive rotundus sit, sive excurrat in plures (4, 6, 8) angulos, quod minus convenit, aut plures semicirculos, habeat tantum ponderis et amplitudinis ut firmus stet calix, ne parvo compulsu evertatur. Ideo decet ut pes latius pateat quam cuppa.

Scapus sit rotundus vel polygonalis pro forma pedis quem continuare videatur.

Nodus seu pomellum non nimis distet a cuppa, nec ei immediate adhæreat ut ad consecrationem facilius accipi possit « juxta nodum infra cuppam ». Ceterum non ponatur nodus ut merum ornamentum, ideoque vitetur omnis ornatus impediens quominus commode manu apprehendi possit.

Altitudo calicis conveniens videtur esse a 17 ad 22 centim.; si minor sit, detrahitur dignitati; si vero major, difficilius peraguntur signa crucis.

Ad artis *ornatum* quod spectat, præ oculis habeatur configuratio generalis et linea structuræ externa, quæ etiam a longe videtur, et qua calix valde simplex potest esse vere pulcher. Hanc lineam ne destruant omnimoda ornamenta quasi ab extrinseco superaddita.

In cuppa tantum distet ornatus a labro quantum necesse est ut in sumptione SS. Sanguinis labium inferius ornatum non attingat. In cuppa minus congruere nobis videntur imagines Sanctorum, puta « patronorum », nisi in ordine ad SS. Eucharistiam, v.g. duodecim apostolorum,

aut evangelistarum. In pede merito solet poni crux in memoriale consecrationis et ut signetur pars calicis anterior. Ornamenta quæ architecturam redolent minus conveniunt. Præstat adhibere ornatum qui non solis oculis placeat, sed etiam ad mentem loquatur symbolismo rationali et moderato ; multum quidem placet unitas in generali calicis symbolismo, modo tamen hic non sit nimis exquisitus aut intricatus.

Notetur tandem Illustrissimum Episcopum Brugensem jure merito ante consecrationem calicis exigere ut infra pedem incisum sit nomen ecclesiæ aut instituti ad cujus dominium calix pertinet.

C. Callewaert.

De oratione deprecativa in Breviario.

(cfr suprà p. 424)

IV. ORATIO DOMINICA (1).

Hæc oratio a SS. Patribus maximis celebratur encomiis (2), quia a Christo ipso prolata et discipulis tradita (inde nomen orationis *dominicæ*), quia nova et propria *filiis* Dei in Novo Testamento, quia est « breviarium totius evangelii » (3) et complectitur omne et totum quod a Deo efflagitare possumus (4).

Jam Didache (c. 8), sæc. I-II, hortatur christianos ut ter in die recitent orationem dominicam, idemque repetunt Constitutiones Apostolorum (VII, XXIV). S. Augustinus eam vocat orationem « cottidianam » quia « cottidie » dicenda ut « cottidianum baptismum » contra cottidiana debita (5). S. Ambrosius eam commendat recitandam cum psalmis (suprà, p. 254).

Unde vix dubium haberi potest hanc orationem valde cito fuisse admissam in officio. Jam a. 517 synodus Gironensis (can. 10) statuit « ut omnibus diebus post matutinas et vespertinas oratio dominica a sacerdote proferatur ». Et S. Benedictus eam prescribit dicendam a Priore, certe in fine Laudum et Vesperarum, et etiam, ut nobis

(1) THALHOFER-EISENHOFER, *o. c.*, § 22; BONA, *o. c.*, XVI, 1.

(2) Lege v. g. tres tractatus *De oratione* ab Origene, Cypriano et Tertulliano conscriptos, necnon sermones postea occasione traditionis orationis Dominicæ ad catechumenos habitos, v. g. a S. Augustino, S. Petro Chrysologo, etc.

(3) TERTULL., *De oratione*, 1.

(4) S. AUGUST., *Epist. ad Probam*, c. 22.

(5) *S. Aur. Augustini tractatus sive sermones inediti*, edid. G. Morin, 1917, pp. 8, 32, 158. SS. Patres universim maximam tribuunt huic orationi efficaciam ad obtinendam veniam quotidianorum peccatorum propter hanc petitionem: *Dimitte nobis debita nostra sicut...*

videtur ad ceteras horas (1) cum supplicatione litaniæ.

Et synodus Toletana IV a. 633, can. 10, pronuntiat pœnam contra sacerdotes qui dictam orationem die tantum dominica dicerent et non « quotidie aut in publico aut in privato officio ». Postea documenta officii romani ubique in Precibus indicant *Pater noster*, ut in officio hodierno.

In hodierno officio dicitur *Pater noster* triplici modo diverso.

1/ Ordinarie: hebdomadarius inchoat voce intelligibili *Pater noster*, sequentia ab omnibus dicuntur in silentio, tandem hebdomadario dicenti: *Et ne nos inducas*... respondet chorus *Sed libera nos a malo*. Ita dicitur in Precibus (præterquam ad Laudes et Vesperas), in Matutino ante absolutionem (p. 254), in officio capituli ad Primam, post psalmos graduales et pœnitentiales cum Litaniis, et passim in multis benedictionibus. Est igitur modus ordinarius et antiquus jam in Regula S. Benedicti præscriptus.

2/ *Totum dicitur clara voce*, choro respondente *Sed libera nos a malo*, in Precibus ferialibus Laudum et Vesperarum.

---

(1) In describendo ordine singularum horarum (Reg. XVII), S. Benedictus semel tantum explicite commemorat *Pater noster*, nempe ad Vesperas, et quidem his verbis: « litania et oratione dominica fiant missæ ». Quibus verbis indicatur officii conclusio quam pro ceteris horis simili sed diverso modo describit. Sed licet in his non expresse nominetur oratio dominica, hæc tamen subintelligenda est quia pertinet, ut videtur, ad litaniam seu *Kyrie*. Dicit enim Regula, c. XIII: « Plane *agenda matutina vel vespertina* non transeat aliquando, nisi in ultimo per ordinem oratio dominica *omnibus audientibus dicatur* a Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, ut conventi per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt « *dimitte nobis sicut et nos dimittimus* », purgent se ab hujusmodi vitio. *Ceteris vero agendis* [h. e. officii horis] *ultima pars* eius orationis dicatur ut ab omnibus respondeatur: *Sed libera nos à malo* ». Ergo in fine omnium horarum dicendum est *Pater noster:* ad Laudes et Vesperas totum clara voce; ad ceteras vero horas sub silentio præterquam V. *Et ne nos inducas*... R. *Sed libera nos a malo*.

3/ *Totum dicitur secreto* cum verbo conclusorio *Amen*, sine responso: *a*/ ante quamcumque horam, exceptis Laudibus nisi separentur a Matutino, et Completorio, etiamsi separetur a Vesperis; *b*/ post quamlibet horam dicto V. *Fidelium animæ*, nisi sequatur alia hora; ad Completorium dicitur post benedictionem finalem, etiamsi alia hora sequatur; *c*/ in præludio Completorii ante *Confiteor*. Sed hæc omnia sunt recentioris introductionis.

Si nunc quæratur quænam sit causa hujus varietatis et notatim modi prioris et ordinarii, « nemo ex rubricarum expositoribus acceptabilem rationem adducit » (1) ait merito P. Piacenza, qui et ipse novam proponit hypothesim, quam non admittendam censemus (2). Quare et nobis liceat aliam proponere solutionem.

Origo et ratio hujus praxeos quærenda videtur in antiqua disciplina arcani. Constat enim per plura sæcula formulas tum orationis dominicæ, tum symboli Apostolorum reservatas fuisse solis baptizatis et proxime baptizandis: ideo non scribebantur sed *memoriter* erant addis-

(1) « Sæpius totum secreto dicitur, quia Deus de corde clamantes audit », ait Gavantus! Ergo semper deberemus dicere omnes orationes secreto! « Non raro clara voce et secreto simul, primis iis verbis invitando alios *Pater noster;* postremis requirendo eosdem ad consensum, quod fit propter Sanctorum communionem »! Rationes hujusmodi decem et plures inveniri possunt.

(2) Originem quærit Piacenza in antiqua oratione collectiva. « Scribit enim S. Augustinus (epist. 107) quod sacerdos dicturus orationem, populum invitabat dicendo *Oremus*, et postquam populus parumper secreto orasset, sacerdos quasi colligens preces omnium adstantium collectam dicebat. Itaque, quando collectæ ab omnibus amplius intellectæ non fuerunt, oratio secreta ab Oratione dominica substituta fuit, et sic partim alta voce, partim submissa voce dicendam esse statutum est ». P. Piacenza, *De divino officio*, 1909, p. 440. — Sed hæc non explicant modum recitandi *Credo*. Præterea similitudo collectam inter et orationem dominicam est mere materialis: prima verba non sunt invitatio, sicut ultima non colligunt petitiones secreto factas. Ulterius non videtur *Pater noster* locum sumpsisse antiquioris orationis collectæ propriæ, sed vicissim hanc pedetentim subrogatam fuisse orationi dominicæ, quæ primitus in quibusdam ecclesiis sola recitabatur ad finem horarum, ut apparet ex *Ordine officiorum ecclesiæ Lateranensis*, nn. 3, 23, 33, 116, 119 etc. Alia igitur quærenda videtur explicatio.

cendæ, et « tradebantur » electis cum explicatione ultimis diebus ante baptismum. In missa ad quam admittebantur soli baptizati, recitabatur quotidie *Pater noster* alta voce. Sed catechumeni non excludebantur ab aliis ritibus, signanter ab officio canonico. Et ideo *Pater noster* et *Credo* nec scribebantur in libris et recitabantur secreto. Prima tamen et ultima verba pronuntiabantur intelligibili voce, ad ponendum nexum cum præcedentibus et subsequentibus quæ alta voce dicuntur, ut etiam alibi fit v. g. in fine secretæ et canonis.

Quum tamen in monasteriis, ubi officium agebatur a solis monachis, non solerent adesse non baptizati, satis facile admitti poterat recitatio publica, ubi aderat ratio specialis. Et hujusmodi rationem proponit S. Benedictus pro Laudibus et Vesperis ut mane et vespere monachi mutuo sibi condonent leviores offensas et peccata et de eis obtineant veniam et remissionem a Domino per orationem Dominicam, notatim per petitionem: *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Usus tandem recitandi orationem Dominicam vel et symbolum fidei ante et post horas, ortum habuit ex devotione quadam privata, qua singuli illa recitare solerent extra officium adeoque secreto. Et idem modus recitandi servatus est quando illæ preces officio tandem sunt adnexæ.

V. SYMBOLUM.

Symbolum quod Apostolorum dicitur (1) et certe quoad substantiam est originis apostolicæ, erat « regula fidei » ante baptismum profitenda. Romæ dominica IV Quadragesimæ (postea feria IV sequenti) symbolum « tradebatur » h. e. recitabatur et explicabatur electis, qui illud memoriter addiscebant et ante baptismi receptionem « reddebant » seu publice profitebantur. Post baptismum cunctis

(1) THALHOFER EISENHOFER, *o. c.*, § 21.

(2) S. AMBROSIUS, *De virginibus*, III, 5; S. AUGUSTINUS, *Sermo LVIII*, 13; *Liber ordinum* (Lit. Mozarabicæ) ed. D. Férotin, p. 184; THEODULPHUS AURELIAN., *Capitula ad presbyt. parochiæ suæ*, c. 22, 23.

fidelibus injungebatur ut symbolum memoriter tenerent et quotidie, notatim *mane et vespere*, recitarent (2), tum ad profitendam fidem, tum ad se muniendum contra diaboli incursus. Est enim non tantum « signaculum cordis » sed et « militiæ sacramentum » contra dæmones (1).

Sponte igitur inductum est Symbolum etiam in officium quotidianum ut recitaretur *mane et vespere*, in prima et in ultima oratione temporis diurni. Unde illud habemus in « Precibus » ad Primam et Completorium, immediate post *Pater noster* quocum solebat esse connexum (2).

Sed decursu temporis multiplicata sunt festa majora, in quibus omittebantur Preces (p. 425). Ne igitur negligeretur recitatio quotidiana symboli, invaluit pedetentim usus (3) ut *Credo* recitaretur extra Preces, sed semper tanquam professio fidei ad initium et finem diei. Unde obtinuit usus recitandi symbolum: *a*/ ante Matutinum, seu ante officium nocturnum; *b*/ ante Primam, seu ad initium officii diurni; *c*/ post Completorium, seu absoluto officio totius diei. Et ita tandem omnibus præscriptum est a Pio V.

C. Callewaert.

(1) S. Athanasius, *Vita S. Antonii*, 23; S. Ambros., *De virginibus*, III, IV, 20.

(2) V. g. *Regula S. Fructuosi*, c. 2 (MPL, 87, 1099); Antiphonarium Benchorense.

(3) Qui jam memoratur in *Vita* S. Benedicti Aniani (c. 8), qui obiit anno 821.

Acta SS. Congregationum.

E S. Pœnitentiaria apostolica.

(Sectio de Indulgentiis).

DECRETUM.

DE NORMIS IN CONCEDENDA ET LUCRANDA INDULGENTIA PORTIUNCULÆ (1).

Ut septimi pleni sæculi ab condito feliciter amplissimo Minorum Ordine et memoria et fructus quam diutissime permanerent, fel. rec. Pius Pp. X, Litteris motu proprio die IX mensis junii anni MDCCCCX datis, benigne concessit, ut eo ipso dumtaxat sæculari anno, Portiunculæ Indulgentia, quam vocant, ad alias proferri posset ecclesias atque oratoria, quæ de Ordine Minorum non essent, necessarias atque opportunas ad rem facultates singulis locorum Ordinariis tribuendo (2).

Verum, id per insequentem annum, cum ejusdem indulgentiæ lucrandæ dies haud longe abesset, evenit, ut ad Supremam S. Officii Congregationem, cui tum munus moderandarum indulgentiarum incumberet, innumerabiles undique perferrentur libelli, quibus postulabatur, placeret Apostolicæ Sedi, aut indulta ante a quovis data prorogare aut nova ejus generis largiri, ut, quo præstantissimo ecclesiis sane multis frui licuerat beneficio, id deinde postea fruendum consisteret. Jamvero Emi ac Rmi PP. Inquisitores Generales, cum sibi visum esset Christi fidelium vota posse utiliter admitti atque expleri, censuerunt certas quasdam leges præstitui oportere, ad quas Indulgentia Portiunculæ in posterum concederetur. Ne tamen Ecclesiæ filii, usquedum ejusmodi leges conderentur, tam insigni beneficio carerent, iidem Emi Patres, decreto die XXVI mensis maii anni MDCCCCXI

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, p. 345 ss.
(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XV, 1910, p. 430 sq.

lato, quod tamdiu valeret quoad aliquid aliud decerneretur, concessiones antea factas facultatesque Ordinariis locorum tributas sine die prorogarunt (1).

Opus a S. Congregatione S. Officii inchoatum Sacra Pœnitentiaria Apostolica, cujus nunc est indulgentiarum concessionem usumque moderari, perficiendum cum sibi pro munere suo sumpsisset, re accurate perpensa, hæc, quæ sequuntur, ad Indulgentiam Portiunculæ quod attinet, in posterum servanda esse decrevit :

I. Ut veneratio, qua Assisiense de Portiuncula Sacellum fideles prosequuntur, nihil unquam capiat detrimenti, immo etiam cotidie magis augeatur, in nulla ecclesia nulloque oratorio, vel Franciscalis cujuslibet Instituti, quod a memorato Sacello minus distet quam infra n. V præscribitur, hæc Indulgentia altero die mensis augusti lucrifieri in posterum queat, etsi id antehac licuit, nisi ab iis tantum qui domum ecclesiæ vel oratorio continentem incolant, modo tamen aut physice aut moraliter impediantur quominus ad idem Portiunculæ Sacellum se conferant.

II. Perpetuæ hujus Indulgentiæ concessiones, adhuc quoquo modo factæ, integræ in posterum sunto, ea tamen condicione, ut normæ, hoc decreto futuris concessionibus moderandis statutæ, omnino serventur, si eam unice excipias quæ ad distantiam pertinet.

III. Indulta omnia temporaria, scilicet aut ad certum tempus aut sine die aut ad beneplacitum a quovis legitime concessa, inde a die XXXI mensis decembris vertente anno abrogata habeantur ac cessent. Quodsi nova in futurum indulta alicunde postulari contingat, libelli, ad Sacram Pœnitentiariam mittendi, ratio non habebitur, nisi Ordinarius loci preces commendet omnibusque perpensis de vera concessionis opportunitate atque utilitate testificetur.

IV. Si quando privilegium hujus Indulgentiæ largiendum sit, ædes sacræ præferantur, quæ B. Mariæ Virgini Angelorum vel Francisco Assisiensi dicatæ sint aut in quibus aliqua sedem habeat e Confraternitatibus seraphicis ; quæ ædes sicubi desint, templa cathedralia vel parochialia ceteris plerumque anteponantur.

V. Ecclesiæ vel publica oratoria ut privilegio hoc locupletentur, distent oportet tria, ut vocant, chilometra

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVI, 1911, p. 479 ss.

ab aliis ecclesiis vel oratoriis quæ ad aliquem Franciscalem Ordinem pertineant aut eodem privilegio fruantur.

VI. Si qua peculiari de causa hæc Indulgentia semipublicis oratoriis concedenda videatur, eadem unquam ne faveat nisi communitati vel cœtui fidelium, in cujus commodum oratoria illa erecta sint.

VII. Ordinariis locorum, parochis et ipsis rectoribus ædium sacrarum, in quibus privilegium insit, facultas esto, si quidem iustis de causis id expedire judicarint, pro altero mensis augusti die, qui dominicus non sit, substituendi, ad Indulgentiam lucrandam, diem dominicum proxime insequentem.

VIII. In iisdem ecclesiis vel oratoriis, quamdiu, ex præscripto, invisentibus, Indulgentiæ acquirendæ causa, fidelibus patebunt, tamdiu Reliquiæ S. Francisci Assisiensis vel B. Mariæ Virginis, aut saltem Imago vel statua ejusdem Sancti vel B. Mariæ Virginis Angelorum, venerationi fidelium propositæ maneant. Publicæ præterea preces ibidem pro Summo Pontifice universaque militanti Ecclesia, pro hæresum exstirpatione peccatorumque conversione, pro pace et concordia omnium populorum, Deo adhibeantur, quo tempore id fieri opportunius videbitur; sacerque iste ritus, præmissis tum B. Mariæ Virginis Angelorum et Seraphici Patriarchæ invocatione, tum Litaniis Sanctorum, Eucharistica benedictione absolvatur.

IX. Qui Indulgentiam Portiunculæ lucrari cupiat, is admissa sua confiteatur, ab iisque, si opus sit, absolutus, sacra de altari libet; ecclesiam vel oratorium, privilegio ditata, invisat, precesque ad mentem Summi Pontificis de more fundat, idest saltem sexies *Pater*, *Ave* et *Gloria* in unaquaque earum visitationum, quas ad indulgentiam iterum iterumque impetrandam rite peragat.

X. Altero mensis augusti die vel die dominico proxime insequenti, condicionibus superiore n. IX statutis eos quoque stare oportet, si velint Indulgentiæ compotes fieri, qui reliquis per annum diebus eo fruuntur indulto, ut sola sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* recitatione, præter alias, etiam Portiunculæ Indulgentiam lucrari queant.

Quæ quidem omnia Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in audientia die XVI mensis maii subscripto Cardinali Pœnitentiario Majori impertita, adprobavit promulgarique jussit. Contrariis quibuslibet,

etiam specialissima atque individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romæ ex Ædibus Sacræ Pœnitentiariæ, die x mensis julii, anno MDCCCCXXIV.

O. CARD. GIORGI, *Pœnitentiarius Major.*

Silvius Fagiolo,
S. Pœnit. Apost. a Secretis.

Adnotatio de indulgentia Portiunculæ (2 augusti).

I/ Pius X, sanctæ memoriæ, die 9 junii 1910, occasione septimi sæculi revoluti ab instituto amplissimo Fratrum Minorum Ordine, eo fine ut fideles ubique facilius indulgentiam portiunculæ consequi possent, benigne concessit *pro hoc tantum anno 1910*, et firmis concessionibus de eadem indulgentia antea quomodocumque factis et nondum expiratis, ut portiunculæ indulgentia ad alias ecclesias et oratoria quæ de ordine Minorum non essent extendi posset. In quem finem 1° omnibus et singulis locorum Ordinariis facultatem fecit unam aut plures pro rei opportunitate in quovis loco propriæ ditionis ecclesias aut publica vel semipublica oratoria designandi ubi fideles confessi, s. communione refecti et ad mentem s. Pontificis orantes indulgentiam plenariam *toties quoties*, animabus purgatorii etiam applicabilem lucrari possent a primis vesperis 1i augusti ad solis occasum 2i augusti; 2° hanc vero eamdem indulgentiam, iisdem sub conditionibus eademque ratione lucrifieri posse concessit s. Pontifex a fidelibus utriusque sexus communem vitam agentibus « qui propriam ecclesiam, vel, si carent, proprium oratorium, ubi ss. Eucharistia asservatur, visitaverint ». 3° Præterea benigne indulsit iisdem locorum Ordinariis ut ad supradictam indulgentiam lucrandam statuere possent, tam pro in sæculo quam pro in piis communitatibus viventibus fidelibus, loco diei 1 augusti, dominicam proxime insequentem, a vesperis sabbati ad solis occasum dominicæ, hac tamen lege ut nequeat quis eadem concessione bis frui, tum scilicet 2 augusti, tum dominica sequenti (1).

---

(1) Lege hoc Motu-proprio: *Sacris solemniis*, apud *Collat. Brugen.*, t. XV, 1910, p. 430 sq.

II/ Die vero 26 maii 1911 suprema s. Congregatio s. Officii, sectio de indulgentiis, generale decretum edidit *usque ad novam dispositionem valiturum*, quo sequentia statuit.

1° *Concessiones* tam pro fidelibus in sæculo viventibus quam pro piis communitatibus *antea a S. Sede factæ* et jam nunc expiratæ vel in posterum expiraturæ *prorogantur sine die*. At tempus ad indulgentiam lucrandam jam currit inde a meridie 1 augusti usque ad mediam noctem 2 augusti, juxta decretum s. Officii 26 januarii 1911. Servari autem debent clausulæ et conditiones quæ in præcedenti indulto statuebantur.

2° *Quoad novas concessiones faciendas* tam pro fidelibus in sæculo viventibus quam pro piis communitatibus, *Ordinariis* respectivis *providendum committitur sine die*, seu ipsis datur facultas sine die concedendi indultum Portiunculæ. At servari debent clausulæ et conditiones præscriptæ in *Motu-proprio* 11 junii 1910 supra descripto, excepta tamen clausula de tempore utili ad lucrandam portiunculæ indulgentiam, quæ ut supra mutanda est.

Tandem prorogatur sine die facultas Ordinariis facta substituendi diei 2 Augusti dominicam proxime insequentem cum eadem tamen restrictione supra indicata, neminem scilicet posse eadem concessione bis frui (1).

III/ Decreto suo 10 julii 1924 s. Pœnitentiaria apostolica, perficiens opus a s. Congregatione s. Officii inchoatum, certas ac fixas statuit super hoc præstantissimo favore portiunculæ normas in posterum servandas quas ad tria capita reducimus, scil. *loca*, *tempus et opera* ad portiunculæ indulgentiam *concedendam* vel *lucrandam* præscripta.

A. — Loca ubi portiuncula lucrifieri potest.

1° In ipso sacello assisiensi *de Portiuncula* B. M. V. de Angelis dedicato, et ita quidem ut in vicinio ejus, ad distantiam trium chilometrorum (2), in nulla ecclesia vel

---

(1) Vide hoc decretum cum adnotationibus H. Mahieu apud *Collat. Brugen.*, t. XVI, 1911, p. 479 ss.

(2) Distantia hæc computanda videtur non per aerem aut per directum, sed modo obvio et communi, scilicet juxta iter faciendum per viam publicam. Cfr *Periodica de re canonica et morali*, 1924, p. 167.

oratorio, etiam franciscano, portiuncula jam lucrifieri possit 2ª die augusti, etsi id antehac licuit, « nisi ab iis tantum qui domum ecclesiæ vel oratorio continentem incolant, modo tamen aut physice aut moraliter impediantur quominus ad idem Portiunculæ sacellum se conferant ».

2° Extra Assisium in locis *perpetua* concessione favoris portiunculæ ditatis, dummodo serventur normæ hoc decreto statutæ, excepta ea tantum quæ ad distantiam spectat, id est etiamsi minus quam tribus chilometris ab invicem distent.

Hæc loca sunt *a*/ imprimis omnes ecclesiæ, omniaque oratoria publica primi, secundi et tertii ordinis *regularis* s. Francisci, scilicet fratrum minorum, conventualium et capucinorum (qui primum ordinem s. Francisci constituunt), clarissarum (quæ secundum ordinem efficiunt) et tertiariorum *regularium* ac religiosarum, sive votorum solemnium sive votorum simplicium, tertii ordinis s. Francisci : *in his omnibus*, sicut etiam in ecclesiis seu oratoriis publicis quæ sunt propria, id est proprietas, tertii ordinis sæcularis s. Francisci, *portiuncula lucrifieri potest ab omnibus fidelibus* (1).

b/ Omnes ecclesiæ et oratoria in quibus sedes sodalitii tertii ordinis sæcularis est constituta, id est in quibus aliqua congregatio T. O. sæc. fuit canonice erecta (2) : *ibi autem a solis fidelibus tertio ordini s. Francisci adscriptis portiuncula lucrifieri potest.*

Aliæ autem concessiones siquæ hucusque factæ sunt *perpetuæ*, integræ manent. Omnia vero indulta *temporalia*, ut sunt ea omnia quæ, juxta decretum 26 maii 1911 supra descriptum sub II, ab Ordinario multis ecclesiis et oratoriis fuerunt concessa, jam penitus cessant inde a 31 decembris 1924 (3).

---

(1) Cfr Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, ed. 15, t. I, p. 509 ss. 514, 518, ubi decreta citantur; *Collat. Brugen.*, t. XX, p. 147 ss.: decretum s. Officii, 8 junii 1916.

(2) Sodalitium tertii ordinis ordinario non erigitur nisi in aliqua ecclesia vel oratorio, qui locus dicitur sedes sodalitii, etiamsi conventus tertiariorum non ibi sed in alio loco habeantur: ita v. g. in seminario brugensi ecclesia seminarii est sedes sodalitii tertii ordinis; conventus vero menstrui in oratorio fiunt. Adverte tamen talem sedem non requiri ad validitatem erectionis.

(3) Attende notam 1. in fine hujus articuli appositam.

Ut vero nova indulta hunc favorem portiunculæ conferentia in posterum concedantur requiritur α/ ut libellum postulatorium ad s. Pœnitentiariam directum Ordinarius loci commendet, testificans veram concessionis opportunitatem atque utilitatem ; β/ ut ecclesiæ aut publica oratoria, pro quibus privilegium portiunculæ postulatur, saltem tribus chilometris distent ab aliis ecclesiis vel oratoriis publicis in quibus *ab omnibus fidelibus* portiuncula lucrifieri potest (1).

In eligenda autem ecclesia aut oratorio hic ordo præferentiæ servabitur, scilicet præferendæ sunt ædes sacræ aut B. M. Virgini Angelorum vel s. Francisco Assisiensi dicatæ, aut in quibus aliqua e confraternitatibus franciscanis sedem habeat (2).

Hisce autem deficientibus, ecclesia cathedralis vel parochialis ceteris plerumque anteponatur.

Quodsi hæc indulgentia, peculiari de causa semipublicis oratoriis concedenda videatur, ut v. g. oratorio alicujus collegii, convictus puellarum (kostschool), nosocomii, domus religiosæ, ubi non omnibus liber datur accessus (3), hoc privilegium unice cedit in favorem ipsius communitatis vel cœtus fidelium in cujus commodum oratoria illa erecta sint (aut, ni fallimur, cui de facto inserviunt).

B. — *Tempus* quo indulgentia portiunculæ lucrifieri potest est proprie dies 2 augusti, nimirum inde a meridie 1 augusti usque ad mediam noctem 2 augusti.

---

(1) Distantia antea imposita erat unius milliarii italiani, id est 1489 metrorum. Cfr BERINGER-STEINEN, *o. c.*, t. I, n. 969, p. 519 sq Distantia computanda videtur ut supra notavimus, p. 482 nota (2).

(2) Ex subjecta materia videtur vox « confraternitates » in hoc textu intelligenda sensu lato et tamquam terminus analogus, complectens non modo confraternitates proprie dictas, qualis est v. g. *confraternitas de cingulo s. Francisci Assisiensis*, (circa quam cfr BERINGER-STEINEN, *o. c.*, t. I, n. 272, p. 261 ss. ; P. CAROLUS, O. M. Capuc., *De derde-orde van s. Franciscus van Assisië*, p. 129 ss.), sed et sodalitia tertii ordinis sæcularis s. Francisci, quamvis hæc in novo jure sub hoc nomine non veniant. Unde ecclesiæ et oratoria publica ubi tertius ordo sæcularis est canonice erectus præferenda erunt ecclesiis cathedrali vel parœciali, ibique, designatione ab auctoritate ecclesiastica semel facta, jam non soli tertiarii, sed omnes christifideles portiunculam lucrari possunt.

(3) Distantia de qua supra non est servanda pro oratoriis semipublicis.

Præsenti autem decreto facultas conceditur non tantum Ordinariis locorum sed et parochis ac ipsis rectoribus ædium sacrarum privilegio portiunculæ ditatarum ut diei 2 augusti, si non sit dies dominica, substituere possint diem dominicam proxime insequentem ad portiunculam lucrandam (scilicet a meridie sabbati usque ad mediam noctem dominicæ), si id justis de causis expedire judicarint (1).

C. — *Opera* ad portiunculam lucrandam præscripta.

1° In ædibus sacris ubi portiuncula lucrifieri potest, *a*/ reliquiæ s. Francisci Assisiensis vel B. M. Virginis, aut saltem imago vel statua s. Francisci vel B. M. Virginis Angelorum venerationi fidelium propositæ maneant, per totum tempus quo ædes patebunt fidelibus portiunculæ lucrandæ causa invisentibus.

b/ Publicæ preces ibidem tempore opportuniore diei portiunculæ pro Summo Pontifice universaque militanti Ecclesia, pro hæresum extirpatione peccatorumque conversione, pro pace et concordia omnium populorum Deo adhibeantur.

Postea vero invocetur B. M. V. de Angelis, s. Franciscus Assiensis, recitentur litaniæ sanctorum et benedictio cum ss. Sacramento impertiatur (2).

Hæc tamen præscripta sub *a*/ et *b*/ non sunt conditio sine qua non ut a fidelibus indulgentia portiunculæ lucrifieri possit, ut nobis omnino videtur.

2° Opera vero ab unoquoque de necessitate præstanda ad lucrandam portiunculæ indulgentiam hæc sunt : confessio scilicet cum absolutione si ea opus sit, communio, visitatio ecclesiæ vel oratorii privilegio ditati, et preces in singulis visitationibus ad mentem s. Pontificis dicendæ. Hæ autem preces, hucusque semper sine ulteriore determinatione præscriptæ, pro prima vice nunc accuratius determinantur : « saltem sexies *Pater, Ave* et

---

(1) « Nomine *ædium sacrarum* veniunt etiam oratoria semipublica quibus indulgentia concessa sit ». In substituenda die dominica diei 2 Augusti « voluntas Ordinarii voluntati parochi præferenda erit, nec parochus vel rector diem definient nisi Ordinarius ea determinanda abstinuerit ». *Periodica de re canonica et morali*, 1924, p. 168.

(2) Infra, p. 489, in nota 2, auctoritate Illmi ac Revmi D. Episcopi statuitur totus ordo in hoc sacro ritu servandus.

Gloria », quæ forma precandi in familia franciscana jam diu usitata et multis indulgentiis, inter alias indulgentia portiunculæ, ditata est, ut infra sub n. 3 dicemus.

Ad has conditiones pauca notamus :

a/ Ex eo quod uniformiter hæ conditiones præscribuntur, nulla distinctione facta inter ipsum sacellum Portiunculæ Assisiense et alias ædes sacras quibus hic favor fuit communicatus, immerito concluderetur quidquam immutari privilegio sacelli Assisiensis, juxta quod ad lucrandam portiunculam inibi sufficiunt confessio et visitatio tantum (1).

b/ Quoad confessionem et s. communionem valent regulæ generales in canone 931 statutæ quas sic breviter complectimus (2).

α/ Quoad *confessionem :*

Ad lucrandas quasvis indulgentias, sola excepta indulgentia jubilæi vel ad instar jubilæi, sufficit confessio facta intra octo dies immediate præcedentes aut intra octo dies immediate sequentes diem cui indulgentia est affixa. Ad lucrandas indulgentias concessas pro piis exercitiis per triduum, hebdomadam etc. ductis, sufficit confessio facta intra octo dies immediate ea exercitia præcedentes, aut intra octo dies conclusionem eorum exercitiorum immediate subsequentes.

Sufficit confessio quam quis solet, nisi legitime impediatur, bis in mense instituere, ad quasvis indulgentias interea occurentes lucrandas.

Fideles qui solent quotidie digne communicare, aut saltem quinquies per hebdomadam, possunt omnes indulgentias occurentes consequi sine actuali confessione.

β/ Quoad *s. communionem :*

Ad lucrandas quasvis indulgentias s. communio, si sit præscripta, fieri potest vel pridie diei cui indulgentia est adnexa, vel intra octo dies proxime hanc diem subsequentes. Quodsi indulgentia est affixa exercitiis per tri-

---

(1) Vide in novo Codice can. 4. Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, n. 964, p. 514. P. Carolus, O. M. C., *o. c.* p. 112 ss. — Unde s. Communio et preces ad intentionem S. P. exiguntur tantum extra sacellum Assisiense.

(2) Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, n. 101 ss., p. 68 ss. ; Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiæ moralis*, t. II, n. 405 ; *Collat. Namurc.*, t. XVIII, p, 152 sq.

duum, hebdomadam etc. ductis, s. communio fieri potest aut pridie horum exercitiorum aut intra octo dies conclusionem illorum subsequentes.

Adverte tandem non requiri ut s. communio in ipsa ecclesia fiat cui concessum est privilegium portiunculæ.

c/ Preces ad intentionem s. Pontificis recitandæ *per exceptionem* assignantur, scilicet sexies *Pater* sexies *Ave* et sexies *Gloria* (1). Ex hac autem exceptionali determinatione immerito concluderetur jam ad omnem indulgentiam plenariam aut saltem ad omnem indulgentiam plenariam toties quoties (2) has preces esse « minimum aliquod » de necessitate requisitum. Integra scilicet manet regula generalis, canone 934 § 1 statuta: « Si ad lucrandas indulgentias oratio in genere ad mentem s. Pontificis præscribatur, mentalis tantum oratio non sufficit; oratio autem vocalis poterit arbitrio fidelium deligi, nisi particularis aliqua assignetur » (3).

d/ Visitationes ecclesiæ, si hæc clausa sit, etiam ad valvas et gradus fieri possunt, ut s. Pœnitentiaria declarat in instructione de jubilæo lucrando (4).

3° Tandem, in fine decreti, statuuntur conditiones quas implere debent ut die 2 augusti vel dominica sequenti indulgentiam portiunculæ lucrentur ii qui reliquis per annum diebus eo fruuntur indulto ut sola recitatione sex *Pater Ave* et *Gloria*, præter alias, etiam portiunculæ indulgentiam lucrari queant.

In elencho nimirum indulgentiarum tertii ordinis s. Francisci conceditur ut *tertiarii quotiescumque* recitant 5 *Pater Ave* et *Gloria* (5) pro incolumitate rei christianæ

---

(1) Non sufficit ergo dicere sexies *Pater*, sexies *Ave* et semel tantum *Gloria*.

(2) V. g. ind. plen. toties quoties in solemnitate ss. Rosarii, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, in festo B. M. V. de monte Carmelo (in ecclesiis aut oratoriis publicis Carmeli).

(3) Cfr *Nederlandsche katholieke Stemmen*, 1924, p. 310 sq. Sæpius declaravit s. Sedes *sufficere* 5 *Pater*, *Ave* et *Gloria*: ita adhuc recenter pro indulgentia jubilæi, s. Pœnitentiaria, 31 julii 1924, *Acta Apost. Sedis*, 1924, p. 342. Immerito tamen inde concluderetur hanc quantitatem precum imponi de necessitate implendam, adeoque aliam quamdam et breviorem orationem esse insufficientem.

(4) Cfr *Periodica*, *t. c.*, p. 69.

(5) Quod iterum intelligas 5 *Pater*, 5 *Ave* et 5 *Gloria*, non vero, ut aliquando fit, 5 *Pater*, 5 *Ave* et unum *Gloria*.

et 1 *Pater Ave* et *Gloria* ad mentem s. Pontificis, *toties* eas omnes indulgentias consequantur quas lucrantur fideles qui stationes Urbis, *Portiunculam*, loca sancta hierosolymitana, ædem s. Jacobi Apostoli ad Compostellam visitant, servatis decretis 7 martii 1678 *(Indulgentias vero)*, 16 februarii 1852 et 14 aprilis 1856 (1). Hæ indulgentiæ defunctis etiam applicabiles antiquitus vocabantur indulgentiæ stationis ad ss. Sacramentum, quia prædictæ preces coram altari ss. Sacramenti erant persolvendæ : id autem jam non est requisitum (2). Adverte idem indultum aliis adhuc concessum esse. v. g. iis quibus legitime impositum fuit scapulare cœruleum benedictum Immaculatæ Conceptionis (3).

Jam autem, ad lucrandas has indulgentias quovis anni die nullæ aliæ conditiones ab iis qui hoc indulto fruuntur antea præstandæ erant præter preces prædictas scil. 6 *Pater Ave* et *Gloria*. Nunc vero iis ulterius imponitur ut si velint indulgentiam portiunculæ lucrari ipsa die 2 augusti vel dominica sequenti (si nimirum hæc dominica fuerit substituta diei 2 aug.) debeant et ipsi præter sex *Pater Ave* et *Gloria* etiam reliqua opera supra descripta præstare, scilicet confessionem, communionem et visitationem juxta regulas supra memoratas. Reliquis vero anni diebus sola recitatione sex *Pater*, *Ave* et *Gloria*, indulgentiam portiunculæ lucrari valent.

Nota. 1° Qui anno 1911 et deinceps ab Ordinario privilegium portiunculæ suis ecclesiis vel oratoriis obtinuerunt, curent omnino ut, si conditio quoad distantiam in decreto præscripta verificetur, renovationem hujus præstantissimi favoris a S. Sede per intermedium Ordinarium tempestive expostulent (4).

---

(1) Cfr H. M. Mileta, *Enchiridion ... tertii ordinis sæcularis S. P. Francisci Assisiensis*, 1913, p. 79. Pro ulteriore explicatione hujus indulti cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. II, n. 392, p. 407, coll. t. I, n. 948, p. 492; P. Carolus, *o. c.*, p. 126 ss.

(2) Etiam quandoque vocatur hoc exercitium devotionis: *Kruisgebed*, quia ex consuetudine immemoriali in ordine s. Francisci vigente hæ preces recitantur brachiis extensis. Ille tamen modus recitandi non est requisitus ad lucrandas indulgentias.

(3) Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, n 948, p. 490 ss.

(4) In supplici libello ad Ordinarium misso sedulo indicent utrum ædes sacræ publicæ pro quibus privilegium portiunculæ postulant tri-

2° Quoad preces publicas præscriptas ad intentiones enuntiatas in decreto supra citato, ad VIII, Rev^mus D^nus Episcopus Brugensis decernit ut sequitur: 2^a augusti (vel die dominica proxime insequenti), hora pomeridiana magis congrua, exponatur SS^m Sacramentum et coram illo:

a/ cantetur canticum « Ave Maris stella » cum versu et oratione B. M. V. « *Omnipotens sempiterne Deus qui gloriosæ...* » ; *b/* cantetur *Iste Confessor* cum versu : *Ora pro nobis Beate Francisce...* et oratione missalis de festo s. Francisci Assisiensis ; *c/* cantentur vel recitentur Litaniæ Sanctorum cum versibus et orationibus consuetis ; *d/* cantetur *Tantum ergo* cum versu et oratione solitis et detur benedictio cum SS^mo Sacramento. Illa die aliæ Laudes vespertinæ non celebrentur.

A. Legrand.

bus chilometris distent ab alia ecclesia vel oratorio publico quæ ad aliquem franciscalem ordinem pertineant aut eodem privilegio generali fruantur, juxta ea quæ supra diximus.

Consultationes.

I.

De usu pecuniæ confraternitatum.

Parochus pecunias alicujus confraternitatis disponibiles in loco frugifero collocat (op intrest plaatsen), ratus se ad istud non teneri; consequenter, pecuniam sic accrescentem in usum quemdam pium, a fine confraternitatis alienum, nimirum pro opere scholari, adhibet.

Quæritur: 1/ num detur obligatio pecunias confraternitatum in loco frugifero collocandi? — 2/ Quodsi affirmative, num fructus sic collecti etiam ipsi, fini confraternitatis inservire debeant? — 3/ Quid proinde pro facto præterito et pro futuro agendum remaneat parocho? R. — Ad 1m: affirmative.

Pecunia a membris confraternitatis pro annua cotisatione oblata pertinet ad personam moralem, quæ est ipsa confraternitas, et quæ gaudet jure acquirendi bona temporalia (can. 691, § 1). Si, omnibus confraternitatis obligationibus expletis, pecunia remanet, parochus eam accurate servare, et *diligentia boni patrisfamilias* administrare *debet*. Adeoque, nisi agatur de pecunia minoris momenti, curare tenetur ut in loco tuto ac frugifero collocetur.

Ad 2m: *per se* affirmative.

Diximus: *per se;* etenim pecunia sic collocata fructificat domino, i. e. confraternitati, ideoque reditus annui summam capitalem adaugent, et fini confraternitatis inservire debent. At, *per accidens*, si parochus in sua parœcia haberet confraternitates valde florescentes, ita ut certocertius omnibus obligationibus confraternitatis stare valeat, posset hos fructus collocatæ pecuniæ adhibere ad alios usus pios, puta ad opus scholare, ad pauperes sublevandos, ad tyrones sacerdotii sustentandos, et ad alia

hujusmodi, — modo tamen membra confraternitatis in talem usum consentiant. Qui consensus facile obtineri poterit, puta occasione perceptionis annuæ cotisationis, vel imo præsumi poterit si manifestis verbis rem e suggestu proclamaverit, vel in conventu ipsius confraternitatis exposuerit (1). Quod tamen parochus ne faciat inconsulto Ordinario loci ; hujus enim est invigilare recto usui omnium bonorum ecclesiasticorum suæ diœceseos.

Ad 3m : Siquidem bona fide pecunias illas adhibuit parochus, neque, ut supponitur, elargiendo illas *suis* pepercit, non tenetur *ex suis* restituere ; in hoc casu enim deficit utraque radix restitutionis : tum rei acceptæ, tum injustæ acceptionis, ex quibus aliquis posset ad restituendum teneri. Quodsi simul habet fundum aliquem qui operi scholari inservire debeat, ita ut elargiendo pecuniam confraternitatis huic fundo scholari pepercerit, ex eodem fundo scholari confraternitati restituere tenetur. — Pro futuro autem bene faciet parochus modo supra descripto obtinendo consensum membrorum confraternitatis et Ordinarii loci.

II.

Droit de la fabrique d'église sur le produit des quêtes et des troncs.

Dans ma paroisse on vénère beaucoup St . . . Un tronc placé devant la statue du Saint rapporte annuellement une grande somme. Ensuite pendant la neuvaine solennelle annuelle, ceux qui viennent en pèlerinage pour vénérer le saint déposent leurs oblations dans un plateau placé à côté de la relique du Saint. Parfois même on fait

(1) Hæc præsens solutio de pecuniis confraternitatum abstrahit a quæstione plus minusve simili, quæ poni posset circa pecunias ex truncis et collectis provenientes, vel quomodocumque in honorem sanctorum a fidelibus oblatas, quam quæstionem data opportunitate tractare intendimus.

des offrandes en nature. Jusqu'ici j'ai toujours disposé de ces oblations dans un but pieux (célébration de messes — saluts — frais des solennités — ornementation de la statue) sans le moindre contrôle de la fabrique d'église. Mais maintenant la fabrique fait valoir son droit (?), et exige de pouvoir disposer de ces oblations et offrandes. En a-t-elle le droit? Dois-je renseigner ces produits au compte de la fabrique?

R. — Pour mieux répondre à la question posée, et pour résoudre en même temps des cas similaires qui se présentent bien souvent, il sera bon de la formuler comme suit : quel est en général le droit de la fabrique sur le produit des oblations et des quêtes?

1/ *Principes généraux* : *a*/ La destination des oblations, du produit des troncs et des quêtes dépend essentiellement de la volonté des donateurs. Cette destination est déterminée soit par les inscriptions placées sur les troncs, parfois par l'inscription placée sur les instruments qui servent aux quêtes, ou par l'usage, à défaut de mention expresse du donateur.

b/ Le produit des oblations, troncs et quêtes appartient à la fabrique, si celles-ci ont été faites en vue d'un objet rentrant dans la compétence de la fabrique ; sinon elles appartiennent au curé, qui *doit* en disposer selon la volonté des donateurs.

2/ *Applications* : *a*/ Quant au produit des troncs placés près de la statue du Saint : le produit d'un tronc n'appartient pas nécessairement à la fabrique. Rien n'empêche de placer un tronc pour une œuvre étrangère à la fabrique (1): s'il était établi que le produit du tronc sert à l'entretien de la statue du Saint, de l'église, ou du luminaire, choses qui rentrent dans la mission des fabriques, ce produit devrait être remis au conseil de fabrique. Tout au

(1) Dans ce cas les marguilliers doivent être *consultés* par l'Evêque; mais leur consentement n'est pas requis.

moins la partie de ce produit du tronc destiné à cet entretien doit lui être remis. Les dons qui ont une autre destination, p. ex. la célébration de messes, ne doivent pas être remis à la fabrique, à moins d'usage contraire.

b/ Quant au produit des dons faits pendant le pélerinage: il ne doit pas être affecté à la fabrique s'il est établi que ces dons ne lui sont pas destinés. Or, un arrêté royal du 16 Janvier 1899 a décidé que les offrandes faites par les pélerins en l'honneur d'un Saint dont l'image est vénérée à l'église n'entrent pas dans la caisse de la fabrique et ne doivent pas être renseignées au compte pour le motif qu'il résulte de l'intention que les offrandes des pèlerins ne sont pas destinés à la fabrique. C'est une question de fait à trancher d'après les usages existants. Il en est ainsi des oblations faites dans le tronc, et à plus forte raison des offrandes faites à l'occasion de la vénération de la relique (1).

J. Brys.

(1) Cfr A. De Meester, *La sépulture et les fabriques d'églises*, 2e éd. p. 305.

Notæ Bibliographicæ (1)

Honoré, L. (S. J.) *Le secret de la confession.* Etude historico-canonique (Museum lessianum). Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, xx-159 p.

Dans un chapître préliminaire, le P. Honoré traite de la discipline pénitencielle durant les quatre premiers siècles ; ensuite, parcourant les documents à partir du 4e siècle, il montre qu'on peut glaner très tôt l'un ou l'autre témoignage de Pères qui considèrent la discrétion du confesseur comme une obligation professionelle. En 419 nous rencontrons la première peine portée contre un évêque qui avait violé le secret de la confession (17e concile de Carthage). La lettre de s. Léon aux églises de Campanie, du Samnium et du Picenum (459) est la première décrétale ordonnant le silence absolu du confesseur.

L'auteur parcourt ensuite l'époque qui va de Charlemagne à Innocent III, examine aussi la doctrine des grands scolastiques au sujet de l'extension, de la rigueur, de la raison du sigillum et de l'usage que les supérieurs peuvent faire des connaisances sacramentelles dans leur administration.

Vient encore la question de la révélation du crime de lèse-majesté, l'ordonnance du P. Aquaviva, la constitution du Pape Clément VIII qui défend aux supérieurs réguliers de faire usage dans le gouvernement, des connaissances acquises par les confessions de leurs inférieurs, un chapître au sujet des opinions jansénistes et gallicanes, enfin un exposé de la doctrine des moralistes modernes et contemporains. L'auteur termine en répondant à cette question : le secret de la confession a-t-il jamais été violé ? Cet exposé montre l'importance de cette étude. Nous ne pouvons en dire que du bien et nous en conseillons vivement la lecture à nos abonnés. V. Coucke.

Fanfani, L. (O. P.). *Le droit des religieuses* selon le Code de droit canonique. — Trad. française par le R.P.L. Misserey, professeur de droit can. au Saulchoir. Torino, P. Marietti, 1924. — In 8, xx-312 p. — Pr. 14 fr.

Le R. P. Fanfani composa en 1921 un petit manuel, à l'usage des religieuses de langue italienne, intitulé : « Il diritto delle religiose conforme al diritto canonico ». Le R. P. Misserey vient de le traduire en français pour les religieuses de France et de Belgique.

Ce livre sera utile parce que les matières diverses sur l'état religieux éparses dans le code s'y trouvent réunies en un seul tout; et ce rap-

(1) Opus A. Tanquerey, cujus recensio ponitur supra p. 438, in fasc. præc., editum fuit a Desclée et Cie, Tournai. — Supra, p. 129, l. 26, loco : practice dubiæ, lege : sensu lato sumptæ.

prochement de textes juridiques nous offre une synthèse très heureuse des principes de droit et de morale concernant ce sujet. On pourrait trouver dans la nombreuse littérature juridique parue sur cette matière depuis le Code, des ouvrages plus scientifiques et plus complets. Notre A. poursuit un but pratique; il a donc été en droit d'écarter de son ouvrage les discussions scientifiques, mais on s'étonne néanmoins de ne pas trouver plus de renseignements d'ordre pratique. Ce livre est un traité simple, succinct et précis tout à la fois, dont le maniement est rendu très facile, grâce aux tables très détaillées, à la fin de l'ouvrage et grâce encore à la disposition typographique qui par la diversité des caractères judicieusement choisis met en relief et le détail des choses et leur importance diverse.

Le R. P. Misserey a rendu un réel service en donnant cette traduction française, qui suit de très près le texte italien mais tient compte également de nos religieuses à vœux solennels.

Cocchi, G. *Commentarium in codicem juris canonici ad usum scholarum.* Lib. III. De Rebus. Pars secunda ad sextam inclusive. Taurinorum Augustæ, Marietti, 1924. — Vol. 2 in 8, X-260 et 444 p. — Pr. 8 et 13.50 fr.

Jam pluries in hoc periodico (1) fuerunt celebrata merita hujus commentarii, cujus nunc volumen quintum et sextum recensemus; atque de iis sicuti jure de prioribus dictum fuit, ea brevitate, claritate necnon securitate doctrinæ eminere libenter fatemur. Clarissimus A. nitide etiam nexum logicum titulorum et canonum indicat; et sedulo curat, ut desiderata ad priora volumina olim proposita, rite expleat. Ita in penitiorem legislationis intellectum utiliter quasdam breves notas historicas inserit; studium scientificum promovet remittendo sæpe ad opera, quæ de subjecta materia magis in extenso tractant; quæ de novo codice explicando ab aliis fuere tradita jam non prætermittit. Unde, quamquam hoc commentarium, ex scopo alioquin auctoris, est liber manualis, tamen utilitatem et professoribus et auctoribus afferre natum est.

Matthæus a Coronata (O. M. C.). *Ius publicum ecclesiasticum.* Introductio ad institutiones canonicas ad usum scholarum. Augustæ Taurinorum, Marietti, 1924. — In 8, XIX-268 p. — Pr. 12 lib. ital.

Auctor optime notus ob eximium suum commentarium « *De locis et temporibus sacris* », olim in hoc periodico (2) enixe commendatum, hanc introductionem ad institutiones canonicas merito in lucem edidit.

Inter problemata ad jus Ecclesiæ publicum spectantia præcipue et fere unice immoratur in tradendis principiis de independentia Ecclesiæ interna et externa, ideoque in parte priori agit de jure publico interno,

---

(1) Supra p. 96.

(2) *Collat. Brugen.*, XXI, p. 522 et XXIV, p. 181.

seu de Ecclesiæ catholicæ perfectione juridica; in altera vero de jure publico externo seu de relationibus Ecclesiam inter et alias societates. His tamen adnectit et partem tertiam, in qua agit de jure publico quod vocat speciale, nempe de concordatis, de regio « placet », de appellatione ab abusu et de immunitatibus ecclesiasticis.

In exponenda doctrina quamproxime sequitur Card. Cavagnis, ita ut hoc parvum manuale vere haberi possit tanquam summarium operis hujus « Institutiones juris publici ecclesiastici », sicque tanta auctoritate nixus, revera opus magni pretii condidit. Censet R. P. se novam dedisse explicationem ad stabiliendam naturam juridicam immunitatis ecclesiasticæ: inter multiplices opiniones tenet immunitates, quas definit exemptiones ab oneribus communibus lege civili valida impositis, non esse formaliter sed fundamentaliter tantum ex jure divino, formaliter autem ex jure ecclesiastico vel civili. Theoria hæc porro non est nova, cum inter doctores catholicos, præsertim recentiores, sit satis communis; ast meritum A. certum hoc est ipsum melius secrevisse immunitates ecclesiasticas a juribus Ecclesiæ nativis.

Claeys-Bouuaert, **J**. (J. C. M.), professor jur. can. in seminario gandavensi et **Simenon**, **G**. professor jur. can. in seminario leodiensi. *Manuale juris canonici* ad usum seminariorum. Gandæ et Leodii, apud auctores, 1924. — In 8, XVI-802 p. — Pr. 20 fr.

Omnibus juris canonici studio incumbentibus, omnibusque ministerio parœciali addictis hoc manuale juris canonici libenter commendamus. Auctores, optime jam noti ob multiplices doctosque articulos ab illis in periodicis « Collationes Gandavenses » et « Revue ecclésiastique de Liége » conscriptos, in hoc præclaro opere congesserunt omnia quæ diuturno studio juris canonici et civilis sibi compararunt, et tanto cum fructu a plurimis jam annis, alumnis seminarii gandavensis et leodiensis prælegerunt. Hæc diuturna institutio experientiaque rerum juridicarum eis occasionem præbuit acquirendi amplam scientiam juris generalis, et nitidam cognitionem juris particularis et consuetudinarii omnium diœcesium Belgii.

Hinc studiosus lector in hoc manuali non tantum bonum codicis commentarium inveniet, sed et explanationem omnium fere consuetudinum, quæ apud nos legitime existunt, omniumque præscriptionum, quæ in actis concilii mechliniensis, et in diversis statutis diœcesanis invenire est. Unde apparet manuale illud præprimis juris canonici tyronibus belgicis usui fore.

In hoc opere totus codex commentariis illustratur, omissis tantum titulis de sacramentis (excepto sacramento Ordinis), de simonia, de voto et jurejurando, de indulgentiis, de temporibus sacris, de abstinentia et jejunio. Quæ omissio apprime intelligitur inspecta consuetudine in plerisque seminariis Belgii vigente de hisce materiis alibi tractandi.

In genere loquendo methodus quam AA. secuti sunt haud videtur improbanda. Nimirum excepta ultima parte libri V. ordinem codicis adamussim sequuntur. Singulis titulis præmittunt ordinem logicum et

breve compendium canonum quibus constant. Deinde, regula generali textum singulorum canonum integrum reassumunt, interdum tamen, potissimum in illis partibus quæ minoris usus practici sunt, illum plus minusve contrahunt; eosque canones sic præmissos brevi commentario minoribusque caracteribus typographicis enucleant. Subinde nonnullas notiones historicas opportune adjiciunt, et discrimen hodiernam inter et antiquam disciplinam ecclesiasticam in lucem ponunt.

Integrum laborem AA. inter se distribuerunt, sic tamen, prout in præfatione ipsi declarant, ut uterque auctor partem a suo collega elaboratam accurate reviserit. Tuta est operis doctrina; indicationes ordinis practici abundantes; disputationes inter juristas inde a novo codice vigentes satis indicatæ; difficultates quas vel ipse textus legis suggerit, vel auctores suscitarunt solutione ditatæ; opiniones propositæ regula generali argumentis probatis vindicatæ. Subinde tamen lector abundantiorem explicationem desiderabit, necnon motivum ob quod Ecclesia unam alteramve præscriptionem tulerit. Veremur ne nonnullæ solutiones in quæstiones aut dubias aut inter varios auctores vario modo agitatas nimis categoricæ nec satis fulcitæ appareant.

Enixe hoc opus commendamus sacerdotibus ministerio addictis, utpote quod documenta utilia, imo et necessaria circa codicem canonicum ipsis præbebit. Quantum autem ad institutionem juris canonici in seminariis tradendam, ordinem logicum et methodum systematicam commentario litteræ et ordini codicis totaliter inhærenti præferenda ducimus. J. Brys.

Columba Marmion, D. *Christus in zijne mysteriën.* Naar de achtste fransche uitgave vertaald door W. Van Neylen. Lier, J. Taymans, 1922. — Pr. 8. fr.

Onze lezers zullen met blijdschap deze vertaling van Dom Marmion's heerlijk boek « Le Christ dans ses mystères » begroeten. We hoeven dit werk niet meer aan te bevelen : ook de vertaler is onze lezers reeds gunstig bekend (1). We zijn overtuigd dat al onze vlaamsche kloostergemeenten zich zullen verhaasten deze geestelijke voordrachten aan te koopen. De bestuurders zullen er overvloedige stoffe in vinden voor hunne maandelijksche conferentiën.

Schryvers, J. (C. SS. R.). *Le divin ami.* Pensées de retraite. Bruxelles, Dewit, 1922. — In 18, 360. — Pr. 5 fr.

Le R. P. S. a conquis dans le monde dévot un grand renom, et nos lecteurs ont pu juger à la lecture de ses ouvrages : *Les principes de la vie spirituelle, Le don de soi*, et en particulier, *La bonne volonté*, combien ce succès est mérité. *Le divin ami*, où l'auteur a condensé sa doctrine spirituelle en forme de retraite, est digne en tout point de la même vogue. En voici les idées-mères : la sainteté consiste à aimer Jésus ; cet amour nous purifie, nous illumine et nous transforme en Jésus ; il se conserve par la prière et le combat. C'est, on le voit, la division classique en voie purgative, illuminative, unitive, mais exposée en fonction de la charité. A. Legrand.

---

(1) Zie *Collat. Brugen.*, t. XXI, 1921, bl. 79 vv., 158.

Opera ad redactionem missa (1)

Allgeier, A. *Religiöse Volkströmungen der Gegenwart.* Freib. in Br., Herder, 1924. — In 8, VIII-154 p. — Pr. 3,50 fr. suisses.

Bellarmin, R. (S. J.). *La montée de l'âme vers Dieu.* Traduction par le R. P. Herman, S. J. Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, 421 p.

Callewaert, L. J. (Dominikaan). *Hoogeschoolleven.* Antwerpen, Geloofsverdediging, 1924. — In 8, 342 bl. — Pr. 10 fr.

De Nolf (C. SS. R.). *Wereld-Koningin.* Onze-Lieve-Vrouw van altijddurenden bijstand. Esschen, St-Alphonsus-boekhandel, 1924. — In 8, 309 bl. — Pr. 8 fr.

Entretiens spirituels de saint Anselme, traduits par les moniales du monastère de Ste-Croix de Poitiers. Abbaye de Maredsous, 1924. — In 12, XXXIX-214 p. — Pr. 6 fr.

Gihr, N. *Prim und Komplet des römischen Breviers liturgisch und aszetisch erklärt*, 2e ed. Freib. in Br., Herder, 1924. — In 8, VIII-342 p. — Pr. 10,25 fr. suisses.

Huby, J. (S. J.). *Verbum salutis.* II. *Evang. selon s. Marc trad. et commenté.* Paris, Beauchesne, 1924. — In 8, XIX-428 p. — Pr. 14 fr.

Lercher, L. (S. J.). *Institutiones theol. dogmaticæ.* t. II. De Deo uno, De Deo trino, De Deo creante et elevante. Oeniponte, Rauch, 1924. — In 8, XXVI-519 p. — Pr. 8 mk.

Macaigne, R. *La création.* Préface de M. Pierre Termier. Paris, Beauchesne, 1924. — In 12, 109 p. — Pr. 5 fr.

Marchand, A. (Dr). *Les faits de Lourdes. Trente guérisons enregistrées au bureau médical*, 1919-1922. Paris, Téqui, 1924. — In 8, XIX-296 p.

Roelandts, L. (C. SS. R.). *La vigne.... les sarments.* Les sacrements. Esschen, Librairie St-Alphonse, 1924. — In 8, 147 p. — Pr. 5 fr.

Ryelandt, J. (O. S. B.). *Essai sur la physionomie morale de saint Benoît.* Abbaye de Maredsous, 1924. — In 12, IX-95 p.

Schrijvers, J. (C. SS. R.). *De goddelijke vriend.* Gedachten voor een geestelijke afzondering, uit het fransch vertaald door E. P. Leop. De Bast. Esschen, St-Alphonsus-boekhandel, 1924. — In 16, 318 bl. — Pr. 5,50 fr.

Simon, H. (C. SS. R.). *Prælectiones biblicæ ad usum scholarum.* Nov. test., vol. I, ed. 2a. Taurini, Marietti, 1924. — In 8, XXXII-652 p.

Van Oye, E. (Dr). *Godelieve van Gistel*, 2e uitg. Brugge, Excelsior, 1924. — In 12, 100 bl.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc indicantur, in sequentibus fasciculis parebunt.

INDICES

I

INDEX ARTICULORUM

Documenta romana (1)

Acta Pii PP. XI. Pag.

1923 junii 29. *Litteræ encyclicæ* de s. Thoma Aquinate . . 3
1924 febr. 20. *E litteris apostolicis* « Cum moderatores ». Concessio oratorii privati 344
» mart. 25. *E litteris apostolicis* « Pontificum opus ». Indulg., privilegia et facultates op. de Prop. fidei . . 344
» maii 29. *Indictio* universalis jubilæi anni sancti . . . 265
» julii 5. *E constitutione* « Ex quo primum » de suspensione indulg. et facult. durante anno sancto 430
» » 15. *Constitutio* « Si unquam alias » de facultatibus confessariorum durante anno sancto indicatur . 432
» » 30. *E constitutione* « Apostolico muneri ». Indulg. pro iis qui impediuntur Romam adire . . 432

E Supr. S. Congr. S. Officii

1923 dec. 15. Damnatio operis « Manuel biblique » 90
» » » Epistola circa damnationem ejusdem operis . . 166
1924 mart. 12. Declaratio submissionis 255

E S. Congr. Concilii.

1924 febr. 9 *Namurcen. et aliarum.* De abstinentia . . . 171

E S. Congr. de religiosis

1924 febr. 1. Dubium de superioribus domorum filialium . 256
» mart. 2. Dubium circa dotem religiosarum. . . . 257

E S. Congr. Rituum.

1923 oct. 26*. Dubia varia soluta 91
1924 febr. 22. *Bergomen.* Dubia soluta de processionibus . . 428

(1) Decreta, quæ asterisco * notantur, in hoc periodico adnotationibus illustrantur.

Pag.

» mart. 26. *Plurium diœcesium.* De vexillis in ecclesia admittendis vel benedicendis 258
» maii 2. Dubia de missa conventuali et de recitatione *Te Deum* in officio parvo B. M. V. 429

E. S. Pœnitentiaria apostolica (sectio de indulg.).

1924 julii 10*. Decretum de normis in concedenda et lucranda indulgentia portiunculæ 478

E Commissione ad cod. can. interpretandos.

Dubia soluta in *plenariis comitiis* Emorum Patrum.

1923 maii 20. De ministro confessionis (can. 883). . . . 172
» » » De licentia assistendi matrimoniis (can. 1096 et aliis coll.) 173
» » » Circa assistentiam matrimoniis (can. 1096 § 1) . 173
» » » Circa versiones sacrarum Sripturarum (can. 1391) 258

Dubium solutum ab Emo Cardinali *Commissionis Præside.*

1923 dec. 13. Circa stipendium in die 2 nov. 259

—

Documenta episcopalia.

Acta congr. prosynodalis 3 junii 1924 :
Oratio reverendissimi D. Episcopi 271
Decreta 276

—

Conferentiarum quæstiones et responsa.

E s. Scriptura N. T.

In Mt., XII, 24-30: Jesus accusatus de pacto cum dæmonibus . 32
In Mt., XII, 31-32: blasphemia Spiritûs irremissibilis . . . 60
In Mt., XXII, 15-21: de censu Cæsari dando 111
In Mt., XXIII, 25-32: sermo Jesu contra Pharisæos et Scribas. . 139
In Mt., XXIII, 33ss.: conclusio præcedentis sermonis Jesu . . 196
In Mt., XXVI, 6 ss.: unctio Jesu in Bethania 218
In varias unctiones Jesu in Evangeliis relatas 279
In ultimam cœnam: ordo chronologicus variorum factorum. . 304
In processum Jesu coram auctoritate judaica. 368
In Act. Ap., VIII, 26-40: conversio eunuchi Æthiopis . . . 393
» » » » : ejusdem facti tempus 448

E theologia dogmatica.

E tractatu de traditione orali.

De argumento e Patribus 35
De auctoritate theologorum. 66

Pag.

E tractatu de Deo uno et trino.

Exponuntur præcipuæ divisiones scientiæ divinæ 114
De scientia Dei de seipso 141
De ideis divinis 199
De necessitate in volitione divina 222
De voluntate Dei rationabili 284
De processione Spiritus sancti 308
De circuminsessione divinarum personarum. 373

E tractatu de Deo creante.

De Deo principio creationis 396
De libertate Dei in opere creationis 450

E THEOLOGIA MORALI.

E theologia mor. fundamentali.

De conscientia perplexa. 79
Notio conscientiæ vincibiliter erroneæ 127
De reformanda conscientia vincibiliter erronea 237
De obligatione ejus qui laborat conscientia vincibiliter erronea. 326
De peccato commisso ab eo qui juxta talem conscientiam agit . 381

E tractatu de legibus.

De subjecto legis ecclesiasticæ particularis 53
De obligatione peregrinorum et vagorum 153
De hæreticis relate ad leges ecclesiasticas 209
De exemptione a legibus ecclesiasticis ratione ætatis . . . 296

E tractatu de matrimonio.

De impedimentis mixtæ religionis et disparitatis cultus I-II 454, 457

E tractatu de justitia.

De contractibus in genere IV-XI. 44, 70, 119, 202, 225, 288, 312, 375

E tractatu de virtute religionis.

De variis acceptionibus vocis: religio 400
De actibus religionis in genere 406

E THEOLOGIA ASCETICA.

De necessitate directionis spiritualis 459

E JURE CANONICO.

De rectoribus ecclesiarum 56
Jura parochorum circa præstationes legitime debitas . . . 132
De potestate parochorum disp. in jejun. et observat. festorum 158
De piis fundationibus 243

Pag.

E SACRA LITURGIA.

De diversis vigiliis 84
De titulari et patrono 213
De obligatis ad festa patroni et tituli 299
De modo colendi titularem et patronum 387
De materia calicis 420
De forma calicis 469

KERKGESCHIEDENIS.

De kerk van Belgie onder het voorloopig bewind van 1814 . . 411

—

Dissertationes.

De oratione deprecativa in breviario 248, 329, 424, 473
De contractibus credita pecunia seu ad terminum (à terme), attentis hodiernis cambii fluctuationibus 334

—

Analecta ascetica et mystica.

Introductio in theologiam mysticam:
Tabula secunda (pars posterior): regnum Dei supernaturale inchoatum 19
Tabula tertia: regnum Dei supernaturale restauratur et perficitur 97, 185, 353, 441

—

Consultationes.

Les *quittances* des sommes dues *par* les fabriques d'église sont-elles exemptes du droit de timbre 93
De usu pecuniæ confraternitatum 490
Droit de la fabrique d'église sur le produit des quêtes et des troncs 491

—

Documents de jurisprudence civile.

1923 mars 31. *Circulaire ministérielle.* Valeurs confiées à la Banque nationale 174
» juin 1. *Circulaire ministérielle.* Placement de fonds. . 176
» août 10. *Loi.* Droit de timbre 93
1924 janv. 5. *Lettre de la Commission royale des monuments.* Aliénation de biens ecclésiastiques 177

—

Pag.

Libri dijudicati.

ALLOSSERY (P.). Pater Lievens' leven en werk 351
BAUR-RIEDER. Päpstliche Enzykliken und ihre Stellung zur Politik 182
BERNOLET (J.). Het huwelijk. 351
Cantica sacra a P. Didaco van Geyseghem O. F. M. concinnata. 183
CAUCHIE (A.). Le cardinal Newman 350
CHARLES (S. J.). La prière de toutes les heures. 3 vol. . . 349
CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON. Manuale juris canonici . . 496
COCCHI (G.). Comm. in Cod. juris canonici, lib. II . . . 181
» Comm. in Cod. juris canodici, lib. III . . . 495
CŒLESTINUS A S. JOSEPH (Carm disc.). Tabulæ XII Synopticæ Summæ theologicæ divi Thomæ. 179
DE COENE-STAELENS. Pædagogische zielkunde. 2e druk. . . 95
DELATTE (O. S. B.). L'évangile de N. S. J. C., le Fils de Dieu . 261
» Les épîtres de s. Paul replacées dans le milieu historique des Actes des Apôtres . . 261
DESNOYERS (L.). Histoire du peuple hébreu des Juges à la captivité. T. I. La période des Juges 261
FANFANI (O. P.). De jure parochorum ad normam juris canonici 181
» Le droit des religieuses selon le Code de droit canonique 494
GODINEZ (S. J.). Praxis theologiæ mysticæ 262
GRAMMATICA (A.). Bibliorum sacrorum juxta vulgatam clementinam nova editio 260
Het belgisch Vaandel (éd. fr. Le drapeau belge). Maandschrift. 263
HONORÉ (S. J.). Le secret de la confession 494
JANSSENS (AL.). (Miss. van Scheut), De h. Drievuldigheid . . 435
KIRCH (S. J.). Enchiridion fontium historiæ ecclesiasticæ antiquæ 350
MARMION (C.). Christus in zijne mysteriën 497
MATTHÆUS A CORONATA (O. M. C.). De locis ac temporibus sacris 96
» Ius publicum ecclesiasticum. 495
MOISSENET-EMMANUEL. La polyphonie sacrée 183
MOTHON (O. P.). Institutions canoniques. 3 vol. 437
Nouveau paroissien grégorien en notation grégorienne et clef de sol 182
NOVAL (O. P.). Commentarium Codicis juris canonici, lib. IV. De processibus. P.I. 96
PÈGUES (O. P.). Commentaire littéral de la Somme théologique de s. Thomas. T. XV. Le rédempteur 439
PESCH (S. J.). Prælectiones dogmaticæ. T. I. Institutiones propædeuticæ. 6a ed. 179
PISTOCCHI (M.). De synodo diœcesana 181
POPPE (E. J. M.). Eucharistische parochiewerking 438
PRÜMMER (D.). Vademecum theologiæ moralis. 2a et 3a ed. . . 350
» Manuale theologiæ moralis secundum principia s. Thomæ 350

Pag.
REINSTADLER (S.). Elementa philosophiæ scholasticæ . . . 180
SCHRYVERS (J.). Le divin ami 497
TANQUEREY (AD.). Précis de théologie ascétique et mystique . 438
THOMAS HEMERKEN A KEMPIS, Opera omnia. Vol. VII . . 262
Une journée chez les moines. 5e éd. 180
VAN DER MEERSCH (J.). Tractatus de divina gratia 2a ed. . . 436
VERMEERSCH (S. J.). Petit catéchisme des vœux solennels . . 438
VERMEERSCH-CREUSEN (S. J.). Epitome juris canonici. T. III . 95
WYNEN (A.). Die päpstliche Diplomatie geschichtlich und rechtlich dargestelt. 182

Opera ad redactionem missa.

Præter opera, quæ ponuntur sub rubrica *Libri dijudicati*, hæc ad redactionem hoc anno transmissa fuerunt:

Allgeier A. 498
Alliance sacerdotale universelle des amis du Sacré-Cœur 184
Arts J. 184
Astaes C. 184
Au service de Jésus-Prêtre . 184
Bellarmin R. . . . 498
Bernolet J. 352
Blanc E. 440
Bohnen A. 263
Bournet L. 352
Cæremoniale Episcoporum . 263
Callewaert L. J. . . . 498
Capéran L. 263
Carolus P. 263
Cauwe F. 263
Champault 263
Cremers V. 184
Decorne S. 184
Delporte J. 264
De Moreau E. . . . 184
De Nolf 498
Dorsaz P. A. . . . 352
Duplessy E. . . . 264
Entretiens spir. de s. Anselme 498
Eucharistisch uur . . 440
Flicoteaux E. . . . 440
Gaell R. 440
Garriguet L. . . . 264
Gezelle C. 184
Gihr N. 498
Hanquet R. 440
Huby J. 498
Iglesias A. 264
Jaud L. 264
Joseph a Spiritu sancto . 352
Katholieke Missie . . 440
Lacau J. 352
Lanier H. . . . 264, 440
Lelong (Mgr) . . . 264
Léon de s. Joachim . . 440
Lercher L. 498
Maas A. W. . . . 264
Macaigne R. . . . 498
Marcault Ch. . . . 264
Marchand A. . . . 498
Marini (Card.) . . . 264
Maynard 264
Millot J. 264
Monstrey O. . . . 264
Nothomb J. . . . 352
Perreyve H. . . . 440
Poppe E. J. M. . . . 352
Pottier A. 264
Roelandts L. . . . 498
Rousseau Fr. . . . 264
Ryelandt J. 498
Schryvers 498
Le salut assuré par la dévotion à Marie . . . 440
Simon H. 498
Theophilus 264
Thibaut E. 352
Thomas s. 352
Uccello S. 440
Vallgornera Th. . . . 352
Valuy B. 184
Vanden Bergh . . . 184
Van Oye E 498
Verdoodt A. . . . 184
Verschaeve C. . . . 440

II.

INDEX ALPHABETICUS

Abstinentia. Decretum 9 febr. 1924 a s. Congr. Conc., 171 s.

Adami peccatum, v. Mystica theologia.

Altaris privilegiati privilegium in favorem operis Propagationis fidei, 346.

Angelorum peccatum, v. Mystica theologia.

Anni sancti universalis jubilæi, a Pio PP. XI die 29 maii 1924, solemnis indictio, 265 s.; origo talis jubilæi, 266; scopus generalis hujusce jubilæi, 266 s.; scopus specialis, 268 s.; conditiones adimplendæ, 269 s., 430. — Suspenduntur quædam indulgentiæ et facultates per constitutionem diei 5 julii 1924, « Ex quo primum », 430 s. — Per constitutionem « Apostolico muneri », diei 30 julii 1924, determinatur quomodo moniales et alii stabili impedimento detenti possint lucrari indulgentias jubilæi universalis, 432 s.; speciales facultates pro confessariis eorumdem, 434.

Appositio manus creditoris in bonum debitorum, v. Contractus.

Baptismi testimonium petendum et transmittendum juxta decretum V congr. prosyn., 277. — Renovationis votorum baptismalium ritus servandus in die communionis solemnis, juxta decretum X congr. prosyn., 278.

Benedictionis solemnis Ecclesiæ vel oratorii publici documentum redigendum et in duplici exemplari servandum, juxta decretum VIII congr. prosyn., 277.

Binatio, v. Stipendium.

Breviarium. Tria elementa : psalmi ad Dei laudem, lectio ad instructionem, oratio ad gratiam obtinendam, 248 s. Oratio deprecativa præsertim in initio et in fine horarum, 250 s. Preces introductoriæ explicantur historice et exegetice, 250 ss. — Preces ad complendum,

253. — *Absolutio* quid sit et undenam orta, 254. — *Versus* quid sit, 329; origo, locus, finis, 330, numerus 332. Origo responsoriorum brevium, 333. — *Preces :* earum origo et historia, 424 ; indoles, 426 Quandonam dicendæ sint Preces dominicales et feriales, 427. — *Orationis Dominicæ* momentum et usus in Breviario, 473. Dicitur triplici modo diverso, 474 ; hujus diversitatis ratio 475 s. — *Symbolum* olim recitatum mane et vespere, 476 ; item in officio, 477 ; et etiam ante et post officium.

Calicis materia in antiquo, 420 et in novo jure : quoad cuppam et patenam, 421 ; quoad pedem et scapum, 423. Qualis debeat esse forma ex natura rei, 469, ex rubricis et decretis, 469, ex traditione, 470. Regulæ directivæ quoad formam cuppæ, pedis, nodi, 471, quoad altitudinem et ornatum, 471.

Cambium, v. Contractus.

Canones novi codicis *explicantur :* can. 12, p. 210 ; can. 13, p. 53 ; can. 14, p. 153 ; can. 87, p. 209 ; can. 463, p. 132 ; can. 479, p. 56 ; can. 481, p. 57 ; can. 731, p. 211 ; can. 1060, p. 454 ; can. 1070, p. 211 et 455 ; can. 1099, p. 211 ; can. 1245 § 1, p. 158 ; can. 1254, p. 297 ; can. 1545-1551, p. 243 ; 2230, p. 297. Pressius *determinantur* a Comm. pontif. : can. 824 § 1, p. 259 ; can. 883, p. 172 ; can. 1096 (coll can. 465, 472-476), p. 173 ; can. 1096 § 1, p. 173 ; can. 1391, p. 258.

Catechismus parochiæ frequentandus deinceps a pueris et puellis scholarum, quæ in parochia exstant ; sed per duas hebd. ante sol. communionem catechismo parochi sui assistere tenentur, juxta decr. VI congr. prosyn., 277.

Cessio bonorum, v. Contractus.

Circuminsessio, quid sit, 373 ; quomodo dicatur *circumincessio*, 374 s. ; quomodo sic non tollatur *distinctio* personarum divinarum, 375.

Cœmeterium, v. Tumuli.

Collecta pro re scholari, quandonam et quomodo facienda juxta decretum IX congr. prosyn., 278.

Commemoratio omnium fidelium. Dubium solutum de stipendio missarum, 259.

Communio solemnis celebranda ab alumnis scholarum

in propria parochia, juxta decretum VI congr. prosyn., 277. — Ritus renovationis votorum baptismalium in hac die servandus, juxta decretum X congr. prosyn , 278.

CONDITIONES ad lucrandas indulgentias, v. PORTIUNCULA.

Conscientia *perplexa*. Notio, 79 s , exempla 80 ; regulæ servandæ, 81 s., moralitas actionis positæ cum tali conscientia, 82 ss. — *Vincibiliter erronea* quid sit, 127 ss; analysis dictaminis talis conscientiæ, 129 ss.; an sit regula legitima operationum, 237 ss.; ad quid obligetur qui laborat conscientia actu vincibiliter et culpabiliter erronea, 326 ss.; quale et quantum peccatum committat, qui agit juxta dictam conscientiam, 384 s.

Conferentiæ a s. Vincentio instaurentur et foveantur, juxta decretum XI congr. prosyn., 278.

CONFESSARII, v. CONFESSIO, FACULTATES.

Confessio. Dubium solutum circa ministrum confessionis a Commissione pontificia, 172.

De confessione religiosarum vide decretum IV congr. prosyn., 276.

Confraternitates. De usu pecuniæ earum, 490.

Consecrationis Ecclesiæ vel oratorii publici documentum redigatur in duplici exemplari, quorum unum servandum in archivo ecclesiæ, alterum in curia episcopali, juxta decretum VIII congr. prosyn., 277.

Consuetudo probata. Ejus notio, 133.

Contractus. 1/ Contractus de *materia turpi* apte distinguendus est a contractu sub *conditione turpi*, sive suspensiva sive resolutoria, 44; a contractibus plus minusve analogis, 46. Porro, *de jure naturæ* contractus de materia turpi est inexistens, adeoque nullum jus, nullamque obligationem parit. Attamen, post patratum opus seu peccatum conventum, probabilius tenetur altera pars ex justitia stricta ad solvendum pretium promissum, ob contractum nempe innominatum qui ex ipsa positione operis jam de novo exoritur, 47. Probabilis tamen videtur sententia opposita, scilicet quando materia contractus substantialiter turpis fuerit, nec intercesserit dolus promittentis, 49.

Contractus autem sub conditione turpi resolutoria illicitus quidem est, sed tamen validus, 51; sub conditione vero turpi suspensiva, sequitur partes contractus de materia turpi, 52; nec probabilis hic videtur senten-

tia negans obligationem solvendi post conditionem verificatam, 53.

2/ *De jure civili* contractus *de materia turpi* pronuntiatur omni effectu carere, 70; unde probabilius contractus etiam innominatus superveniens irritatur, nec proinde tenetur altera pars ad solvendum, nisi dolum admiserit, 71. Probabilis tamen est sententia affirmans valorem istius contractus innominati usque ad sententiam judicis, 71. Quid inde in conscientia sequatur, 72; aut casu quo lex errat circa notionem contractus turpis, 73.

Contractus autem *sub conditione turpi* habentur generatim a lege civili ut nulli, scilicet annulabiles a judice, sed non statim invalidi. Quid inde pro foro interno sequatur, 74. Verum, quoad *donationes et testamenta*, lex habet conditiones turpes ut non adjectas, et proinde earum verificationem non præcipit, 76. Tamen in conscientia sunt observandæ si de facto per errorem lex eas habeat ut turpes, 78; si vero turpes sint, nec constet de voluntate auctoris eas apponendi ut veras conditiones sine qua non, tunc quisque potest legem sequi, 78; alias, cum sit res disputabilis, quisque potest sententiam sibi favorabilem eligere usque ad sententiam judicis, 79.

3/ *Stipulari pro alio* licet et valet *de jure naturæ*, 119; quomodo sit revocabilis talis contractus, 120, aut quandonam sit conditionatus, 121.

De jure civili hujusmodi stipulationes generatim non admittuntur, 122; sed vim suam nihilominus servant in foro conscientiæ, 123. Insuper plures exceptiones ab ipsa lege aut a jurisprudentia admittuntur, in quibus tales contractus etiam vim legalem habent, 124. Quomodo tunc istæ stipulationes revocabiles sint, 125; et quomodo ratificationem tertii exposcant et jura ejus tueantur, 126.

4/ *Contractus de re actu aliena*, nisi agatur de licita collatione juris ad rem, est *inexistens de jure naturae*, 144, *jure civili* dicitur *nullus*, scil. in hoc casu, ut probabilius, totaliter nullus seu inexistens, 145. Excipit tamen lex civilis casum rei mobilis duobus successive venditæ et secundo emptori bonæ fidei traditæ, 146: quæ exceptio in conscientia valet, 147.

Contractus de re alteri jam debita jure ad rem: si sit de facto proprio promittentis tertio jam debito, est *inexistens jure naturae;* sed post positionem operis

obligat alteram partem ad solvendum, et consonat *jus civile*, 148. Si vero sit contractus de re jam alteri debita jure ad rem, sub distinctione respondetur, 149. *Contractus de facto alieno inexistens est jure naturæ*, nisi utique reapse versetur circa factum proprium promittentis, 151. Consonat *jus civile*, 152.

5/ Contractus debite initus *instar legis habetur* inter contrahentes, 202 ; est *bona fide* exsecutioni mandandus, 203. Quomodo æquitas, lex civilis et receptæ consuetudines hic interveniant ad interpretandam conventionem, 204. Contractus nequit per se revocari nisi mutuo partium consensu, salvis tamen causis a lege admissis, 205. Contractus, per se loquendo, inter partes tantum vim habet, 206. Quid sit hic attendendum, 207.

6/ *Effectus indirectus contractuum*, non debite servatorum, est obligatio compensandi damna, 225. Quid sit hic *culpa aut mora theologica, sive juridica* tantum, 226. Quid imponat lex civilis casu culpæ aut moræ solummodo juridicæ, 227 ; in specie circa summam pecuniæ præstandam, 230. In conscientia vero, lex illa obligat post sententiam judicis, saltem ex justitia legali ; aliquando insuper ex caritate jam ante sententiam, 232 ; aut etiam ex stricta justitia, si ita conventum sit, 234.

Casu vero *culpæ theologicæ*, si debitæ conditiones verificentur, ex stricta justitia damna sunt compensanda ante omnem sententiam, 235.

7/ Debitor, *si omnibus debitis solvendis impar sit*, sed adhuc habet liberam administrationem bonorum suorum, reddere prius debet res actu alienas quas detinet, 288 ; tunc *proportionaliter* per se debet satisfacere omnibus creditoribus suis, nisi quidam titulo legitimo præferentiæ gaudeant, 289. Jamvero, *jure civili* præ aliis veniunt creditores privilegiati et hypothecarii, 290 ; quid inde in conscientia sequatur, 291.

Jure vero naturæ, attenta diversitate sententiarum, dicendum est talem debitorem in plerisque casibus, absque injustitia posse pro lubitu solvere per præferentiam, 292 ; salvis tamen creditorum juribus realibus hypothecæ et pignoris, et salva rescissione solutionum postea forsan a judice pronuntianda, 296.

Aliud est si jam privetur debitor administratione suorum bonorum, 312. Nam *in casu foricessionis* lex tunc curat de ordine solutionum et varios actus etiam anteriores irritat aut annulabiles reddit, 314. Pariter

plura disponit *in casu appositionis manus* a creditore peractæ in bona debitoris. 316 ; item *in casu cessionis bonorum*, ab ipso debitore peractæ inter manus creditorum, 318.

Jamvero quid inde pro conscientia sequatur, et quomodo injusti jam esse possint tum debitor tum ejus cooperator, 320. Insuper, finita liquidatione etc., per se non liberatur debitor a reliqua parte debiti sui, 324 ; per accidens vero quandoque liberari poterit, 325.

8/ *Uxor* debitoris solvendo imparis potest in conscientia, ante foricessionem, *rogare separationem bonorum*, 375 ; potest tamen teneri ad quamdam reparationem erga creditores, si ipsa fuerit formalis injustitiæ complex, vel etiam ne complex fiat, 377. Si separatio bonorum non fuerit facta, uxor per foricessionem aut decoctionem viri perdit bona sua communia, præter vestes et linteamina, 379 ; adeoque nihil jam ex istis sumere potest nec celare, nisi quadam modesta parte omnino indigeret nec aliter eam obtinere posset. Insuper, post mortem mariti, ipsa per se de debitis nondum solutis adhuc tenetur, si qua heres bona quædam a viro acceperit, 380.

Filii debitoris obærati ex justitia tenentur erga creditores, si formalis injustitiæ complices fuerint, vel ne complices fiant, 380 ; pariter per se ratione hereditatis postea a patre acceptæ, 381. Insuper ex pietate erga patrem obæratum tenentur quandoque ad solvendum creditoribus ejus ex propriis bonis, 382.

Parentes debitoris obærati ex pietate teneri possunt ad solvendum pro filio hujusmodi, non vero per se ex justitia, 383 ; sed ipsum non possunt adjuvare in patranda injustitia. An possint tunc sua immobilia vendere, pretiumque ipsi tradere aut filiis ejus, 383.

9/ Ex inconstantia valoris monetæ nostræ fiduciariæ post bellum, quæstiones oriuntur maxime circa contractus ad terminum initos, 334. Quid olim statuerit, in circumstantiis plus minus analogis, lex civilis gallica tempore perturbationis, 335 ; quid nunc lex germanica, 336. Apud nos autem, ad jus civile quod attinet, viget regimen legale et obligatorium schedularum bancariarum, 337 ; insuper notandi sunt art. 6 et 1895 Codicis Civilis, 338. Inde juridice non licet contractibus nunc inserere clausulam qua solutio facienda imponatur cum moneta metallica loco schedularum ; nec proba-

bilius qua solvenda imponatur summa schedularum respondens *aureo valori* mercium, 339. Tamen non prohibentur aptæ stipulationes, si inveniantur, quibus partes contra fluctuationes cambii se tueantur, 341. Sic per se licet, de jure civili, clausula solutionis cum moneta extranea faciendæ ; quamvis apud nos, practice loquendo, hic modus agendi difficultate non careat, 342. Sic etiam licet contrahere de solutione mercibus facienda, aut ad valorem certæ mercium quantitatis, 342 ; nec desunt alii adhuc modi possibiles, 343.

Creatio, v. Deus.

Damnatio operis « Manuel Biblique » per decretum diei 15 dec. 1923 a s. Officio, 90 ; epistola huic damnationi adnexa, 166 ; submissio auctorum, 255.

Deus.

Indicantur et explicantur præcipuæ *divisiones scientiæ divinae*, 114 s. — Explicatur *quomodo* Deus seipsum cognoscat, 141 s. — Exponitur quid intelligatur per *ideas* divinas, 199 s. et quomodo ponere plures ideas in Deo *simplicitati* ipsius non repugnet, 200 s.

Bonitatem suam *vult* Deus *necessario*, 222 ; *alia a se* vero *non necessario* vult, 222 s. — Voluntas divina merito *rationabilis* vocatur, 284 s.

Explicatur quomodo Spiritus sanctus dicatur *procedere* a Patre Filioque tanquam ab *uno* principio, 308 s.

Exponitur quid sit *circuminsessio*, 373 et quomodo vocari possit *circumincessio*, 374 s. ; quomodo non tollat *distinctionem* personarum in Deo, 375.

Deus, scil. Pater et Filius et Spiritus sanctus, est *unum* principium *rerum creatarum*, uti multis argumentis *probari* potest, 396 s. ; *quomodo* hoc *intelligendum* sit deinde explanatur, 399 s.

Deum *libere creavisse* mundum demonstratur, 450; in specie ex Scriptura sacra, 451 ; ex traditione orali, 452 ; hæc est veritas fide divina et catholica tenenda, 453.

Directio spiritualis. Ejus necessitas moralis ostenditur ex s. Scriptura, 460 ; ex traditione ecclesiastica, 461 s. ; ex ratione theologica, 466 s. Utilitates directionis, 468.

Disparitas cultus Notio juxta can. 1070 ; quinam veniat nomine partis baptizatæ *catholicæ*, 455-456 ; quandonam sit impedimentum *juris divini*, 456; quæ-

nam postulentur *cautelæ*, 457 ; quænam *cautiones*, 457-458 ; *formulæ* cautionum, 459.

Dispensatio in jejuniis et observantia festorum, 158 s ; v. Parochi.

Doctores Ecclesiæ, quinam hoc nomine veniant, 37 s.; quomodo considerentur in argumento e traditione orali, 38 s.

Dos religiosarum, v. Moniales.

Erronea, v. Conscientia.

Evæ cooperatio ad primum peccatum, v. Mystica.

Exercitia spiritualia pro magistris scholarum et sacristis commendantur in decreto XI congr. prosyn., 278.

Fabriques d'église. Droit de la fabrique d'église sur le produit des troncs et des quêtes, 491 ; les quittances des sommes dues par la fabrique d'église sont-elles exemptes du droit de timbre, 93 s. A qui incombe la charge du timbre, 94; Valeurs confiées à la Banque Nationale, circ. min., 31 mars 1923, 174. Placement de fonds, circ. min. 1 juin 1923, 176. Aliénation des biens ecclésiastiques, lettre de la Commission des monum., 5 janv. 1924, 177.

Facultates concessæ sacerdotibus zelatoribus operis de Prop. fidei, 346 : speciales facultates concessæ ejusdem operis præsidibus, 348.

Facultates quæ non suspenduntur durante anno sancto, 430 s.

Speciales facultates pro confessariis monialium in ordine ad lucrandas indulgentias jubilæi, 434.

Festum. Præparatio, v. Vigilia.

Foricessio, v. Contractus.

Fundationes piæ. Earum notio, 243; de reductione onerum fundationis, 246 ; obligationes parochorum circa illas, 244 s ; v. Parochi.

Fundus scholarum, die 15 aprilis 1924, constitutus. Stipendia ipsi eroganda, juxta decretum III congr. prosyn., 276. — Collecta pro hoc fundo præscripta, quandonam et quomodo facienda, juxta decretum IX congr., prosyn., 278.

Hæretici, v. Lex eccl.

IDEAE DIVINÆ, v. DEUS.

Indulgentiæ *anni sancti*, 265 s.; quænam non suspendantur, vertente anno sancto, 430; quomodo a monialibus et aliis stabili modo impeditis acquiri possint, 432 s. — Plenariæ et partiales indulgentiæ in favorem omnium membrorum operis de Prop. fidei, 344 s.; speciales pro nonnullis laicis, 349. — V. PORTIUNCULA.

JUBILÆUM, v. ANNUS SANCTUS.

Jura parochorum quoad præstationes, 135; v. PAROCHI.

Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind. Tijdens het voorloopig bewind (febr. 1814-maart 1815) waren de belgen, verlost van het gehaat fransch bestuur, over 't algemeen oostenrijksch gezind en zeer gekant tegen een gebeurlijke vereeniging met Holland, dit uit bezorgdheid voor hun katholieken godsdienst, dien ze in zijn vroegeren toestand wilden hersteld zien, 411 v.

LAPSUS angelorum et primi hominis, v. MYSTICA.

Lex ecclesiastica.

Generalis obligat omnes pro quibus est lata, 53, etiam peregrinos et vagos, dummodo vigeat in loco in quo illi versantur, 156 s.

Particularis, i. e. lata a s. Sede vel a legislatore particulari pro peculiari territorio, 54, *regulariter* est territorialis et solos *incolas* et *advenas* obligat, 55; exceptionaliter *personalis* est, 56 et tunc etiam absentes a proprio loco obligat, 154; exceptionaliter etiam *peregrinos* obligat, 56. nempe: lex particularis loci a quo peregrinus abest, quando transgressio « in proprio territorio nocet », 154 et lex particularis loci in quo peregrinus versatur, si ordini publico consulit, 155, vel actuum solemnia determinat, 156. Semper obligat *vagos*, qui versantur in loco pro quo fertur, 157.

Etiam *hæretici*, saltem per se et generatim tenentur legibus ecclesiasticis, 208. Controvertitur utrum necne, præter casus prævisos in jure, 209, ex præsumpta quadam dispensatione, eximantur a legibus quæ non directe tendunt ad ordinem publicum tuendum, 211. Præplacet sententia negans, 212 s.

Ratione solius *ætatis* nullus baptizatus a legibus eccle-

si asticis per se eximitur, 296. Sed positiva determinatione Ecclesiæ exempti sunt : *a*/ a lege jejunii quotquot annum 21m nondum expleverunt et quotquot 60m inceperunt, *b*/ a pœna latæ sententiæ impuberes, qui nempe annum 14m non compleverunt, 297, *c*/ a legibus eccl. in genere pueri qui licet rationis usum assecuti, septennium nondum expleverunt, nisi aliud jure expresse caveatur, 298 s.

Libertas Dei in opere creationis probatur, 450 ; est veritas fide divina et catholica tenenda, 453.

MANUEL BIBLIQUE, v. DAMNATIO.

Matrimonium. Dubia soluta circa assistentiam matrimonii a Commissione pontificia, 173.

Monitum transmittendum de proclamando matrimonio juxta decretum V congr. prosyn., 277.

Missa. Dubia soluta a s. Congr. Rit., p. 91 s. et 429.

MISSA BINATIONIS et PRO GREGE, v. STIPENDIA.

Mixta religio. Notio juxta can. 1060 ; quid sit persona *catholica*, 454 ; quid persona hæresi *adscripta*, 455 ; quandonam sit impedimentum *juris divini*, 456 ; quænam postulentur *cautelæ*, 457 ; quænam *cautiones*, 357-458 ; *formulæ* cautionum, 459.

Moniales Dubium de superioribus domorum filialium solutum die 1 febr. 1924 a s. Congr. de religiosis, 256.

Dubium solutum ab eadem s. congr. die 2 martii 1924, circa dotem, 257.

Quomodo indulgentias anni sancti lucrari possint, 432 s. — V. CONFESSIO, FACULTATES.

Monitum de proclamando matrimonio transmittendum, juxta decretum V congr. prosyn., 277.

Mystica theologia. Regnum Dei *supernaturale inchoatum* (in præc. tomo jam partim explicatum) nunc ulterius evolvitur : munificentia Dei nulla in re defuit ut creaturas suas intellectuales *gratia habituali* ornatas, perfecte instrueret ad vitam et *activitatem* supernaturalem et quidem per *virtutes theologicas* divinitus infusas, 19 s.; per virtutes *morales* pariter divinitus infusas, 21 s. ; per gratiam *actualem*, 24 s. ; per *dona Spiritus sancti* septem numero, 26 s. — Regnum Dei supernaturale per peccatum *turbatum* fuit, tum in cœlo (lapsus angelorum), tum in terra (lapsus primi hominis), 97 s.

Lapsus *angelorum*, quod *factum* attinet, revelatione constat, 98; quod *naturam* ejus et *circumstantias* spectat, res obscurior videtur, 98; proponitur de hisce sententia, quæ magis dogmati ac veritatibus certis consonat, 99 s.: aliæ sententiæ propositæ discutiuntur, 102 s. — Cur Deus non pepercerit angelis rebellibus rationes tantum *convenientiæ* possunt indicari, 109 s.

Lapsus *primi hominis* describitur juxta narrationem Geneseos, 185 s.; opposito inter modum agendi *prioris Evæ* et *novæ Evæ*, B. V. M., 187; pœna hujus peccati 188; peccatum *originale* quoad intimam ejus naturam explicatur, 188 s.; judicium de primo peccato et *promissio Redemptoris*, 192 s.; sic incipit novus ordo in regno Dei, nimirum ordo *reparationis*, qui ducet ad *completionem* et perfectionem ejusdem regni Dei in Verbo incarnato et per Ipsum, 195.

Quomodo hæc omnia vere constituant introductionem ad mysticam explicatur, 353.

Præparatio adventus Salvatoris generatim adumbratur, 354 s.; in specie illustratur quibusdam factis ante et post diluvium, 356 s.: initium positivæ præparationis constituit vocatio Abraham cum electione speciali populi Israel, 358 s.; brevis conspectus historiæ populi electi ante adeptionem terræ promissæ, 359 s.; institutio populi Israel in hac terra promissa, 360 s.; historia Judicum, deinde regum, 362 s.; munus prophetarum, 364 s.: per quatuor sæcula tacent deinde prophetæ usque ad Joannem Baptistam, qui digito Salvatorem indicat, 365; quomodo mundus paratus exstiterit ad adventum jam proximum Redemptoris, 366 s.

Adventus Christi a judæis et universo mundo exspectatus, 441; exspectatus a judæis tanquam rex terrenus, venit pauper et humilis, 442; breviter describitur vita Jesu abscondita, 443 s; rationes hujus altissimæ quam plures, 447.

OBLATIONES, v. PRÆSTATIONES.

OFFICIUM CANONICUM, v. BREVIARIUM.

Officium parvum B. M. V. Dubium de recitatione *Te Deum* solutum die 2 maii 1924 a s. Congr. Rit., 429.

Onanismus. Monitum ad confessarios in decreto I congr. prosyn., 276.

ONERA, v. FUNDATIONES.

Oratio DEPRECATIVA in officio v. BREVIARIUM. — Orationis dominicæ momentum et usus in Breviarii, 473 ss.

Oratorii privati indultum in favorem sacerdotum adscitorum in consilia operis Propagationis fidei, 344.

Parochi.

Jura circa oblationes debitas. Potest eas, si sint legitimæ, acceptare ; imo eas exigere, 135 ; ultra taxam quid exigens injustus est et puniri debet, 136.

Potestas dispensandi in jejuniis et observantia festorum, 158 s. ; natura hujus potestatis, ejusque objectum, 158. Dispensare tantum potest in casu singulari et justa de causa, 160 ; subjectum hujus potestatis, 161.

Obligationes circa pias fundationes. Quoad acceptationem et conservationem fundationis, 244 ; quoad onerum executionem, 244 ; quoad reparationem si alterutri ex prædictis obligationibus non fuerit satisfactum, 246. — v. FUNDATIONES, PROSYN. CONGR.

Patres Ecclesiæ quinam sint, 36 s. ; quodnam argumentum adstruere liceat ex eorum consensu moraliter unanimi in veritatem revelatam, 38 s. ; hæc doctrina non contradicit ordinationi Christi, 40 s. ; quidnam valeant Patres ut doctores privati, 41. s. ; præcipua attendenda in interpretatione Patrum, 42 s.

Patronus loci quid sit, 215 : constituendi patronos origo, 215 et jus hodiernum, 216. In quo differat a titulari ecclesiæ, 217. Fundamentum obligationis colendi patronum loci, quid sit « locus » 299. A quibusnam et quomodo sit colendus patronus regionis, diœceseos et loci stricte dicti, 301 ss. Nunquam nominandus in oratione *A cunctis*, 389. Quomodo celebrandum ejus festum, 390 s. ; et quid si descriptus sit in kalendario cum aliis, 391.

Peregrini. An parochi possint dispensare cum illis, 162 ; v. ABSTINENTIA, LEX ECCL.

PERPLEXA, v. CONSCIENTIA.

Portiuncula. Decreta anteriora, 478 ss., 481 ss. ; novæ normæ, 479 ss , 482 ss. ; loca ubi lucrifieri possit, 482 ss. ; tempus quo obtineri possit, 484 ss. ; opera præstanda, 485 ss. ; devotio sex *Pater*, *Ave* et *Gloria*, 487 ss : ritus sacer celebrandus in die portiunculæ, 489.

Præstationes debitæ. Earum notio et explicatio, 132 ; jura parochorum circa illas, 136 ; v. PAROCHI.

Principium Spiritus s. sunt Pater et Filius per *unam* spirationem active sumptam, 308 s.; principium rerum omnium creatarum sunt Pater, Filius et Spiritus s. per *unam* operationem ad extra, *communem* tribus personis divinis, 396 s.

Privilegia peculiaria pro quibusdam sacerdotibus operi Propagationis fidei adlaborantibus, 348.

Processiones. Dubium solutum die 22 febr. 1924 a s. Congr. Rituum, 428.

PROCLAMATIO matrimonii, v. MONITUM.

Propagatio fidei. Recensentur favores spirituales concessi in favorem operis hujus, 344 ss. — Hoc opus de Prop. fidei commendandum ex decreto XI congr. prosyn., 278.

Prosynodalis congregatio.

ORATIO. Momentum maximum ut omnes, præprimis vero clerus, Ecclesiæ quam intime adhæreant, 271; necessitas *unitatis* inculcanda, 271. Ecclesia sensu latissimo omnium temporum est: formam induit primo patriarchalem, deinde mosaicam, tandem proprie christianam, 272; institutio et constitutio mirabilis Ecclesiæ Christi, 273; indefectibilitas ejus explicatur per influxum divini Spiritus triplicem, 274; quare merito dicamus *Matrem* Ecclesiam, 275.

DECRETA. I. Monitum ad confessarios de onanismo, 276. — II. Usus rhedæ tertiæ classis in via ferrea permittitur, 276. — III. Stipendia quædam « fundo scholarum » impendenda, 276. — IV. Reprobata praxis de confessione religiosarum, 277. — V. De petendo et transmittendo testimonio baptismi cum monito de proclamando matrimonio, 277. — VI. Frequentandus catechismus parochiæ in qua schola existit; communio solemnis tamen celebranda in parochia propria, 277. — VII. Reprobatur praxis benedicendi singulos tumulos, 277. — VIII. Documentum de consecratione vel solemni benedictione Ecclesiæ aut oratorii publici redigendum, servandum et ad curiam episcopalem mittendum, 277. — IX. De collecta pro re scholari, 278. — X. Ritus servandus in solemni renovatione votorum baptismalium in die solemnis communionis, 278. — XI. Commendantur secessus spirituales clausi, exercitia spiritualia pro sacristis et magistris scholarum, necnon varia opera, 278.

PUERI, v. LEX ECCL.

Quêtes. Droit des fabriques d'église sur le produit des quêtes et des troncs, 491.

Rectores ecclesiarum. Eorum notio, 56 ; eorum jura : *per se* non possunt functiones parœciales peragere, nec habent *vi muneris* jurisdictionem proprie dictam, sed possunt officia divina functionesque mere sacerdotales exercere, et quamdam œconomicam potestatem habent, 57 s.

Redemptor promittitur, 192 s. ; ejus adventus a longe et dein proxime præparatur, 354 s.

REGNUM DEI SUPERNATURALE, v. MYSTICA THEOLOGIA.

Religio sensu generali designat relationes et officia hominis erga Deum, 400. Quid ergo sit religio vera aut falsa, et quomodo ab hac genuina notione aberrent plurimi, 401. Religio autem sensu stricto est supremus cultus soli Deo debitus, 403. Per extensionem tamen sumitur vox quandoque pro cultu etiam duliæ et hyperduliæ ; per appropriationem, de statu religioso dicitur, 404. Accedunt quædam derivatæ acceptiones vocis, 405.

Quinam sint *actus interni et externi* religionis, prout vox sumatur subjective de ipsa virtute, vel objective de ipso cultu Dei, 406. Quinam vero sint ejus *actus eliciti et imperati*, 408.

SACRISTÆ, v. EXERCITIA SPIRITUALIA.

SCHOLÆ, v. FUNDUS, CATECHISMUS, EXERCITIA SPIRITUALIA.

SCIENTIA DIVINA, v. DEUS.

Scriptores ecclesiastici, quinam sint et quomodo considerentur in argumento traditionis, 38 s.

Scriptura S., v. VERSIONES.

Interpretatio locorum.

Mt., XII, 24-30 (Jesus accusatus de pacto cum dæmonibus) 32 ss.
XII, 31-32 (Blasphemia Spiritus irremissibilis), 60 ss.
XXII, 15-21 (De censu Cæsari dando) 111 ss.
XXIII, 1-39 (Sermonis Jesu contra Pharisæos analysis ; interpretatio vv. 25-32), 139 ss.
XXIII, 33-39 (Ejusdem sermonis epilogus), 196 ss.

Mt., XXVI, 6-13 (Unctio Jesu in Bethania), 218 ss.
(Quod eadem sit unctio a Mt. relata cum illa quam Mc., XIV, 3-9 et Jo., XII, 1-8 referunt), 278 ss.
(Quod diversa sit illa unctio ab ea quam Lc., VII, 36-50 refert), 281 ss.
(Num diversæ aut identicæ sint Maria Magdalena, Maria Bethaniæ et peccatrix de qua Lc., VII, 36 ss.), 282 ss.
Mc., XIV, 3-9, v. Mt., XXVI, 6-13.
Lc., VII, 36-50, » » »
Jo., XII, 1-1, » » »
XVIII, 13-23 (Interrogatio Jesu coram Anna), 369.
Act. Ap., VIII, 26-40 (Eunuchus Æthiops quem Philippus diaconus baptizavit videtur fuisse circumcisus), 393 ss.
Ibid. (Quonam loco hæc conversio in historia Ecclesiæ primitivæ sit reponenda), 448 ss.
Ultima cœna: ordo chronologicus variorum factorum quæ in ea locum habuerunt, 304 ss.
In processum Jesu coram auctoritate judaica, 368 ss.
Secessus clausi commendantur in decreto XI congr. prosyn., 278.
Spiritus sanctus a Patre Filioque *procedit* tanquam ab *uno* principio, 308 s.
Stipendia missæ binationis et pro grege, v. decr. III congr. prosyn., 276.
Dubium de stipendio missarum in die 2 nov. solutum ab Emo Præside Commissionis pontificiæ, 259.
STIPULATIONES PRO alio, v. CONTRACTUS.
SUPERIORES domorum filialium, v. MONIALES.
Symbolum. Usus antiquus, 476; in Breviario, 477.
Taxæ. Earum notio et divisio, 134; quis eas definire possit, 135; quomodo fieri debeat taxatio, 135.
Theologi, quinam intelligantur ubi de argumento e theologis, 67 ; eorum auctoritas determinatur, 66 s. ; probatur, 69.
Thomas Aquinas s. in encyclica « Studiorum ducem », 29 junii 1923, proponitur *exemplar* cleri, 3 s. ; extolluntur *virtutes* ejus, 4 s. ; deinde *doctrina* ejus præstantissima, 7 s. ; unde ejus *auctoritas* elucet, 7 et merito *doctor communis* prædicatur, quod et *modo* quo

et *iis* quæ docuit plane constat, 8 s. — Multa documenta ex iis haurienda, 13 s. — Præscripta ut sacra sæcularia in ejus honorem digne celebrentur, 16 s. ; favores spirituales conceduntur, 17 ; disputatio habenda, 18. — Formula precandi qua ipse divus Thomas utebatur, 18.

Titularis ecclesiæ quid sit ex origine, 213 et in hodierno jure, 214 ; quomodo constituatur, 215 ; differt a patrono loci, 217. Debet coli in sua ecclesia et ab iis qui sunt huic ecclesiæ adscripti, 300. Quinam sint legitime adscripti, 300. A quibusnam et quomodo colendus sit titularis ecclesiæ propriæ et ecclesiæ cathedralis, 302 s. Titulari ecclesiæ debet consecrari altare majus, 387 ; debet nominari in oratione *A cunctis*, 388, ejusque festum celebrari, 390 s. Quid si descriptus sit in kalendario cum sociis, 391.

Traditio oralis, v. Patres, Theologi.

Tumuli pro sepultura fidelium non singuli benedicantur ; cœmeterium, si novum, quantocius benedicatur ; si violatum, reconcilietur, juxta decretum VII congr. prosyn., 277.

Vagi, v. Lex eccl.

Versiones S.S. Dubium circa impressionem versionum S.S. solutum a Commissione pontificia, 258.

Vexilla. Dubium solutum a s. Congr. Rituum de vexillis in ecclesia admittendis vel benedicendis, 258.

Via ferrea. Usus tertiæ classis permittitur, 276.

Vigiliæ distinguuntur 1/ ratione jejunii in vigilias quæ jejunantur et alias quæ non jejunantur, 84 ; 2/ ratione officiorum in *a*/ privilegiatas I et II classis, 85 ; *b*/ communes, 87 ; quomodo hae sint celebrandæ quoad officium, 87 et quoad missam, 88.

Volitio divina, v. Deus.

Willem van Oranje, v. Kerk van Belgie.